



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



Jur. is.

321

i

+

Jan. 15, 3214

1111
61



<36619840870015

<36619840870015

513

Bayer. Staatsbibliothek

}}

+

Jus

7. 18. 18. 15
D. IOACHI

MI HOPPERI FRISII,

I. C. EQVITIS AVRATI, DO-

MINI DE DALEM, CONSILIA-

rij status Belgici, præfetti re-

gio sigillo,

IN VERAM IVRISPRVDENTI-

am Ifagoges ad filium Libri octo.

NEMPE.

Paratitlen iuris civilis, siue de diuinarum & hu-
manarum rerum principijs, Librè IIII.

Elementorum iuris, siue de principijs iusti & iniu-
sti, Librè IIII.





COLONIÆ,

Apud Maternum Cholinum

M. D. LXXX.

Cum Gratia & Privilegio Caf. Maiest.

zur. 15. 31216



A D R E V E

RENDISSIMVM, ILLVSTRISSIMVM QVE DOMINVM D. ANTONIVM CARDINALEM Granuellanum, Archiepiscopum Mechliniensem. &c.

PRAEFATIO.



EI immortalis opera immortalia saepe mecum ipse contemplanſ, Reuerendiſſ. Illuſtriſſimeq; Cardinalis, & cum animo meo reputans, cum omnia excelsa & magnifica, atque adeo Deo ipſo plena eſſe conſidero, tum illud me maximè commouere ſolet, quòd hominem tam præclara,

*

2

ES

PRÆFATIO.

Et penitus diuina conditione generatum conspicio, ut non modo Deo plenus, sed et viua quaedam ipsius et expressa imago videatur: Cuius quidem artes exercitationesque multa et varia partim ad vitam tuendam comparata, partim ad animum pascendum et excolendum, quæ alia in promptu sunt, alia autem recõditis quibusdam in rebus et multiplicibus subtilibusque versantur, facile ostendunt, nihil esse in tota natura, neque cælo, neque terra, quod non ad hominem pertineat, et ex quo ille non aliqua parte decerptus sit, ac delibatus. Ex quibus equidem cum nonnulla sint, et verò non pauca, quæ cum

cate-

caeteris animantibus communia,
Et ab ijs ipsis arrepta esse videri
possunt, illud certe habet homo
eximium, ut cœtus constituere,
Et conuentus societatesq; colere
norit. Quod Et ipsum tametsi à
nonnullis animantibus Et natu-
ris non abhorrere videatur, hoc
tamen inter earum Et hominum
societates interest, quòd ille qua-
tenus sensu mouentur ad eas fe-
runtur, homines autem quate-
nus ratione Et intelligētia. Qua-
refit, ut non modo ipsi inter se
coire, communitatesq; cōstituere
desiderent, sed eadem iustitia Et
lege communire, in quo non cum
caeteris animantibus, sed cū Deo
similitudo illis est, qui sui ipsius

*

3

ex-

P R A E F A T I O

*exemplar imitatus , hanc tam
preclaram & penitus diuinam
facultatem in mentibus eorum
inseruit. A qua quidem facul-
tate cum tot gentium ac populo-
rum pulcherrimæ leges profectæ
sint , & tot extiterint homines
doctrina & ingenijs uberrimè
affluentes , qui earum se inter-
pretes & administratos præbue-
rint , unum tamen sepe ac mul-
tum admirari soleo , in tanta
rerum omnium multitudine ,
de quibus certum est artifici-
um constitutum , nullum cu-
iusquam ex omni seculorum me-
moria dictum aut scriptum ex-
tare , quo hæc facultas conti-
neatur. Nisi quòd vnus Pla-*

to & nominis meminerit , & quaedam ad eam indagandam vestigia impresserit , adiumentâque subministrarit Quare commotus , uti post ius civile communi ratione cognitum ac perceptum , ad rationes eius & causas peruestigandas fortè me contuleram , iisque tractandis , obscure quidem , & quasi longo interiecto intervallo & per caliginem , sed tamen aliquomodo cernerem , siue potius coniectura augurarer , quâdam debere superesse maiorem artem , que totam illam rem comprehendat , & ex qua iura legesque omnes , & earum rationes deducantur , veni in eam cogi-

*

4

tatio-

PRÆFATIO.

gitationem, & ad hoc me applicavi (tamen si non tam perficiendi ipse, quàm experiendi voluntate) ut vestigijs Platonicijs insidendo periclitandum ducerem, an qua parte, si non ipsam, aliquam certè eius imaginem, qua quasi ars sit, indagare possem. In qua re dum versor, primùm ea semihi visa obtulerunt, qua tribus libris descripsi prope iuuenis. Quibus post addens secundas cogitationes meas, tantum in eas contuli studij, quantum à republica fuit otij. Quod quidem tametsi fuerit sanè quàm exiguum, fecit tamen & continens studium, & longinquitas temporis, ut in commentarios excreuerint. Quos
libris

PRÆFATIO.

libris duodecim descriptos, inter-
 ea placuit in unam quasi summā
 contrahere, & pura illustriq; bre-
 uitate comprehensos (qua nihil
 solet esse dulcius) in quatuor ho-
 sce de iusti & iniusti principijs li-
 bellos conijcere. Quem equidem
 laborem cum inter cetera filij gra-
 tia suscepissemus, qui propediem
 ad Iurisprudentiæ studium acce-
 det, eum cum patre colloquentem
 introduximus: quoniam eiusmodi
 sermonis genus ad faciliorem
 doctrinam aptissimum iudica-
 mus. Tametsi autem prima illæ
 lucubrationes nostræ non sinistrè
 adeo successisse viderentur, non
 putavi tamen committendum,
 quin priusquam de secundis pe-
 * 5 ricu-

PRÆFATIO.

*riculum faceremus, hos libellos
 Illustrissima C. V. ut viro in hac
 scientia politica versatissimo, &
 nostri amantissimo, offerremus.
 Quod ut gratum acceptumq; sit
 etiam atq; etiam oramus. Ita au-
 tem eos conficere studuimus, ut
 & cum maioribus commētarijs,
 & sine illis vsui esse possint, & nō
 minus vltima hominum etati,
 quàm prima prodesse. Nec verò
 diffugimus, quin (quod etiam ta-
 cendum nobis fuit) suum cuiq; de
 ijs liberum sit iudicium, dummo-
 do non ignoretur, neq; tam vul-
 gares esse res, ut ab omnibus: neq;
 tam peruagatas, ut statim diju-
 dicari possint. Præmissimus autē
 quatuor libellos Paratitlō n iuris
 civi-*

PRÆFATIO.

ciuilis, siue de principijs diuinarum, & humanarum rerum, eo consilio, partim ut totius scientiæ ciuilis quandam quasi summam in unum conderemus, partim ut summis iuris ciuilis capitibus explanandis usum & utilitatem maioris illius artis utcunq; ostenderemus. Datum III. Idib. Nouemb. Anno Domini M.

D. LXXIII. Mantue Carpentanorum.

CAPITVM LIBRO- RVM QVATVOR PARA- TITLON IVRIS CIVILIS, Elenchus.

Primi libri capita.

	Procemium de Iurisprudencia & eius partibus.	1
I	D E Iure civili.	3
II	De diuisione iuris civilis.	4
III	De libris Institutionum & eorum diuisione.	ibid.
IIII	De Iustitia & iure.	5
V	De diuisione Iuris.	6
VI	De subiectis Iuris.	ibid.
VII	De personis.	ibid.
VIII	De prima personarum diuisione.	7
IX	De secunda personarum diuisione.	8
X	De ijs qui alieni iuris sunt.	ibid.
XI	De ijs qui in potestate sunt dominorum.	9
XII	De ijs qui in potestate sunt parentum.	ibid.
XIII	De solutione utriusq ³ potestatis.	10
XIIII	De ijs qui sui iuris sunt.	ibid.
XV	De ijs qui in tutela sunt.	11
XVI	De ijs qui in curatione sunt.	13
XVII	De ijs que utriusq ³ sunt communia.	ibid.
XVIII	De rebus.	14
XIX	De rerum dominio.	ibid.
XX	De diuisione rerum.	15
		De

PARATIT. IVR. CIVILIS.

XXI	De acquisitione per res singulas.	16
XXII	De acquisitione per uniuersitatem.	17
XXIII	De hereditate.	18
XXIII	De successione ex testamento.	ibid.
XXV	De successione ab intestato.	22
XXVI	De bonorum possessione, arrogatione & additione.	
	23	
XXVII	De commercio & obligatione.	25
XXVIII	De obligationibus ex contractu.	ibid.
XXIX	De obligationibus quasi ex contractu.	28
XXX	De obligationibus ex maleficio.	ibid.
XXXI	De obligationibus quasi ex maleficio.	29
XXXII	De actionibus.	30
XXXIII	De actionibus civilibus.	ibid.
XXXIII	De actionibus pratorijs.	32
XXXV	De actionibus criminalibus.	33

Libri secundi capita.

I	De libris Digestorum seu Pandectarum.	34
II	De principijs iuris & iudiciorum	35
III	De principijs iuris.	ibid.
III	De principijs subiectorum iuris.	37
V	De principijs iudiciorum.	38
VI	De iudicijs.	ibid.
VII	De iurisdictione omnium iudicum.	40
VIII	De primo ingressu in iudicium.	41
IX	De ijs quae pendente lite ferè interueniunt.	43
X	De conuentionibus.	ibid.
XI	De postulationibus.	44
XII	De in integrum restitutionibus.	45
	De	

ELENCHVS CAPITVM

<i>XIII</i>	<i>De arbitrijs.</i>	<i>47</i>
<i>XIIII</i>	<i>De iudicijs & eorum diuisione.</i>	<i>48</i>
<i>XV</i>	<i>De iudicijs ciuilibus.</i>	<i>49</i>
<i>XVI</i>	<i>De iudicijs in rem.</i>	<i>ibid.</i>
<i>XVII</i>	<i>De vniuersitatis rerum petitione.</i>	<i>50</i>
<i>XVIII</i>	<i>De singularũ rerum corporalium petitione.</i>	<i>51</i>
<i>XIX</i>	<i>De singularum rerum incorporalium personalium petitione.</i>	<i>52</i>
<i>XX</i>	<i>De singularum rerum incorporalium predialium petitione.</i>	<i>54</i>
<i>XXI</i>	<i>De iudicijs ad personas pertinentibus.</i>	<i>55</i>
<i>XXII</i>	<i>De iudicijs mixtis personarum & rerum.</i>	<i>ibid.</i>
<i>XXIII</i>	<i>De iudicijs accessorijs.</i>	<i>56</i>
<i>XXIIII</i>	<i>De iudicijs siue actionibus in personam.</i>	<i>58</i>
<i>XXV</i>	<i>De contractibus qui re fiunt & conditionem pa- riunt.</i>	<i>ibid.</i>
<i>XXVI</i>	<i>De contractibus qui re fiunt, & actionem pariunt.</i>	<i>61</i>
<i>XXVII</i>	<i>De contractibus qui consensu fiunt.</i>	<i>65</i>
<i>XXVIII</i>	<i>De contractibus innominatis.</i>	<i>67</i>
<i>XXIX</i>	<i>De accessionibus contractuum.</i>	<i>68</i>
<i>XXX</i>	<i>De maris & foemina coniunctione liberorumq; pro- creatione & educatione.</i>	<i>71</i>
<i>XXXI</i>	<i>De coniunctione maris & foemina.</i>	<i>72</i>
<i>XXXII</i>	<i>De contrahendis nuptijs.</i>	<i>ibid.</i>
<i>XXXIII</i>	<i>De ijs qua constante matrimonio interueniunt.</i>	<i>73</i>
<i>XXXIIII</i>	<i>De distrahendis nuptijs, ijsq; qua soluto matrimo- nio accidunt.</i>	<i>74</i>
<i>XXXV</i>	<i>De tutelis.</i>	<i>76</i>
<i>XXXVI</i>	<i>Quid sit tutela, & quomodo diuidatur.</i>	<i>ibid.</i>
<i>XXXVII</i>	<i>De administratione tutorum & curatorum.</i>	<i>77</i>
		<i>De</i>

PARATIT. IVR. CIVILIS

XXXVIII	De amissione tutela & cura.	78
XXXIX	De actionibus qua tutela nomine competunt.	79
XL	De successione.	81
XLI	De condendis testamenti ratione & forma.	ibid.
XLII	De acquisitione ex testamēto per vniversitatem.	83
XLIII	De acquisitione ex testamēto per res singulas.	85
XLIII	De rebus per legatū & fideicōmissum relēctis.	ibid.
XLV	De ijs qua legatis & fideicommissis accidunt.	87
XLVI	De ijs per qua legata vel fideicommissa minuūtur.	88
XLVII	De acquirendis legatis & fideicommissis	89
XLVIII	De iudicijs pratorijs.	90
XLIX	De bonorum possessionibus.	91
L	De bonorum possessionibus extantibus tabulis, que ad ingenuos pertinent.	ibid.
LI	De bonorum possessionibus extantibus tabulis que ad libertinos pertinent.	94
LII	De bonorum possessionibus & alijs successionibus nō extantibus tabulis.	95
LIII	De factis tectis.	97
LIII	De donationibus.	98
LV	De manumissionibus.	99
LVI	De possessione.	101
LVII	De re iudicata.	102
LVIII	De interdētis.	104
LIX	De exceptionibus.	107
LX	De pratorijs & alijs stipulationibus.	108
LXI	De iudicijs criminalibus.	110
LXII	De delictis priuatis.	ibid.
LXIII	De extraordinarijs criminibus.	112
LXIII	De iudicijs publicis.	114

Quo.

ELENCHVS CAPITVM

LXV	Quomodo instituantur iudicia publica.	ibid.
LXVI	Quae sunt crimina publica.	115
LXVII	Quomodo iudicia publica peragantur	117
LXVIII	De posterioribus iuris & iudiciorum.	118
LXIX	De posterioribus iudiciorum.	119
LXX	De posterioribus eorū quae iuri sunt subiecta.	121
LXXI	De posterioribus iuris.	124

Libri tertij capita.

I	De libris Codicis Iustinianei, & eorum partitione.	
	125	
II	De prioribus iudiciorum.	126
III	De ijs qui iuri & iudicijs praesunt.	127
IIII	De ecclesiasticis qui iuri & iudicijs praesunt.	ibid.
V	De secularibus primarijs qui iuri iudicijs praesunt.	131
VI	De secularibus secundarijs, qui iuri & iudicijs praesunt.	131
VII	De principijs iudiciorum, & quae in ijs interueniunt.	134
VIII	De inius vocando & edendo.	135
IX	De conuentionibus.	ibid.
X	De postulationibus.	ibid.
XI	De in integrum restitutionibus.	137
XII	De arbitris, satisfactionibus, formulis, & iureiurando.	141
XIII	De iudicijs.	ibid.
XIIII	De iudicijs in genere.	142
XV	De iudicijs civilibus.	145
XVI	De iudicijs civilibus ad res vindicandas pertinentibus.	146

De

PARATIT. IUR. CIVILIS.

XVII	De iudicijs civilib. ad cōditiones pertinētibus.	148
XVIII	De cōtractibus q̄ re sūt & cōditionē pariūt. ibid.	
XIX	De cōtractib. qui re fiunt, & actionem pariunt in genere.	149
XX	De contractibus qui re fiunt & actionem pariunt in specie.	151
XXI	De contractibus qui consensu fiunt.	152
XXII	De iudicijs civilib ad cōiunctionē maris & fœminæ liberorumq; educationē & tutelā p̄tinētibus.	156
XXIII	De ijs qua nuptias p̄cedunt.	ibid.
XXIII	De nuptijs & qua in ijs interueniunt.	157
XXV	De ijs qua post solutas nuptias accidunt.	159
XXVI	De diuersis generibus tutorum.	160
XXVII	De administratione tutorum & curatorum.	161
XXVIII	De actionibus, qua tutela nomine competunt.	163
XXIX	De excusationibus tutorum & curatorum.	164
XXX	De curatoribus maiorum & p̄dijs minorum.	165
XXXI	De iudicijs civilibus ad successionem post mortem pertinentibus.	ibid.
XXXIII	De successione p̄toria.	166
XXXIII	De successione civili ex testamento.	167
XXXV	Quomodo recte fiant testamenta tam militum quā paganorum.	168
XXXVI	Quomodo acqratur ex testamēto p̄ vniuersitatē.	169
XXXVII	Quomodo acqratur ex testamēto p̄ res singulas.	170
XXXVIII	De successione civili ab intestato.	172
XXXIX	De iudicijs p̄torijs.	173
XL	De manumissionibus.	174
XLI	De vsucapionib. & lōgi tēporis p̄scriptionib.	177
XLII	De rebus indicatis.	179
XLIII	De interditijs.	183

**

De

ELENCHVS CAPITVM

XLIII	De factis rectis.	183
XLIII	De pignoribus.	184
XLV	De exceptionibus.	186
XLVI	De stipulationibus.	187
XLVII	De donationibus.	ibid.
XLVIII	De iudicijs criminalibus.	189
XLIX	Quomodo instituantur iudicia criminalia.	ibid.
L	Ex quibus causis nascantur iudicia criminalia.	190
LI	Quomodo peragantur iudicia criminalia.	192
LII	De pœnis criminum.	193
LIII	De posterioribus.	194
LIII	De rebus fiscalibus.	ibid.
LV	De ijs q̄ privatim fisco varijs ex causis obueniunt.	195
LVI	De ijs qua publice ad fiscum pertinent.	197
LVII	De personis municipalibus rei fiscali & alijs minoribus subiectis.	200
LVIII	De personis ministerialibus. que rei fiscali seruiunt.	205
LIX	De rebus patrimonialibus.	207
LX	De personis aulicis ad res patrimoniales pertinētibus.	ibid.
LXI	De personis urbicis ad res patrimoniales pertinētibus.	209
LXII	De personis rusticis ad res patrimoniales pertinētibus.	214
LXIII	De agris, domibus, gregibus & alijs ad res patrimoniales pertinentibus.	216
LXV	De rebus palatinis.	220
LXVI	De dignitatibus palatinis.	ibid.
LXVII	De officijs scholis, & scrinijs palatinis.	222
LXVIII	De ijs qua ad militiam palatinam pertinent.	226
LXIX	De varijs ministris palatinis.	228
Libri quarti capita.		
I	De libro Nouellarum.	231
II	De diuisione libri Nouellarum.	ibid.
		Colla-

PARATIT. IUR. CIVILIS

III	Collatio prima.	232
IIII	Collatio secunda.	233
V	Collatio tertia.	234
VI	Collatio quarta.	235
VII	Collatio quinta.	237
VIII	Collatio sexta.	242
IX	Collatio septima.	244
X	Collatio octava.	246
XI	Collatio nona.	247
XII	Collatio decima.	252
XIII	De sacris.	253
XIIII	De prophanis.	255
XV	De persanis.	258
XVI	De rebus.	ibid.
XVII	De iudicijs.	259

TITVLORVM LIBRO-
RVM QVATVOR ELE-
MENTORVM IVRIS,
Elenchus.

Primi libri tituli.

Proemium de studio Iuris & eius
generibus.

I	De iurisprudencia.	261
II	De diuisione iurisprudencia.	264
III	De principijs iusti & iniusti.	265
IIII	Quae sint principia iusti & iniusti.	267
V	De diuisione principiorum.	ibid.
VI	De Deo & principijs ab eo manantibus.	268

Do

ELENCHVS TITVLORVM

VII	De mundo & principijs ab eo manantibus.	270
VIII	De homine & principijs ab eo manantibus.	271
IX	De familia & principijs inde manantibus.	277
X	De republica & principijs inde manantibus.	ibid.
XI	De iustitia & principijs inde manantibus.	279
XII	De principijs Ethicis.	281
XIII	De principijs Physicis.	282
XIIII	De principijs Logicis.	284
XV	De principijs mathematicis.	286
XVI	De principijs à generibus iustitiæ ductis.	ibid.
XVII	De principijs à partibus iustitiæ.	287
XVIII	De principijs à gradibus iustitiæ.	288
XIX	De principijs à formis iustitiæ.	290
XX	De principijs à vi & effectu iustitiæ.	291
XXI	De principijs ab iniustitiâ.	293
XXII	De principijs medijs inter iustitiâ & iniustitiâ.	294
XXIII	De principijs formalib. à iustitiâ manantibus.	296
XXIIII	De lege & principijs inde manantibus.	299
XXV	De principijs legis prima natura bonæ.	300
XXVI	De principijs legis secunda natura malæ.	302
XXVII	De principijs legis natura corrupta.	ibid.
XXVIII	De principijs legis Mosaicæ.	303
XXIX	De principijs legis gratiæ.	304
XXX	De principijs civilibus.	305
XXXI	De principijs mixtis ex naturalibus & civilib.	306
XXXII	De principijs æternis.	308
XXXIII	De principijs medijs inter interna & externa.	309
XXXIIII	De principijs extraordinarijs.	311
XXXV	De principijs singularibus.	314
XXXVI	De qualitatibus principiorum.	317

Libri

ELEMENTOR. IVRIS

Libri secundi Tituli.

I	<i>Quo pacto se habeāt principia ad iura & leges.</i>	320
II	<i>De vno Legum principio.</i>	321
III	<i>De plurib. Legū principijs eodē tendentibus.</i>	<i>ibid.</i>
IIII	<i>De plurib. Legū principijs ad diuersa tendentib.</i>	323
V	<i>De plurib. Legū principijs ad cōtraria tendentib.</i>	<i>ibi.</i>
VI	<i>De vnius generis pluribus principijs.</i>	327
VII	<i>Quo pacto iura & leges se habeāt ad principia.</i>	328
VIII	<i>De substantia legum.</i>	<i>ibid.</i>
IX	<i>De personis & earum differentijs.</i>	<i>ibid.</i>
X	<i>De rebus & earum differentijs.</i>	331
XI	<i>De circumstantijs.</i>	333
XII	<i>De statu coniecturali.</i>	<i>ibid.</i>
XIII	<i>De statu definitiuo.</i>	334
XIIII	<i>De statu iuridiciali.</i>	335
XV	<i>De subiectis & predicatis simul iunctis.</i>	<i>ibid.</i>
XVI	<i>De virtutibus legum, & earum gradibus.</i>	336
XVII	<i>De formis legum.</i>	339
XVIII	<i>De ijs, quæ ad naturam legum pertinent.</i>	341
XIX	<i>De originibus legum.</i>	342
XX	<i>De partibus legum.</i>	347
XXI	<i>De effectibus legum.</i>	349
XXII	<i>De ijs quæ legibus accidunt.</i>	352
XXIII	<i>De primis legum accidentibus.</i>	<i>ibid.</i>
XXIIII	<i>De secundis legum accidentibus.</i>	353
XXV	<i>De tertijs legum accidentibus.</i>	355
XXVI	<i>Quo pacto leges per principia exponantur.</i>	356
XXVII	<i>De interpretatione scholastica.</i>	357
XXVIII	<i>De interpretatione vniuersali.</i>	<i>ibid.</i>
XXIX	<i>De interpretatione generali.</i>	359
XXX	<i>De interpretatione speciali.</i>	360

ELENCHVS TITVLORVM

XXXI	De interpretatione historica.	361
XXXII	De interpretatione etymologica.	362
XXXIII	De interpretatione pragmatica.	366
XXXIII	De interpretatione analogica.	368
XXXV	De interpretatione forensi.	370
XXXVI	De interpretatione politica.	372
XXXVII	De usu supradictorum.	373

Libri tertij tituli.

I	De rebus.	382
II	De rerum diuisione.	383
III	De rerum qualitatibus.	ibid.
IIII	De iure ciuili publico.	385
V	De diuisione iuris ciuili publici.	ibid.
VI	De sacris & eorum partitione.	386
VII	De personis ecclesiasticis, & earum diuisione.	387
VIII	De clericis.	388
IX	De monachis.	394
X	De lecticarijs.	398
XI	De ministris Ecclesiasticarum.	399
XII	De legibus Ecclesiasticorum.	400
XIII	De rebus Ecclesiasticis.	401
XIIII	De doctrina Ecclesiastica.	402
XV	De institutis Ecclesiasticis.	403
XVI	De institutis Ecclesiasticis ad Deum pertinentibus.	ibidem.
XVII	De locis sacris.	404
XVIII	De temporibus sacris.	405
XIX	De rebus sacris.	406
XX	De personis sacris.	407
XXI	De institutis ecclesiasticis ad homines pertinentibus.	409

De

ELEMENTOR. IVRIS

XXII	<i>De institutis Ecclesiasticis ad mortuos pertinentibus.</i>	410
XXIII	<i>De disciplina ecclesiastica.</i>	411
XXIII	<i>De forma disciplina ecclesiastica.</i>	ibid.
XXV	<i>De materia disciplina ecclesiastica.</i>	413
XXVI	<i>De prophanis & eorum partitione.</i>	415
XXVII	<i>De Imperatore Romano.</i>	416
XXVIII	<i>De orbe Romano.</i>	422
XXIX	<i>De magistratibus Romanis.</i>	424
XXX	<i>De palatinis magistratibus.</i>	425
XXXI	<i>De magisterianis.</i>	426
XXXII	<i>De consistorianis.</i>	428
XXXIII	<i>De militaribus.</i>	ibid.
XXXIII	<i>De tamiacis.</i>	429
XXXV	<i>De magistratibus publicis.</i>	431
XXXVI	<i>De magistratibus civilibus urbicis.</i>	432
XXXVII	<i>De magistratibus civilibus provincialibus.</i>	433
XXXVIII	<i>De magistratibus civilibus municipalibus.</i>	436
XXXIX	<i>De magistratibus bellicis.</i>	438
XL	<i>De magistratibus fiscalibus.</i>	440
XLI	<i>De quasi magistratibus.</i>	443
XLII	<i>De ministris magistratuum.</i>	444
XLIII	<i>De rebus publicis.</i>	ibid.
XLIII	<i>De personis publicis.</i>	445
XLV	<i>De temporibus publicis.</i>	446
XLVI	<i>De locis publicis.</i>	ibid.

Libri quarti Tituli.

I	<i>De definitione iustitie & iuris.</i>	448
II	<i>De divisione iuris.</i>	449
III	<i>De subiectis iuris.</i>	450
		De

ELENCHVS TITVLORVM

III	De personis.	450
V	De prima personarum diuisione.	451
VI	De secunda personarum diuisione.	454
VII	De ijs qui alieni iuris sunt.	ibid.
VIII	De ijs qui sui iuris sunt.	457
IX	De rebus.	465
X	De rerum dominio & diuisione.	ibid.
XI	De acquisitione per res singulas.	468
XII	De acquisitione per vniuersitates.	471
XIII	De successione ex testamento.	472
XIII	De successione ab intestato.	478
XV	De honorum possessionibus, & alij modis acquirendi per vniuersitatem.	481
XVI	De rerum commercio & obligatione.	483
XVII	De obligationibus ex contractu vel quasi.	485
XVIII	De obligationibus ex delicto vel quasi.	492
XIX	De actionibus.	494
XX	De actionibus ciuilibus.	495
XXI	De actionibus pratorijs.	500
XXII	De actionibus criminalibus.	502

PARATI- TLON IVRIS CIVILIS, SIVE DE DIVINARVM ET HVMANARVM RERVM PRINCI-

pys, D. Ioachimo Hoppero, I C.

authore,

LIBER PRIMVS.



F. Deo vti iusseras in-
uocato adsum Mi pa-
ter, vt de Iurispruden-
tia, & eius principijs te
differetem audiam, se-
cundumq; hoc ratione
studiorum meoru in-
stitutam. H.P. Benefa-
cis mi fili, nam nihil est,
quod malim, magisq; à Deo exoptem, quam vt
te quam optimu videam, quæ prima pars philo-
sophiæ est: & doctissimum, quæ altera. Et quidẽ
in hac facultate nostra politica, quæ vtramque
partem complectens, princeps est omnium ar-
tium ac disciplinarum, ipsiusq; adeo reipublicæ,
cui regina præsidet, dummodo recte teneatur,
eaq; via ac ratione qua oportet, discatur. H.F.
At quenam autem illa? H.P. Non longe quidem
petita, sed proxime ante pedes posita, secundum
definitionis Iurisprudentiæ ordinem. H.F. Quæ
autem ea est definitio? H.P. Quæ Iurispruden-
A tiam

tiam diuinarum & humanarum rerum tradit esse notitiam, Iusti & iniusti scientiam. H. F. Hinc quidnam autem colligis? H. P. Duas omnino huius studij esse partes. H. F. Cædo quas. H. P. Vnã ut rerum diuinarum & humanarum, quæ quasi pro materia & corpore sunt, descriptio teneatur, quæ externa est. H. F. Recte. H. P. Alteram autem, ut iusti & iniusti principia, quæ pro forma sunt & anima, cognoscatur, quæ interna. H. F. Probe. H. P. Atque his quidẽ duobus, quæ summam rei continent recte cognitis ac perceptis, haud sanẽ difficile est, ad singulas rerum species descendere, & quid iustum & iniustum in ijs sit, dijudicare. H. F. Intellego. H. P. Quin & si e contrario ascendere velis, & ad magnam illam artẽ ac scientiam, quæ ipsam iuris ac legum condendarum rationem continet, peruenire, ab his duobus quoque incipiendum, & per ea, tanquã per gradus, eundem est. H. F. Teneo. H. P. A deo ut quocunque te vertas, his duobus totius rei summa, ut dico, contineatur. Nos autem de priorẽ parte nunc agemus. H. F. De hac autem quid ais? H. P. Enimvero cum circa diuinarum & humanarum rerum notitiam, ut dico, versetur: earum summa capita titulis, siue rubricis Iuris nostri ciuilis elegantissime continentur, adeo ut nihil penitus sit in tota disciplina ciuili, quæ ad rempublicam iure ac legibus moderandam pertinet (qua de re tot philosophi & politici homines Iurisconsulti conscripserunt) quod non in ijs delibetur. Et ideo non à Iurisconsultis modo, verum ab omnibus qui ad rempublicam accedunt, diligenter cognosci, & ob oculos semper haberi

haberi debent, tanquam quibus totius doctrinæ politicæ summa, vti dico, comprehenditur, dummodo aptè tractentur. H. F. At quonam autem modo? H. P. Si non ipsi solum tituli in medium proferantur, quod vnum est, sed & quo ordine ac methodo cohæreant, vnumq; pulcherrimum quasi corpus, quod suis partibus ac membris constet, efficiant, demonstretur, quod alterum: addita porro cuiusque breui ac simplici (nam alia alijs libris tractantur) explanatione, vt quidnam sit, ac sibi velit, intelligatur, quod tertium. Quibus quidem tribus, & nomina rerum continentur, & diuisiones, & definitiones, in quibus primam rerum intelligentiam consistere constat. H. F. ita abs te me olim audire meminim. H. P. Atque vt ordine progrediamur, primum quid ius ciuile, quo de acturi sumus, sit, dicam, deinde quomodo diuidatur, vnde ad singulos titulos descendemus. Qui quidem ita sunt concepti, vt vel plenam sententiam habeant, vt, Ne fideiussores dotium dētur: vel nullā, vt, Vnde vi, Vti possidetis, qui à primis verbis edicti fere sumuntur: vel mediam, sic vt qua de re agatur, indicent. vt, de pactis, de transactionibus, quod propriū est titulorum. Verūm, quod Deus faustum foelixq; esse iubeat, ad rem iam accedamus.

De iure ciuili: Cap. I.

F. Ius igitur ciuile quodnam hic vocas? P. Ius ciuile Romanorum, quod Iustinianus Imperator, ex omni antiquitate iuris Romani pro bono communi collectum, reliquit, quo plerique

Δ 3 Christi-

4 PARATIT. IUR. CIVIL.
Christiani nominis populi vtuntur.

De diuisione iuris civilis.

Caput II.

F. Quomodo diuidis hoc ius ciuile? P. In libros Isagogicos, principales, & accessorios, vt in plerisque omnibus artibus, quæ via ac ratione tractantur accidit. F. Qui sunt libri Isagogici? P. Libri Institutionum, qui ad primam rudium informationem pertinent. F. Qui principales? P. Libri Pandectarum & Codicis, quibus tota res ex veterum iurisconsultorum monumentis, & constitutionibus principum, plene perfecteque describitur. F. Qui accessorij? P. Liber nouellarum constitutionum Iustiniani, vbi vetera iura emendantur, explanantur, suppleantur, vti in rebus humanis sæpe fieri solet. F. Recte. P. Ibimus autem ordine per singulos libros ac titulos, quibus decursis, quonam pacto summa diuinarum & humanarum rerum capita, quæ ad rempublicam regendam ac moderandam pertinent, ijs contineantur, breuiter strictimque ostendemus.

De libris Institutionum, & eorum diuisione.

Cap. III.

F. De libris ergo Institutionum quid ais? P. Hi sunt libri quatuor, quibus Elementa iuris ciuilis continentur. F. Quomodo eos diuidis? P. In tria summa capita, de iustitia & iure, de diuisione

one iuris, & de subiectis iuris. Ex quibus cum iustitia pro forma sit, subiecta autem sint pro materia, ius tanquam instrumentum est medium interiectum, quo forma in materiam inducitur.

De iustitia & Iure.

Cap. III.

F. De iustitia & iure quid ais? P. De his est titulus siue rubrica

Lib. 1. 1. De iustitia & iure.

Ac est quidem iustitia, constans ac perpetua voluntas, ius suum cuique tribuendi. Ius id quod iustitia lege lata constituit ac iubet. Cuius scientia vocatur iurisprudentia, quæ ut diximus est diuinarum & humanarum rerum notitia, iusti & iniusti scientia. Suntque prima Iuris præcepta, honestè viuere, quantum ad se, faciendo bonum: alterum non lædere, quantum ad alios, abstinendo à malo: & Ius suum cuique tribuere quantum ad se & alios, præstando vtrumque. Quod secundum legem Euangelij Iesu Christi domini Dei nostri, qua sola vera demum iustitiae, & iuris descriptio continetur, tum quidem amore Dei supra omnia efficitur, tum autem amore proximi sicut sui ipsius. In quibus duobus tanquam cardinibus, omnia iura legesque ad res diuinas & humanas, iustumque & iniustum pertinentes, pendent, quocunque te vertas, prout ordine videbimus.

A 3 De

De diuisione iuris. Cap. V.

F. Quomodo autem diuiditur ius? P. In tria summa genera, vt demonstrat titulus

2 De iure naturali, gentium, & ciuili.

Ac est quidem ius naturale, quod natura omnia animalia docuit, vt maris & fœminæ coniunctio: Gentium, quo omnes gentes vtuntur, vt erga Deum religio: Ciuile, quod cuiusque proprium est ciuitatis, vt patria potestas Romanorum. Et quidem cum ius naturale, homini tanquam animali sit insitum, gentium autem, tanquam rationali, ciuile ab illo, tanquam animali & rationali constituitur, suntque omnia cum amore Dei & proximi coniuincta.

De subiectis iuris. Cap. VI.

F. Subiecta iuris quænam autem sunt? P. Quibus iustitia, tanquam materiæ, vt dictum est, inhæret. Ac sunt quidem personæ & res, quibus omnia quæcunque sunt, continentur, nec non actiones, quæ inter personas de rebus exercentur.

De personis. Cap. VII.

F. Quas vocas personas? P. Homines, certa qualitate, iure ciuili prinato, (nam de publico alijs locis agitur) pro ipsorum vtilitate, descriptos. Suntque omnium personarum duæ diuisiones, vna iuris gentium, & altera Iuris ciuilis.

De

*De prima personarum diuisione.**Caput VIII.*

F. Quæ est diuisio Iuris gentium ? P. Quod omnes homines vel liberi sunt, vel serui, vt demonstrat titulus

3. De iure personarum.

Et est quidem libertas (ex qua etiam liberi vocantur) naturalis facultas eius quod cuique facere libet, nisi quod vi aut iure prohibetur. Seruitus autem, constitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur, origine inde ducta quantum ad Deum attinet, qui etiam exijs, quæ male fiunt inter homines bonum elicit, vt qui se ipsi regere nequeunt, ab alijs regantur, & eorum dominio subijciantur. F. Quid hi, ane rursus diuiduntur? P. Enimvero cum in seruorum conditione nulla sit differentia, quoniam serui iure ciuili pro nullis habentur, & eius quod non est nullæ sunt qualitates, liberi aut ingenui sunt, aut libertini. F. Qui sunt ingenui? P. Qui statim vt nati sunt liberi sunt, vt ostendit titulus

4. De ingenuis.

F. Qui libertini? P. Qui ex iusta seruitute manumissi sunt, vt demonstrat titulus

5. De libertinis.

F. Manumissio quidnam est? P. De manu datio, siue datio libertatis. Quæ quidem à naturali beneficentia proficiscens, vnicuique permessa est, nisi si quis in fraudem creditorum seruum suum forte manumittat, quod non licet, ne alteri per

8 PARATIT. IVR. CIVIL.

alterum iniqua conditio inferatur, vel minor octodecim annis sit is, qui manumittit, quod nō tenet, quoniam plenum animi iudicium non habet, vt docet titulus

6. *Quibus ex causis manumittere non licet.*

F. Recte. P. Cui accedit quod secundum legē Fufiam Caniniam, non nisi certum numerum seruorum olim testamento licebat manumittere, sed ea lex hodie sublata est, vt ostendit titulus

7. *De lege Fufia Caninia tollenda.*

Quod ideo factum est, quoniam libertates, quæ fauorabiles sunt, impedire, & quodammodo inuida esse videbatur.

De secunda personarum diuisione. Cap. IX.

F. Iam Iuris ciuilibus personarum diuifio quæ nā est? P. Quod omnes homines vel alieni iuris sunt, vel sui. F. Qui sunt alieni iuris? P. Qui potestati aliorum sunt subiecti. F. Qui sui? P. Qui sui proprij liberiq; sunt arbitrij, de quibus dicemus, vbi de prioribus fuerit explicatum.

De ijs qui alieni iuris sunt.

Caput X.

F. Ergo de ijs qui alieni iuris sunt quid ais? P. Hi vel in potestate dominorum sunt, vel in potestate parentum, quæ vtraque potestas certis modis soluitur.

De

LIBER I.

De ijs qui in potestate sunt dominorum. Cap. XI.

F. Qui sunt in potestate dominorum? P. Serui, quæ potestas est iurisperitorum, ut habet titulus
8. *De his qui sui vel alieni iuris sunt.*

Nam apud omnes per quæ gentes animadu-
uertere possumus, dominis in seruos vitæ ne-
cessitatis potestatem fuisse (quod secundum coniu-
ctionis humanæ principia, hodie mitigatum est)
& quodcunque per seruum acquiritur, id domi-
no acquiri.

*De ijs qui in potestate sunt paren-
tum. Cap. XII.*

F. Qui sunt in potestate parentum? P. Liberi
nostri, quos vel ex iustis nuptiis procreauimus,
vel adoptauimus. Estque hoc ius potestatis (quod
à potestate Dei, cuius vicarij parentes sunt, dedu-
citur) proprium ciuium Romanorum, quoniam
nulli sunt homines, qui talem in liberos potesta-
tem habent, qualem nos habemus, ut videre est
sub titulo

9. *De Patria potestate.*

F. Quæ sunt iustæ nuptiæ? P. Sane cum nup-
tiz siue matrimonium, sit viri & mulieris con-
iunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem con-
tinens, quod à prima natura profluit: Iustæ
nuptiæ sunt, quas inter se ciues Romani contra-
hunt, qui secundum præcepta legum coeunt, de
quibus est titulus

A 5

10. De

10. *Denuptijs.*

F. Quid adoptio? P. Cum quis eum in filium assumit, qui nō est, quod in solatium eorum qui liberos non habent fuit introductum, vt demōstrat titulus

11. *De adoptionibus.*

Ac fit quidem vel per arrogationem auctoritate principis, cum quis eum qui sui iuris est adoptat: vel per adoptionem speciali nomine, coram magistratu, cum quis parens filium suū alij dat adoptandum.

*De solutione utriusq; potestatis.**Cap. XIII.*

F. Quid vtraque autem potestas, an aliquo modo soluitur? P. Sane quidem, vt videre licet sub titulo

12. *Quibus modis ius potestatis soluitur.*

Et quidem cum serui à potestate dominorū manumissione liberentur: eos qui sunt in potestate parentum emancipatio, inter cætera, liberos efficit.

*De ijs qui sui iuris sunt.**Cap. XIII.*

F. Nunc de ijs qui sui iuris sunt, quid habes dicere? P. Hi vel in tutela sunt, vel in curatio-
ne, vel neutro iure tenentur, de quibus nihil opus est dicere, si priores cognoscantur. De quibus quidem ita trademus, vt primum de ijs qui in tutela sunt, dicamus, deinde qui
in

in curatione, tum de his quę vtrisque sunt communia.

De ijs qui in tutela sunt.

Cap. XV.

F. De ijs qui in tutela sunt quid ais? P. Primū quid tutela sit dicam, deinde quomodo diuidatur, post, quę eius sit authoritas, & denique quo pacto finiatur. F. Quidnam autem est tutela? P. Vis ac potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui per ætatem se defendere nequit, iure ciuili data ac permessa. Nam est naturali iuri conueniens, vt is qui perfectę ætatis non sit, alterius tutela regatur, vt habet titulus

13. De tutelis.

F. Quomodo diuiditur? P. In testamentariam, legitimam, & datiuam. F. Quę est testamentaria? P. Cū qui liberos suos in potestate habet (qui quā optime illis velle, & prospicere posse creditur) testamento ijs dat tutores. Et quidem eos quos vult, dummodo mente consentent, & legitimę sint ætatis, vt docet titulus

14. Qui testamento tutores dari possunt.

F. Quę legitima? P. Cū ijs quibus testamento tutor datus non est, ex lege (quę in locum parentum succedit) sunt tutores, tum quidem agnati (ob coniunctionem sanguinis) nempe qui per virilis sexus cognationem sunt coniuncti, de quibus est titulus

15. De legitima agnatorum tutela.

Nisi forte capitis diminutionem (quę prioris status

status mutatio est) sint passi, siue maximam, per amissionē libertatis: siue minorē, per amissionē ciuitatis: siue minimam, per amissionē familiæ, hoc est, agnationis ipsius, si forte homo sui iuris arrogandum se dederit, vt videre est sub titulo

16. De capitū diminutione.

Tum autem patroni, si quis forte seruum im-
puberem manumiserit, cuius ob summum be-
neficium ei præstitum, fit hæres & tutor legiti-
mus, vt habet titulus

17. De legitima patronorum tutela.

Tum vero parentes, si pater filium suum im-
puberem emancipauerit, quod quasi pro manu-
missione est, qua de re est titulus

18. De legitima parentum tutela.

Quibus accedit, quod moriente patre, filius
legittimę etatis, qui in potestate fuerat, fit fratri
suo impuberi emancipato tutor fiduciarius, vt
habet titulus

19. De fiduciaria tutela.

F. Quæ datiuæ? P. Cùm pupillis, qui neque te-
stamentarios tutores habent, neque legitimos,
magistratus, qui leges loquentes & pro commu-
nibus parentibus sunt, dāt tutores. Quod olim
secundum legem Attiliam Iuliamq; & Titiam
variè fiebat, sed hodie Romæ præfectus vrbi vel
prætor, in prouincijs præfides earum id faciunt,
secundum titulum

*20. De Attiliano tutore, & qui ex lege Iu-
lia & Titia datur.*

F. Authoritas tutorum quænam autem est?
P. Quod pupillus nisi tutore auctore, nihil,
quod

quod nocere ei queat, recte agere potest, ut habet titulus

21. *De autoritate tutorum.*

F. Quomodo finitur tutela? P. Pubertate, cum masculus pubes, femina viripotens efficitur, ut habet titulus

22. *Quibus modis tutela finitur.*

Censeturque masculus pubes decimoquarto, femina viripotens duodecimo ætatis suæ anno.

De ijs qui in curatione sunt.

Caput XVI.

F. Dehinc in curatione quinam sunt? P. Qui sub curatoribus degunt, de quibus est titulus

23. *De curatoribus.*

Et quidem masculi puberes, & femine viripotentes, usque ad vicesimum quintum annum completum curatores accipiunt, quia licet puberes sint, adhuc tamen eius ætatis sunt, ut sua negotia tueri non possint.

De ijs quæ utrisque sunt communia. Cap. XVII.

F. Restat de ijs, quæ tutoribus & curatoribus communia sunt, ut dicas. P. Hæc autem sunt, primum quod tutores & curatores, prædijs vel prædibus datis, satisfiant rem pupilli vel adolescentis saluam fore, quod ad cautionem eorum introductum est, ne quid damni patiantur, ut habet titulus

24. *De*

24. *De satisfactione tutorum vel curatorum.*

F. Audio. P. Deinde quod certis, iustis de causis veluti paupertatis, valetudinis, imperitiæ, & similibus, excusare se possunt ab onere tutelæ vel curæ, vt prodit titulus

25. *De excusationibus tutorum vel curatorum.*

F. Intelligo. P. Tum quod ob iustam suspicionem remoueri possunt à tutela vel cura, ne quid pupilli aut minores detrimenti patiantur, vt habet titulus

26. *De suspectis tutoribus vel curatoribus.*

Ac sunt quidem suspecti, qui non ex fide tutelam gerunt, vel qui moribus tales sunt, vt merito suspecti habeantur.

Derebus. Cap. XVIII.

F. Accepi de personis, deinceps de rebus expecto vt dicas. P. Hæ sunt, quibus homines ad vitam tuendam vtuntur, & iure certo modo describuntur. F. De ijs aut quid tractas? P. Aio duo summa huc pertinere capita, dominium, ad eas distinguendas, confusionis vitandæ causa, & commercium (cuius nexus est obligatio) ad eas communicandas, mutæ opis gratia.

De rerum dominio.

Cap. XIX.

F. Quid? circa dominium quid spectas? P. Diuisionem rerum, quantum ad ipsas attinet, & acquisitionem quantum ad homines, quantum

tum quidem per res singulas fit, tum autem per vniuersitatem : nam quemadmodum in mundo, homine, & alijs, ita & in rebus contingit, vt vel in tota aliqua vniuersitate consistant, vel in singulis tanquam partibus ac membris.

De diuisione rerum.

Cap. XX.

F. De diuisione rerum quid ais? P. Vna est ciuilis, quod omnes res vel in patrimonio nostro, vel extra patrimonium nostrum habentur. Quædam enim naturali iure communia sunt omnium mortalium, vt aër, mare: quædam publica prouinciarum, vt flumina: quædam vniuersitatis ciuitatum, vt theatra: quædam nullius, vt sacra, sancta, religiosa, quæ omnia extra prauatum sunt patrimonium: quædam singulorum, quæ in patrimonio habentur, vt est sub titulo

Lib. 2. 1. De rerum diuisione & acquirendo ipsarum dominio.

F. Intellego. P. Altera naturalis, quod quædam res corporales sunt, quæ sui natura tangi possunt, vt fundus, vestis, equus: quædam incorporales quæ tangi non possunt, cuiusmodi sunt seruitutes, quæ in iure consistunt, vt demonstrat titulus

2. De rebus corporalibus & incorporalibus.

F. Teneo. P. Ac sunt quidæ seruitutes (quarum ex beneficentia hominis in hominem ex re sua origo est) aliarum prædiorum, tam rusticorum, vt iter, actus via,

per

per fundum alienum, quam vrbanoꝝ quæ ædificijs inhzrent, vt tigna in alienum parietem immittere, altius tollere, luminibus officere, licere, vt docet titulus

3. *De seruitutibus rusticorum & vrbanoꝝ prædiorum.*

F. Recte. P. Aliæ personarum, vt vsusfructus, quod est ius alienis rebus vtendi fruendi, salua earum substantia, de quo est rubrica

4. *De vsufructu.*

Nec non vsus, in quo minus est quàm in vsufructu, & item habitatio in alieno, quæ media quodammodo est inter vsufructum & vsum, vt habet rubrica

5. *De vsu & habitatione.*

Quanquam effectui idem penè est legatum vsus & habitationis.

De acquisitione per res singulas.

Caput XXI.

F. Iam de acquisitione per res singulas dicito. P. Hæc autem est, cum certas aliquas res singulares acquirimus, quod tum quidem iure gētium fit, tum autem iure ciuili. F. Quomodo iure gentium? P. Primum occupatione: nam quod nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. F. Recte. P. Deinde traditione: quoniam nihil tam conueniens est naturali æquitati, quàm voluntatem domini, volentis rem suam in aliū transferre, ratam haberi. F. Quomodo iure ciuili? Primum per vsucapionem, si quis rem alienam mobilem, iusto titulo, bona fide, per triennium possi-

possideat (nam vsucapio est adiectio domini), per continuationem possessionis, temporis lege definiti) & longi temporis præscriptione, si quis alienam rem immobilem, decem annis inter præsentés, vel viginti inter absentes, possideat. Quod ideo iure ciuili introductum est, ne rerum dominia sint in incerto, de quare est titulus

6. *De vsucapionibus & longi temporis præscriptionibus.*

F. Probe. P. Tum per donationem, quæ est doni datio ex mera liberalitate, nam donari videtur, quod nullo iure cogente cõceditur, ex qua re non minus quam ex emptione & venditione actionem nasci, iure ciuili placuit, vt habet rubrica

7. *De donationibus.*

F. Optime. P. Ac fit nonnunquam vt qui dominus rei fit, eam alienare non possit, vt pupillus: & qui non fit, possit, si ea lege res pignori data est, vt si ad diem pecunia soluta nõ est, vendere eam creditori liceat, vt prodit rubrica

8. *Quibus alienare licet vel non.*

F. Recte. P. Et acquirimus nobis non solũ per nosmetipsos, sed & per eos quos in potestate habemus, vt demonstrat titulus

9. *Per quas personas cuiq; acquiritur.*

Nam cum filius in potestate idem prope sit cũ patre, seruus domini est quasi instrumentum.

De acquisitione per vniuersitatem. Cap. XXII.

B

F. Cedo

F. Cedo nunc quænam sit ratio acquirendi per vniuersitatem? P. Est autem, cum vniuersitatem aliquam acquirimus, quod tum quidem hæreditate fit, tum autem bonorum possessione, tum vero arrogatione, tum denique additione, de quibus singulis est explicandum.

De hæreditate. Cap. xxiiij.

F. Hæreditatem quam vocas? P. Hæreditas est successio in vniuersum ius, quod defunctus tempore mortis habuit, quæ res à natura manauit, qua liberorum procreatio, educatio, & successio constituta est. F. Quot modis defertur hæc successio? P. Ex testamento singulorum, & ab intestato, secundum præscriptionem legis generalis. Dicendum autem est de testamento, quid sit, quid in eo condendo spectetur, & quomodo ex eo acquiratur.

De successione ex testamento.

Cap. xxiiij.

F. Quidnam autem est testamentum? P. Testamentum ex eo appellatur, quod testatio mentis fit. Ac est quidem, voluntatis nostræ iusta sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri velit, haud secus atque Deus ipse sua nobis testamenta reliquit. F. Circa testamentum condenda quid spectas? P. Primum formam ordinandi testamenti, quæ in paganis certis & solennibus obseruationibus, sine quibus nihil fere rectè in rebus humanis agitur, constat, vt habet titulus

10. *De testamentis ordinandis.*

Sed ex militibus in expeditione degentibus, ob bellicas occupationes iure singulari sunt remissæ, dummodo de voluntate eorum constet, vt docet rubrica

11. *De militari testamento.*

F. Audio. P. Deinde personas testantium, nam non omnibus licet facere testamentum, cuiusmodi sunt, qui in aliena sunt potestate, impubes, furiosi, & alij qui vel libero arbitrio vel animi iudicio carent: vt videre licet sub titulo

12. *Quibus non est permissum facere testamentum.*

F. Teneo. P. Tum personas hæredum, nam qui filium in potestate habet, curare debet, vt eū hæredem instituat, vel exhæredatum nominatim faciat, alioqui si cum silentio præterierit, inutiliter testabitur, tanquam memoria destitutus, qui proprii sanguinis sui non meminerit, vt tradit titulus

13. *De exhæredatione liberorum.*

F. Quomodo acquiritur ex testamēto? P. Per vniuersitatem, & per res singulas. F. Per vniuersitatem quo pacto? P. Si quis hæres instituat, siue primo loco, quod institutio proprie dicitur, vt Titius hæres esto, qua de re est titulus

14. *De hæredibus instituendis.*

Siue secundo, quod substitutio, quæ tū quidem vulgaris est, vt Titius hæres esto, si hæres nō erit Seius hæres esto, vt ostendit titulus

15. *De vulgari substitutione.*

Tum autem pupillaris, vt Titius filius meus

B 2 hæres

20 PARATIT. IVR. CIVIL.

hæres esto, etsi filius meus hæres non erit, siue hæres erit, & prius moriatur, quàm in suam tutelam venerit, id est antequam pubes factus sit, tunc Scius hæres esto, vt est sub rubrica

16. *De pupillari substitutione.*

F. Recte. P. Atque ex his quidem institutionibus & substitutionibus testamentarijs acquiritur hæreditas, nisi fortè infirmatum fuerit testamentum, contraria voluntate testatoris, vel aliis modis, vt ostendit titulus

17. *Quibus modis testamenta infirmantur.*

Vel inofficiosum dicatur, si fortè liberi in potestate sine causa exhæredati vel præteriti reperiantur, quod non ex officio pietatis esse, demonstrat rubrica

18. *De inofficioso testamento.*

Et quidem est ratio, quia cū alij hæredes extranei dicantur, liberi in potestate, sui hæredes vocantur, quoniam scilicet domestici hæredes sunt, & viuo quoque patre cuius pars sunt, quodammodo domini existimantur, vt est sub titulo

19. *De heredum qualitate ac differentia.*

F. Quid? per res singulas quomodo autem ex testamēto acquiritur? P. Vno modo per legatū, vt demonstrat titulus

20. *De legatis.*

Et est legatum donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præstanda, vt Titio cētum do, lego. Quod quidem præstare hæres debet, nisi forte viuo testatore ademptum, vel ad aliā trāslatum fuerit, qua de re est titulus

21. *De*

21. *De ademptione legatorum & translatione.*

Ac quanquam autem lege duodecim tabularum tantum quisque legare posset, quantum vellet: lege tamen Falcidia cauetur, ne plus legare liceat quam dodrantem totorum bonorum, sic ut quarta pars apud hæredem vnum, vel plures remaneat, exhaustis per legata bonis, ne nemo subeat hæreditatem, contra ipsius testatoris votum, ut videre licet sub titulo

22. *De lege Falcidia.*

F. Audio. P. Alio modo per fideicommissa, Et est fideicommissum, cum fidei hæredis testator committit, ut, vel totam hæreditatem alicui restituat, quo casu quartam partem ex senatusconsulto Trebelliano detrahere potest, ut tradit titulus

23. *De fideicommissarijs hereditatibus, & ad Senatusconsultum Trebellianum.*

Vel res aliquas singulas, quas non minus quàm legata præstare debet, sic ut tantum valeat optatum testatoris quantum mandatum, ut ostendit titulus

24. *De singulis rebus per fideicommissum relictis.*

F. Probo. P. Atque hæc quidem, cum circa solennia testamenta ita se habeant, præter ea sunt codicilli, non solennes, ob varias hominum occupationes inducti, ut habet titulus

25. *De codicillis.*

Quibus licet non hæreditates, legata tamen & fideicommissa relinqui & adimi possunt.

*De successione ab intestato.**Cap. xxv.*

F. Post hæc de successione ab intestato aueo cognoscere. P. Ei tum fit locus, cum intestatus quis decedit, sic vt aut omnino testamentum nõ fecerit, aut non iure fecerit, aut id quod fecerit ruptum irritumve factum sit, aut si ex eo nemo hæres extiterit, quo casu cessante prouisione hominis intrat prouisio legis. F. Quotuplex autem est hæc successio? P. Triplex, ingenuorum hominum, seruorum, & libertorum. F. De ingenuorum successione quid ais? P. Hæc lege duodecim tabularum primum ad suos hæredes pertinet, hoc est, qui in potestate morientis fuerint, vt habet titulus

Lib. 3. 1. De hereditatibus que ab intestato deferuntur.

F. Bene habet. P. Deinde adagnatos, qui per virilis sexus personas defuncto sunt coniuncti, vt tradit rubrica

2. De legitima agnatorum successione.

Nisi quod ex Senatusconsulto Tertylliano, ob summam sanguinis coniunctionem, mater filio succedit, exclusis agnatis, secundum titulum

3. De Senatusconsulto Tertylliano.

Et ex senatusconsulto Orphiciano filius matri, exclusis quoque agnatis, secundum titulum

4. De senatusconsulto Orphiciano.

F. Recte. P. Tum vero ad cognatos, qui etiam per fœminini sexus personas cognatione iunguntur,

guntur, prout gradu cognationis sunt proximi,
vt tradit rubrica

5. De successione cognatorum

Ac sunt quidem gradus cognationis tres, v-
nus qui supra numeratur, parentum: alius qui
infra, liberorum: & tertius ex transuerso, siue à
latere, reliquorum consanguineorum, de qua
re est titulus

6. De gradibus cognationum.

F. Seruilem autem successionem quam vo-
cas? P. Qua parentes & liberi, è seruitute manu-
missi inter se excluso patrono noua humanita-
tis ratione, succedunt, vt habet titulus

7. De seruili cognatione.

F. Libertorum vero? P. Qua patronus liberto
suo sine liberis defuncto succedit, secundum ru-
bricam

8. De successione libertorum.

Vel post mortem eius, ille ex liberis ipsius, cui
libertum assignauit, secundum titulum

9. De assignatione libertorum.

Nam censuit senatus, quamuis ad omnes pa-
troni liberos æqualiter bona libertorum perti-
neant, tamen licere parenti vni assignare liber-
tum, vt post mortem eius, is solus patronus ha-
beatur.

*De bonorum possessione, arro-
gatione, & addictione.*

Cap. xxvj.

F. Post acquisitionem vniuersitatis per hære-
ditatem,

ditatem, iam de bonorum possessione quid dicis? P. Enimvero cum hæreditatis successio iure civili deferatur, quod secundum restrictam eius interpretationem, angustis finibus continetur, bonorum defuncti alicuius possessio, iure prætorio ex æquo & bono introducta est, ad fines illos dilatandos. Definiturq; bonorum possessio, ius persequendi retinendique patrimonij, siue rei, quæ cuiusque cum moritur fuit, de qua re est titulus

10. De bonorum possessionibus.

F. De arrogatione vero? P. Hæc acquisitio in eo consistit, quod cum paterfamilias sese arrogandum dat, omnes res eius corporales & incorporales, quæque ei debitæ sunt, arrogatori acquiruntur: nam accessorium sequitur suum principale: vt latius prodit titulus

11. De acquisitione per arrogationem.

F. De additione denique? P. Sanè si ij qui libertatem acceperunt à domino in testamento, ex quo non aditur hæreditas, velint sibi bona addici, eostam defuncti quam libertatis favore audiri tradit titulus

12. De eo cui libertatis causa bona addicuntur.

F. Intelligo. P. Præter quatuor supradictos modos acquirendi per vniuersitatem, solent esse alij duo, sed illi hodie sublatis sunt per titulum

13. De successione sublati, quæ fiebat per bonorum venditiones, & ex senatusconsulto Claudiano.

Acerat quidem successio per bonorum venditiones,

ditiones, quod bona debitoris tanquam vniuersitas quædam per multas ambages formularum vendebantur. Quæ formulæ quoniam sublatae sunt, simul & hæc res inde dependens cessat. Ex senatus autem consulto Claudiano, quod libera mulier seruili amore bachata, ipsam libertatem amittebat, & cū libertate substantiâ, quod nimis durum postea visum est.

De commercio & obligatione.

Cap. xxvij.

F. Quoniam de dominio rerum satis, ut videtur, diximus, age ad commercium earum deinceps transeamus. P. Hoc autem est quo homines res & operas suas inter se commutant, ac communicant. Cuius quidem rei quoniam nodus est obligatio, primum quid obligatio sit dicam, deinde quomodo diuidatur, unde reliqua consequentur. F. Quid autem est obligatio? P. Obligatio est iuris vinculum, quo quis necessitate astringitur alicuius rei soluendæ, secundum nostræ ciuitatis iura, ut habet titulus

14. De obligationibus.

F. Quomodo diuiditur? P. Quod omnes obligationes, aut ex contractu sunt, vel quasi ex contractu, ut alter alteri re & opera sua profit, aut ex maleficio vel quasi ex maleficio, ne alter alteri noceat. De singulis ordine explicabimus.

De obligationibus ex contractu.

Caput xxviij.

F. Quæ sunt obligationes ex contractu? P. Quæ

B 5 mutui

mutui beneficij causa sponte inter homines contrahuntur, siue re, siue verbis, siue literis, siue consensu.

F. Quæ sunt quæ re contrahuntur? P. In quibus res proficiscitur, vt obligatio nascatur: vt in mutuo vel quasi, commodato, deposito, pignore, contingit, vt latius demonstrat titulus

15. Quibus modis re contrahitur obligatio.

F. Quæ sunt quæ verbis? P. Quæ per solennè sunt stipulationem, ad maiorem cautionè. Ac est quidem stipulatio, verborum conceptio, quæ quis daturum facturumve se id quod interrogatus est respondet, vt latius tradit titulus

16. De verborum obligationibus.

F. Audio. P. Possuntque non solum singuli, sed & duo pluresue esse rei stipulandi & promittendi, secundum titulum

17. De duobus reis stipulandi & promittendi.

Et non solum liberi homines, sed & serui ex persona domini ius stipulandi habent, secundum titulum

18. De stipulatione seruorum.

F. Intelligo. P. Diuidunturque stipulationes, in iudiciales, prætorias, conuentionales, & cõmunes, secundum titulum

19. De diuisione stipulationum.

Et fit nonnunquam vt sint inutiles, tum quidem defectu formæ conceptionis verborum, tum autem defectu materiæ siue rei, quæ in stipulationem deducitur, tum vero defectu personarum stipulatum, alijsque varijs modis, de quibus est titulus

20. De

20. *De mutuis stipulationibus.*

F. Teneo. P. Et habent locum, non solum inter principales contrahentes, sed & si quis fideiussorio nomine pro alio, maioris cautionis gratia, se obliget, ut ostendit titulus

21. *De fideiussoribus.*

F. Quæ sunt quæ literis contrahuntur? P. Cùm per scripturam quæ se obligat, ut demonstrat titulus

22. *De literarum obligationibus.*

F. Quæ denique quæ consensu? P. In quibus neque ut res proficiatur necesse est, ad obligationem contrahendam, neque solennibus verbis aut literis, sed solus consensus sufficit, secundum titulum

23. *De obligationibus ex consensu.*

Ac sunt quidam huius generis quatuor contractus, qui sequentibus titulis continentur:

24. *De emptione & venditione.*

Cuius finis est, ut certum pretium pro re detur, contrahiturque simulac de pretio conuenierit.

25. *De locatione & conductione.*

Qua hoc agitur, ut certa merces pro usu rei detur. Contrahiturque intelligitur, si merces constituta sit.

26. *De societate.*

Quæ est, cum aut totorum bonorum, aut unius alicuius negotiationis fit communicatio, lucrique & damni participatio.

27. *De mandato.*

Quod est, cum negotium aliquod mandato alterius peragendum suscipitur.

De

De obligationibus quasi ex contractu. Cap. xxix.

F. Deinceps obligationes quasi ex contractu quænam sunt? P. Quæ non proprie nasci ex contractu intelliguntur, sed tamen quia non ex maleficio substantiam capiunt, quasi ex contractu nasci videntur, veluti si quis rem alicuius utiliter gerens, aliquid in eam impenderit, vt ostendit titulus

28. De obligationibus quæ quasi ex contractu nascuntur.

F. Bene habet. P. Atque vti de rerum acquisitione dictum est, ita & hic vsuuenit, vt non solû per nosmetipfos, sed & per eos qui in potestate nostra sunt, nobis acquiratur obligatio, secundum titulum

29. Per quas personas nobis obligatio acquiritur.

F. Teneo. P. Ac cum ijs modis quibus dictum est constituatur obligatio, sunt quoq; certi modi quibus tollitur, vt demonstrat titulus

30. Quibus modis tollitur obligatio.

Nempe solutione, acceptilatione, nouatione, delegatione & alijs de quibus hic agitur & post dicitur.

*De obligationibus ex maleficio.
Caput xxx.*

F. Iam de illis obligationibus exponito, quæ ex maleficio existunt. P. Hæ sunt quæ cum iniurijs

tis

tis contrahuntur, & ne alter alteri noceat prohibent, vt furtum, rapina, damnum, iniuria.

F. Quid vocas furtum? P. Furtum est contumelatio fraudulosa lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam vsus eius possessionisue, quod lege naturali prohibitum est admittere, vt docet titulus

Lib. 4. 1. De obligationibus quae ex delictis nascuntur.

F. Quam rapinam? P. Cum quis vi res alienas rapit, qua de re est titulus

2. De vi bonorum raptorum.

F. Quod damnum? P. Quod iniuria datur, ve si quis alienum hominem alienamue quadruplem iniuria vulneret, occidat, quod lege Aquilia vindicatur, vt docet titulus

3. De lege Aquilia.

F. Quam denique iniuriam? P. Sane cum generaliter iniuria dicatur, omne quod non iure fit, vt habet titulus

4. De iniurijs.

Specialiter alias contumelia est, qua quis verbo vel facto afficitur, quo quidem modo hic accipitur, alias culpa, sicut in lege Aquilia, damnū iniuria datum. Ac cum furtum, rapina, damnū, ad res nostras pertineant, iniuria proprie personarum est.

De obligationibus quasi ex maleficio. Cap. XXXI.

F. Restat de obligationibus quae quasi ex maleficio

maleficio sunt vt referas. P. Ad has pertinet titulus

s. De obligationibus que quasi ex delicto nascuntur.

Ac sunt quidem huius generis, cum quis non proprie ex maleficio, neque item ex contractu obligatus est, sed tamen aliquid peccasse intelligitur: veluti si iudex per imprudentiam male indicauerit, litemq; suam fecerit.

De actionibus. Cap. XXXII.

F. Audiui de personis, audiui item de rebus, nunc de actionibus si placet reddito. P. Actio est ius persequendi in iudicio quod sibi debetur quæ res ideo constituta, vt quod inter duos non conuenit, per tertium dirimatur. F. Quomodo diuiduntur actiones? P. In ciuiles ad bonum inducendum, & criminales ad malum vindicandum, & prætorias ad vtrunque, de quibus singulis exponemus.

De actionibus ciuilibus.

Cap. XXXIII.

F. Quæ sunt actiones ciuiles? P. Quibus de re pecuniaria ad commodum priuatum lege agitur. F. De his autem quid tractas? P. Cuius nomine competant, & quomodo deducantur in iudicium.

F. Cuius autem nomine competunt? P. Vel proprio nomine, qua de re tractat titulus

6, De

6. De actionibus.

Vel alieno, veluti si quis (exempli gratia) cum filio seruove meo me iubente cōtraxerit, quod ego teneor agnoscere, vt habet titulus

7. Quodcum eo, qui in aliena potestate est negotium gestum esse dicitur.

Aut si seruus meus alicui nocuerit, quo casu aut litis estimationem sufferre debeo, aut ipsum hominem noxæ dedere. Estq; noxa ipsum corpus quod nocuit, id est seruus: Noxia ipsum maleficio, veluti furtum, rapina, damnum, iniuria, vt docet titulus

8. De noxalibus actionibus.

Vel etiam si quadrupes mea pauperiem fecerit, quo casu noxalis quoque actio prodita est. Estq; pauperies damnum sine iniuria facientis datum: nam non potest animal iniuriam fecisse dici, quod sensu caret, secundum titulum

9. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.

F. Quomodo deducuntur in iudicium? P. Idem quidem à parte actoris spectatur, qui vel ipse agit, vel per alios qui procuratorio nomine id facere dicuntur: nam quod quis per alium facit, ipse facere videtur, vt habet titulus

10. De ijs per quos agere possumus.

Eoq; nomine fideiussoribus datis, satisdant rem ratam dominum habiturum, vt demonstrat rubrica

11. De satisfactionibus.

Dispiciendo porro diligenter, vtrū actio qua agere velit, perpetua sit, an tempore pereat, vtrumve ad hæredes actoris, & in hæredes rei

rei transeat, nec ne, ne frustra quis experiatur & agat, nam vt actionum huiusmodi sit distinctio, permultæ causæ sunt, vt docet titulus

12. *De perpetuis & temporalibus actionibus, & quæ ad heredes & in heredes transeunt.*

F. Intelligo. P. Tum autem à parte rei conueniti, cuius defendendi gratia, (quæ res naturalis est) variæ sunt comparatæ exceptiones. Estq; exceptio dicta quasi quædam exclusio, quæ opponi actioni cuiusque rei solet, ad excludendum id quod in intentionem condemnationis deductum est, vt videre licet sub titulo

13. *De exceptionibus.*

Aduersum quas à parte actoris proponitur replicatio, per quã replicatur atque resoluitur ius exceptionis, vt habet titulus

14. *De replicationibus.*

Et contra replicationem competit reo duplicatio, contraque duplicationem actori triplicatio, ne cuiquam suum ius maneat indefensum.

De actionibus prætorijs.

Cap. XXXIII.

F. Nunc actiones prætoriz quænam sunt? P. Quæ ex interdictis prætorum competunt. Ac sunt quidem interdicta, formæ ac conceptiones verborum, quibus prætor iubet aliquid fieri, aut fieri prohibet, quod tum maxime fit, cum de possessione aut quasi possessione inter aliquos contenditur, ad turbam, quæ paci publicæ,

blicę contraria est, vitandam, vt demonstrat titulus

15. De interdictis.

F. Audio. P. Ac ne, tam his quàm alijs in rebus homines ad litigandum facile procedant: comparatum est, vt temeritas tam agentium, quàm eorum cū quibus agitur, modo pecuniaria pœna, modo iurifiurandi religione, modo infamiz metu, coërceatur, vt ostendit titulus

16. De pœna temere litigantium.

F. Intelligo. P. Ac quantum ad iudices attinet, debent & illi secundum cuiusque actionis naturam, officium suum facere: vt habet titulus

17. De officio iudicis.

Teneturq; generaliter obseruare iudex, ne aliter iudicet, quàm legibus, aut constitutionibus, aut moribus, proditum est.

De actionibus criminalibus.

Cap. XXXV.

F. Denique criminales actiones quænam autem sunt? P. Quibus de crimine (quod atrocius est quam delictum) vindicando agitur, iudicio publico, quod ab alijs iudicijs, de quibus dictū est, penitus est diuersum, vt habet titulus

18. De publicis iudicijs.

Dicunturq; publica iudicia, quod cuiuis è populo executio eorum plerumq; datur, & quod ad vtilitatem publicam pertinent, vt delicta puniantur.

LIBER SE=

C V N D V S.

De libris Digestorum seu Pandectarum.

Cap. I.



Post Isagogicos libros decurfos, quid, visne de principalibus porro te interrogem? P. Sane volo, ac primum quidem de quinquaginta libris Digestorum siue Pandectarum, quibus in septem partes diuisis, inde nomen est, quod certa ratione ac methodo, secundum perpetui edicti ordinem, digesti, omnem omnino veterem prudentiam ciuilem, ex antiquis Iurisconsultis collectam continent, eiusque usum & exercitium per iudicia, demonstrant, vnde fit vt haud paulo alio ordine, quam libri Isagogici, constant. F. At quonam autem? P. Enimvero summa eorū diuisio est, in τὰ πρῶτα siue priora iuris & iudiciorum, quæ proæmij loco, & quasi pro capite sunt: in iura ipsa & iudicia, quæ pro re & corpore ipso: & in posteriora iuris & iudiciorum, quæ pro epilogo & quasi pedibus sunt. Tractabimus autem ordine de singulis.

τα πρώτα *Iuris & iudiciorum.*

Caput II.

F. Ergo τα πρώτα iuris & iudiciorum quæ nã vocas? P. Quibus prima rudimenta & principia, eorum quæ iura ipsa & iudicia præcedunt, continentur. F. Ea quomodo autem partiris? P. In principia iuris, quæ pro forma sunt: principia subiectorum iuris, quæ pro materia: & principia iudiciorum, per quæ ius suũ cuiq; circa quamq; rem, tribuitur.

De principijs iuris.

Cap. III.

F. Principia iuris in quibus consistunt? P. In tribus. F. Quod est primum? P. Vt quid iustitia, quid ius sit, intelligas, de qua re est titulus

Lib. 1. 1. De iustitia & iure, de quibus ante dictum est.

F. Quod alterum? P. Vt originem iuris ciuiliſ Romani, & magistratuum, qui secundum id iudicant, & iurisconsultorum, qui id interpretantur, teneas, secundum titulum

2. De origine iurie, & omnium magistratuum, & successione prudentum.

Ac repetitur quidem origo iuris à legibus curiatis Romuli & aliorum regum, & lege duodecim tabularum populi, cū suis legis actionibus, nec non constitutionibus principum siue Imperatorum: Magistratuum autem ab ijs qui tum

C 2 quidem

quidem à regibus, tum autem à patribus, tum vero à populo, fuere constituti: Et prudentum denique à Papyrio vsque ad Sabinum, & à Sabino vsque ad Papinianum. F. Quod tertium? P. Ut quæ iuris ciuile diuisio sit intelligatur. Ac cū omne ius ciuile vel scriptum sit, vel non scriptū, vt sub titulo Institutionum, De iure naturali gentium & ciuili proditur: scriptum rursus partim principum constitutionibus continetur, quod monarchiæ est, partim senatusconsultis, quod aristocratix, partim legibus speciali nomine, quod democratiæ, vt videre licet sub titulis

3. *De legibus & senatusconsultis & longa consuetudine.*

4. *De constitutionibus principum.*

Et sunt quidem constitutiones principum, quæ ab Imperatore Romano proficiscuntur: nã quod principi placuit legis vigorem habet. Senatusconsulta, quæ senatus iubet atque constituit, nam non ambigitur senatum ius facere. Leges speciali nomine, quas populus Romanus senatorio magistratu interrogante, veluti consule, constituit. Ius non scriptum, quod vsus approbavit: nam quæ moribus & diuturna consuetudine inducta sunt, legem imitantur, siue speciali legis nomine, ob tacitum populi consensum, siue generali, quo omnia supradicta legis appellatione comprehenduntur. Nam lex generaliter est commune præceptum, virorum prudentium consultum, delictorum quæ sponte vel ignorantia contrahuntur coercitio, communis reipublicæ sponsio.

De

De principijs subiectorum iuris.
Cap. IIII.

F. Principia subiectorum iuris quænam sunt?
 P. Quod omne ius vel ad personas pertinet, vel ad res, vt supra dictum est.

F. Quid dicis de personis? P. Harum secundū ea quæ supra tradita sunt, vna diuifio, in liberos est, & seruos. Quo pertinet titulus

5. De statu hominum.

Altera in eos qui sui iuris sunt, & qui alieni, siue sub dominica potestate sint, siue sub paterna, quæ etiam per adoptionem constituitur, & soluitur per emancipationem, cui inde nomen esse traditur sub rubrica Institutionum, Quibus modis ius patris potestatis soluitur: quod olim patres per imaginarias venditiones, & intercedentes manumissiones liberos de manu sua dimittere solent, de quibus sunt tituli

6. De his qui sui vel alieni iuris sunt.

7. De adoptionibus, & emancipationibus, & alijs modis, quibus potestas soluitur.

F. Quid de rebus? P. Has diuersis modis diuidi, supra quoque diximus. Pertinetque eodem titulus

8. De diuisione rerum & qualitate.

Ac est quidem diuifio, ipsa partitio, qualitas, quæ ex cuiusque membri differentia existit.

C 3 De

*De principijs iudiciorum.**Caput V.*

F. Dehinc de principijs iudiciorum reddito. P. Hæc tum quidem in iudicibus spectantur, coram quibus agitur, tum autem in ipsorum iurisdictione, tum verò in primo ingressu in iudiciũ, tum denique in ijs quæ pendente lite fere solent interuenire.

De iudicibus. Cap. VI.

F. Iudices autem quos vocas? P. Qui tum quidem voluntariam iurisdictionem exercent, quæ in adoptionibus, emancipationibus, manumissionibus & similibus, consistit: tum autem contentiosam, cum iudicium redditur in inuitum. F. De ijs autem quid tractas? P. Quinam ipsi sint iudices, qui eorum delegati, & qui assessores, nã haud fere fit, vt vnus solus omnibus rebus sufficiat. F. Qui sunt ipsi iudices? P. Alij Palatini (qui summus est eorũ gradus) vt senatores, qui pars corporis principis sunt, & senatoriũ ordinem, ante equestrem & plebeium, in republica constituunt: Consules, quorum officium inter cætera negotia ciuilia est, consilium præbere manumittere volentibus: Præfecti prætorio, qui principi ad sociati secundam in re militari (quantum ad prætorianos milites attinet) post eum potestatem gerunt, vt ostendunt tituli

9. *De senatoribus:*

10. *De officio consulis.*

11. *De officio præfecti prætorio.*

F. Bene

F. Bene habet. P. Alij vrbici (qui secundi sunt gradus) vt præfectus vrbi, ad quem custodia vr- bis Romæ pertinet, quæ eius fidei commissa est: Quæstor, qui quærendæ pecuniæ præest: Prætor, qui rebus iudicandis: Præfectus Vigilū, qui excubijs nocturnis, de quibus sunt tituli

12. *De officio præfecti vrbi.*

13. *De officio quæstoris.*

14. *De officio prætoris.*

15. *De officio præfecti Vigilum.*

F. Intelligo. P. Alij prouinciales (quorum tertius est gradus) qui quoniam prouincijs regendis ac gubernandis præfident, præfides generaliter vocati, varia speciatim habent nomina, vt proconsul, qui sex fascibus, vtitur, cuius vices gerit legatus: Præfectus Augustalis, qui tanquam Augusti Vicarius Ægypto præest: Præfes speciali nomine, qui maius imperiū in sua prouincia habet omnibus post principem: Procurator Cæsaris vel rationalis, qui negotia Cæsaris agens, simul & prouinciæ præfidet: & Iuridicus, qui Alexandriæ ius dicit, ad quos pertinent tituli

16. *De officio proconsulis.*

17. *De officio præfecti Augustalis.*

18. *De officio præfidis.*

19. *De officio Procuratoris Cæsaris vel rationalis.*

20. *De officio Iuridici.*

F. Qui sunt delegati iudicum? P. Qui mandata ab ijs iurisdictionē susceperunt, vnde proprium nihil habere dicuntur, sed eius qui mandauit iurisdictione uti, vt habet titulus

C 4

21. De

21. *De officio eius cui mandata est iurisdictio.*

F. Qui assessores? P. Qui ut consiliarij iudicū ijs assident, ut monstrat titulus

22. *De officio assessoris.*

Quod quidem fere consistit, in cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis, epistolis.

De iurisdictione omnium iudicum. Cap. VII.

F. Iam iurisdictio horum iudicum, quænam autè est? P. Enimvero cum iurisdictio generali nomine, sit iuris exercendi potestas, ad ius suum cuiq; tribuendum: illi tres subiectæ sunt species. Imperium merum, quod est habere gladij potestatem, ad animaduertendum in facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur. Imperium mixtum, quod in danda bonorum possessione, ad cõtentiones tumultuarias vitandas cõsistit. Et iurisdictio speciali nomine, quæ est iudicandi, de rebus ciuilibus, & iudicis dandi licentia, ut traditur sub titulo

Lib. 2. 1. De iurisdictione.

F. Bene dicis. P. Ac ne quis iurisdictione sua abutatur, subditur ex naturali æqualitate deductus titulus

2. *Quod quisque iuris in alterum statuerit, ut ipse eodem iure utatur.*

F. Rectè. P. Et ecõtra, ne quis iurisdictionem contemnat, subijcitur quoque titulus

3. *Si*

3. *Si quis ius dicenti non obtemperauerit.*

Vbi traditur, omnibus magistratibus (exceptis municipalibus) secundum ius potestatis suæ concessum esse, iurisdictionem suam defendere pœnali iudicio, ne elusorium sit quod agunt.

De primo ingressu in iudicium.

Caput VIII.

F. De primo ingressu in iudicium cedo quid habes? P. Hic partim in vocatione in ius cōsistit, partim in editione. F. Quid est in ius vocare? P. Iuris experiundi causa vocare, vt habet titulus

4. *De in ius vocando.*

F. Audio. P. Et quidem is qui in ius vocatus est (nisi forte sit ex eorum numero, qui ex edicto prætoris ob honorem illis debitum vocari non possunt, vt si quis parentem vel patronum sine permisso prætoris vocauerit) venire debet, vel satisfidando cauere se venturum, & si quis in ius vocatum vi eximat, grauitèr punitur, vt videre est sub titulis

5. *Si quis in ius vocatus non ierit, sine quis eum vocauerit, quem ex edicto non debuerit.*

6. *In ius vocati vt eant, vel satis aut cautum dent, prædys scilicet vel prædibus.*

7. *Ne quis eum qui in ius vocabitur vi eximat.*

F. Intelligo. P. Ac cum generaliter in præstantia cautione, alij satisfidare teneantur, quod est, cū aduersario nostro, pro eo quod petit, ita caue-

C 5 mus,

mus, vt eum hoc nomine securum faciamus, datis fideiussoribus, alij iurato duntaxat promittant, quod minus est, alij suæ promissioni committantur, quod minimum: quæ res ex personarum coniunctione & qualitate statuitur: specia- citer placuit, si quis eum, de quo noxalis actio est, iudicio fisci promisit, vt in eadem causa eum exhibeat, in qua tunc est, donec iudicium accipia- tur, vt demonstrant tituli

8. *Qui satisfacere cogantur, vel iurato promittant, vel suæ promissioni committantur.*

9. *Si ex noxali causa agatur quemadmodum caueatur.*

F. Teneo. P. Et quidem cautione ista iudicio fisci data, si per quem dolo fiat, quo minus is qui promisit, iudicio sistat, punitur. Et si is ipse qui cauit iudicio fisci nõ obtemperat, committitur stipulatio, nisi fortè ferix vindemiarum vel messi- um, aut dilationes à iudice cõcessæ, aut quæ a- liæ causæ excusationem præbeant, vt demon- strant tituli

10. *De eo per quem factum erit, quo minus quis in iudicio sistat.*

11. *Si quis cautionibus in iudicio sistendi cau- sa datis non obtemperauerit.*

12. *De feriis & dilationibus & diuer- sis temporibus earum.*

F. Nunc de edendo reddito. P. Enimvero vt ius in ius vocat⁹ venire tenetur, ita actor post- quam eo vêtum est, edere debet, qua actione a- gere volet, vt proinde sciat reus vtrum cede- re

re an contendere vltra debeat , vt tradit titulus

13. *De edendo.*

Atque est quidem edere, etiam copiã describendi facere, vel in libello complecti & dare, vel dictare.

Deijs quæ pendente lite fere interueniunt.

Cap. IX.

F. Superest de ijs vt dicas quæ pendente lite fere interueniunt. P. Hæc autem sunt conuentiones, postulationes, in integrũ restitutiones , & arbitria.

De conuentionibus.

Cap. X.

F. Conuentiones autem quas vocas? P. Conuentionis nomen generale est ad omnia pertinens de quibus negotij contrahendi transigentibus causa consentiunt, qui inter se agunt. F. Quas autem hic illi supponis species? P. Duas, pactum nempe, non quidem generali nomine , quod est duorum pluriũmve in idem placitum consensus, sed specialiter de non petendo in iudicio eo quod debetur: & transactionem, cum à lite iam coepta certa conditione receditur, vt ostendunt rubricæ

14. *De pactis.*

15. *De transactionibus.*

Et

44 PARATIT. IVR. CIVIL.

Et quidem cum qui paciscitur donationis causa, rem certam & indubitata[m] liberalitate remittat: qui transigit, quasi de re dubia, & lite incerta neq[ue] finita, aliquo dato vel retento transigit. Nam transactio nullo dato, vel retento, vel promisso, minimè procedit. Tam pactum autè quàm transactio seruari debet, ex æquitate naturali, quoniã nihil tã congruũ est humanæ fidei, quam ea quæ inter illos placuerint seruari.

De postulationibus.

Cap. XI.

F. De postulationibus quid dicis? P. Postulare est, desiderium suum, vel amici sui in iure apud eum qui iurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. Quod quidem omnibus permittitur, nisi quibus nominatim hoc prohibetur, inter quos maximè sunt qui infamia notantur, vt lenones, præuaricatores, fures, & alij homines turpes, de quibus sunt tituli

Lib. 3. 1. De postulando.

2. De his qui notantur infamia.

F. Rectè. P. Ac qui pro alijs postulant, vel ex mandato id faciunt, vt procuratores priuatorũ hominum, & eorũ defensores, si quando conueniantur, nam procurator est qui aliena negotia mandatu domini administrat, & syndici siue actores ciuitatum, & aliarum vniuersitatũ: nam quibus permissum est corpus habere collegij, ijs & actorem siue syndicum habere permittitur,
per

per quem tanquam in republica, quod communiter agi fierique oporteat, agatur, fiat: vel sine mandato, ut negotiorum gestores, qui ex naturali beneficentia sponte sua nulla necessitate cogente negotia aliena suscipiunt, eaque gerunt, ne indefensi damnum vel iniuriam patiantur, ut produnt tituli

3. *De procuratoribus & defensoribus.*

4. *Quod cuiusque universitatis nomine vel contra eam agatur.*

5. *De negotiis gestis.*

F. Optime. P. Estque lex generalis de postulando, & de omnibus ijs qui postulant, ut calumnia, qua nihil iuri & iudicio magis est contrarium, abfit, ut videre licet sub titulo

6. *De calumniatoribus.*

Vbi traditur, in eum qui ut calumnie causa negotium faceret, vel non faceret, pecuniam accepisse dicitur, intra annum in quadruplum eius pecunie quam accepisse dicitur, post annum simpli in factum actionem competere.

De in integrum restitutionibus.

Caput XII.

F. Sequitur de in integrum restitutione ut exponas. P. In integrum restitutio est, cum ei, qui lapsus vel circumventus est, magistratus causa cognita (quod in his rebus omnino necessarium est) subueniens, in pristinum statum eum restituit, ut ostendit titulus

Lib. 4. 1. De in integrum restitutionibus.

F. Intelligo. P. Ac proficitur autem omnis reiti-

46 PARATIT. IUR. CIVIL.

restitutionis causa, tum quidem ex facto, tum autem ex persona, tum vero ex re. F. Ex facto autem? P. Veluti si quis metus causa quid fecerit, vel dolo malo circumuentus, nam iustitiae plane aduersa sunt vis & dolus. Ac est quidem metus, timor, non quilibet, sed maioris mali & qui non vani sit hominis, sed qui merito & in hominem constantissimum cadat. Dolus malus, omnis calliditas, fallacia & machinatio, ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita, vt videre est sub rubricis

2. *Quod metus causa gestum erit.*

3. *De dolo malo.*

F. Ex persona verò? P. Partim eius qui læditur, cuiusmodi est minor viginti quinque annis, cuius, naturalem æquitatem sequutus prætor, tutelam suscepit: nam cum inter omnes constet, fragile esse & infirmum huiusmodi ætatum consilium, & multis captionibus suppositum, multis iniurijs expositum, auxilium eis pollicetur, & aduersus captiones opitulationem: partim eius qui lædit, veluti si qui mihi debet, cum omnibus bonis suis se det arrogandum, quod mihi nocere non debet, & ideo perinde quasi id factum non sit, in eum iudicium datur, vt produnt tituli

4. *De minoribus viginti quinque annis.*

5. *De capite minutis.*

F. Ex re denique? P. Tum quidem eius qui læditur, veluti si per id tempus quo quis rei publicæ operam dabat, vel aduerso casu laborabat, res eius vsucapta sit, aduersum quod ei succurritur. Tum vero eius qui lædit, vt si quis per rei
qua

qua de agitur alienationem, oppposito nobis alio aduersario, exitum iudicij duriolem constituit, quem eo nomine teneri placuit, vt habent tituli

6. *Ex quibus causis maiores viginti quinque annis in integrum restituantur.*

7. *De alienatione iudicij mutandi causa facta.*

Quod est exempli gratia, si quis data opera in fraudem nostram alienando rem, alterius provincie hominem, aut potentiolem nobis operosus fuerit.

De arbitrijs. Cap. XIII.

F. Superest de arbitrijs vt exponas. P. Ea sunt cum ad viri boni arbitrium res à partibus ex compromisso reijcitur, quod ad finiendas lites easque amice componendas, vti inter bonos decet, pertinet. F. Intelligo. P. Ac quantum ad arbitrum compromissorium attinet, tametsi prætor neminem cogat arbitrium recipere, quoniã hæc res libera & soluta est, & extra necessitatem iurisdictionis posita, attamen vbi semel quis in se recipit arbitrium, ad curam ac sollicitudinem suam hanc rem pertinere, prætor putat, non tantum quod studeat lites finire, verum quoniam non deberent decipi, qui cum quasi virum bonum disceptatorem inter se elegerat, prout latius videre licet sub titulo

8. *De receptis, qui arbitrium receperunt vt sententiam dicant.*

F. Optimè, P. Qua quidem ratione posteriori,

ri, nautæ quoque, caupones, & stabularij (vt hoc obiter hic dicatur) quod cuiusque saluum fore receperint, restituere debent, secundum titulum

9. *Nauta, caupones, stabularij vt recepta restituant.*

Ac accipimus quidem hic nautam, qui nauæ exercet, ad vectores recipiendos: cauponē, qui cauponam, ad viatores: stabularium, qui stabulum, ad iumenta

De iudicijs & eorum diuisione.

Caput XIII.

F. Post rā *ωρῶτα* iuris & iudiciorum exposita, age transeamus nunc ad ipsa iudicia, cū quibus & iura eorum sunt cōiuncta. P. Fiat. Ac sunt quidem iudicia, quæ coram competenti iudice inter actorem & reum exercentur iuris decernendi causa. Estq; competens iudex, vbi domicilium reus habet, cuius forum naturali ratione actor sequitur, vel negotium cōtractum est, vel vti conueniatur conuentum, vt videre licet sub titulo

Lib. 5. 1. De iudicijs, & vbi quisque agere vel conueniri debeat.

F. Quomodo diuiduntur iudicia? P. In ciuilia, prætorialia, & criminalia: de quibus singulis ordine distincteq; ac separate (nisi quod ob materiæ continentiam paucula quædam subinde miscetur) est tractandum, pertinentq; ciuilia iudicia ad bonum inducendum, criminalia ad malum vindicandum, & prætorialia ad vtrunq;.

De

*De iudicijs ciuilibus.**Cap. XV.*

F. De iudicijs ciuilibus quid habes dicere? P. Hæc à iure legibusq; ciuilibus orta, vnde nomē habent, vel ad res pertinent, vel ad personas. F. Quæ pertinent ad res? P. Quæ tum quidem dominium earum spectant, quo nomine vendicationes, siue actiones in rem competunt: tum autē commercium, quo nomine conditiones, siue actiones in personam. F. Quæ ad personas? P. Quæ partim maris & fœminæ coniunctionem liberorumq; procreationem & educationem respiciunt, partim successionem post mortem. F. Rectè. P. Adeo vt quatuor istis summis capitibus, omnes ciuiles actiones cõtineantur, quas singulatim explicabimus.

*De iudicijs in rem.**Cap. XVI.*

F. Primum ergo de iudicijs in rem quid tractas? P. Hæc alia principalia sunt, alia accessoria. F. Audio. P. Ex quibus principalia, vel rerum sunt, vel personarum, vel mixta. F. Intellico. P. Ex quibus rursus ea quæ rerum sunt, vel ad vniuersitatem pertinent, vel ad res singulas, partim corporales, partim incorporales. quæ in seruitutibus tum quidem personalibus, tum verò prædialibus consistunt. Ibimus autem ordine per singula.

D De

De vniuersitatis rerum petitione. Cap. XVII.

F. Ad vniuersitatem igitur quænam autem iudicia pertinent? P. Quibus hæreditas petitur. Quo quidem vt perueniatur, sæpe opus est, vt testamētum prius inofficiosum dicatur, ad eius obstaculum antè remouendum. Quod fit dum quis allegat, quare exhæredari vel præteriri nõ debuerit, quod plerumque accidit, cum falso parentes instimulati, liberos suos vel exhæredāt, vel prætereunt, vt videre est sub titulo

2. De inofficioso testamento.

F. Sic est. P. Atque hoc quidem modo expugnato testamento per inofficiosi querelam, proceditur ad ipsam petitionem hæreditatis, quæ tum quidem civilis est, siue tota hæreditas petatur, siue pars eius, iure successionis civilis ex testamento, vel ab intestato, vt habent tituli

3. De petitione hereditatis.

4. Si pars hereditatis petatur.

Tum autem prætoria, si quis bonorum possessionem adeptus velut hæres factus est, quo pertinet titulus

5. De possessoria hereditatis petitione.

Tum vero fideicommissaria, si quis ex fideicommissio restitutam forte hæreditatem suscepit, vt habet rubrica

6. De fideicommissaria hereditatis petitione.

Recipit hæc actio eadem, quæ hæreditatis petitio civilis

De

De singularum rerum corporalium petitione.

Cap. XVIII.

F. De singulis rebus corporalibus quid ais? P. Hæ sunt, quarum nomine specialis in rem actio competit. Quæ locum habet in omnibus rebus mobilibus, tam animalibus, quàm his quæ anima carent, & in his quæ solo continentur. F. Rectè. P. Et quidem si is qui eas petit vere dominus est, agit rei vindicatione ciuili, secundum titulū (cuius & in Institutionibus sub titulo de actionibus fit mentio)

Lib. 6. 1 De rei vindicatione.

Si vero non est dominus, sed cum eam bona fide à non domino, ex iusta causa traditam, accepisset, post ab alio ante perfectam vsucapionem possessam repetit, datur ei, ex fauore, actio honoraria, secundum titulum

2. De publiciana in rem actione.

F. Optime. P. Et qui agrum possidet vectigalem, quamuis non efficiatur dominus, tamē obius perpetuum quod habet, placuit ei competere in rem actionem aduersus quemuis possessorem, vt habet titulus

3. Si ager vectigalis, id est, emphyteuticarius petatur.

Atque est quidē ager vectigalis, q in perpetuū locatur, id est hac lege, vt quādiu pro eo vectigal pendatur, tādīu neq; ipsi qui cōduxerit, neq; his qui in locū eius successerint, auferri eū liceat.

*De singularum rerum incorp-
 oralium personalium petiti-
 one. Cap. XIX.*

F. Res singulæ incorporales personales quænam sunt? P. Quas seruitutes personales supra vocauimus, cuiusmodi sunt vsusfructus vel quasi, vsus vel quasi, vbi & cautio intercedit, quorum sub titulis institutionum eodem pertinentibus, & de actionibus, fit mentio.

F. De vsufructu quid dicis? P. Enimvero cum is circa res alienas versetur, vt dictum est, regula est, vt qui id facit, ijs vtatur fruatur boni viri arbitratu, vt demonstrat titulus

*Lib. 7. 1. De vsufructu, & quemadmodum
 quis utatur fruatur.*

Et si duobus aut pluribus coniunctim vsufructus legatus est, vno non petente accrescit alteri: quoniam incorporalis est, & ob id in partes diuidi nequit, ceditq; legatum adita demum hæreditate, quia nisi aliquis sit primùm propriarius, nō potest esse vsufructuarius, quoniã dependet ab eo. Ac amittitur quidem tam vsus quam vsusfructus rei interitu cui inhæret, & morte fructuarij cui competit. Ac quanquam quidem vsusfructus proprie earum rerum est, quæ vsu non consumuntur, vt domus, fundi, annuli, est tamen quoque quasi vsusfructus earum rerum, quæ vsu tolluntur vel minuuntur, vt vini, olei, pecuniæ numeratæ, data nimirum cautione, de tanta quantitate reddenda finito vsufructu, qd^r
 ratione

ratione ciuili ex naturali per fauorem deriuata, vt fit, inductum est. Et si petitur vsusfructus, confessoria, si deberi negatur, negatoria actione agitur, vt de his omnibus ordine videre licet, sub titulis

2. *De vsusfructu accrescendo.*

3. *Quando dies vsusfructus legati cedat.*

4. *Quibus modis vsusfructus vel vsus amittatur.*

5. *De vsusfructu earum rerum quæ vsu consumuntur vel minuuntur.*

6. *Si vsusfructus petatur, vel ad alium pertinere negetur.*

F. *Intelligo. P.* Ac sunt quidem pro quasi vsufructu, operæ seruorum legatæ, nam fructus hominis in operis consistit, vt demonstrat titulus

7. *De operis seruorum.*

F. *Quid ais de vsu? P.* Hunc minorem quam vsusfructum esse, supra diximus, nam est sine fructu. Estq; quasi vsus, habitatio, quam effectû penè eandè cum vsu esse traditur sub rubrica

8. *De vsu & habitatione.*

F. *Quid de cautione? P.* Eius fit mentio sub titulo

9. *Vsusfructuarius quemadmodum caueat.*

Nam si cuius rei vsusfructus legatus fit, æquissimum prætori visum est, de utroque legatariû cauere, & vsurum se boni viri arbitratu, & cum vsusfructus ad eum pertinere desinet, restitutum, quod inde extabit. Vtrunq; à iustitiæ principijs proficiscitur.

De singularum rerum incorporalium prædialium petitione.

Caput XX.

F. Singulas res incorporales prædiales quas vocas? P. Seruitutes prædiorum in genere, quarum species, secundum ea quæ supra diximus sunt, seruitutes urbanorum prædiorum, hoc est ædium, & quæ eò pertinent, & rusticorum prædiorum, nempe agrorum, & quæ eorum spectant culturam. Quæ quidem quanquam specie differant, nonnulla tamen habent communia, siue nomen & alia quædam spectes: nam ideo prædiorum seruitutes appellantur, quoniã sine prædijs constitui non possunt: siue actionem, nam actiones de seruitutibus rusticis siue urbanis, tã confessorix quàm negatorix, eorum sunt, quorum prædia sunt: siue rationem amittendi, nam seruitutes prædiorum tam urbanorum quàm rusticorum confunduntur cum proprietate, sicut per eã tanquam minus à maiore extinguuntur, si idem vtriusque prædij dominus esse cœperit, ut ostendunt tituli

Lib. 8. 1. De seruitutibus.

2. De seruitutibus prædiorum urbanorum.

3. De seruitutibus prædiorum rusticorum.

4. Communia prædiorum tam urbanorum quàm rusticorum.

5. Si seruitus vendicetur, vel ad alium pertinere negetur.

6. Quemadmodum seruitutes amittantur.

F. Recte.

F. Recte. P. Ac de his quidem plerisque omnibus tangitur sub rubrica Institutionum, quam huc pertinere supra vidimus.

De iudicijs ad personas pertinentibus. Cap. xxj.

F. Post iudicia quę rerum sunt explicata, nūc de ijs quę personarum sunt reddito. P. Hęc sunt quę ex damno alicui per iniuriã, quod iure restitui debet, dato proficiscuntur, siue quadrupes nostra id fecerit, siue nos ipsi, cōtra legem Aquiliam, siue familia seruiue nostri, effundendo, aut deiiciendo aliquid, quod cui noceat, vel dando noxiam, secundum titulos

Lib. 9. 1. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.

2. Ad legem Aquiliam.

3. De his qui effuderint, vel deiecerint.

4. De noxalibus actionibus.

De quibus omnibus, partim suprã dictum est, partim traditur sub titulo Institutionum, de obligationibus, quę quasi ex delicto nascuntur.

De iudicijs mixtis personarum & rerum.

Cap. xxij.

F. Nunc de ijs iudicijs sequitur, quę personarum sunt & rerum. P. Hęc in personam sunt, pro vindicatione rei, ad res communes, ac confusas distinguendas ac diuidendas: siue fines regundi ac distinguendi sunt, quod agrorum est: siue fa-

D 4 familia

milia herciscunda, hoc est, hereditas diuidenda, quod vniuersitatis : siue commune diuidendum, quod rerum singularum, vt demonstrant tituli

- Lib. 10.*
1. *Finium regundorum.*
 2. *Familia herciscunde.*
 3. *Communi diuidundo.*

De quibus in libris Institutionum sub titulo de actionibus tangitur.

De iudicijs accessorijs.

Caput xxij.

F. Reliquum est de iudicijs accessorijs vt differas. P. Hæc sunt quæ supradictis pro adminiculis seruiunt. Quæ quidem tamen omnia ferre sunt omnium, trium tamen in effectu sunt generum.

F. Quæ sunt primi generis? P. Quæ ad res singulas, vel vniuersas vindicandas ac petendas pertinent, veluti cum ad rem aliquam exhibendam agitur, ne frustra ad vindicandum procedatur, nam exhibere est, facere in publico potestatem, vt ei qui agat experiundi sit copia. Item cum hæres in iure interrogatur, qua ex parte hæres sit, ne si id ignoret actor, plus petendo aliquid damni sentiat. Ad hæc vt si inter plures familia herciscundæ agitur, & inter eosdem communi diuidundo, aut finium regundorum: idem iudex sumatur, vt multitudo litiū vitetur. Quibus de rebus sunt tituli

4. *Ad exhibendum.*

Lib. 11.

- Lib. II. 1. De interrogationibus in iure faciendis,
& interrogatorijs actionibus.*
*2. De quibus rebus ad eundem iudicem
eatnr.*

F. Quæ secundi? P. Quæ ad personas, veluti si quis seruum, male persuadendo, deteriorem fecerit, vel fugitiuum celauerit, vel aleatores receperit, quæ omnia illicita esse ostendunt tituli

- 3. De seruo corrupto.*
4. De fugitiuis.
5. De aleatoribus.

F. Quæ tertij? P. Quæ mixta sunt iudicia, veluti si mensor, qui in finibus regundis interuenit, falsum modum renunciauerit, quod in factum actione (de qua post dicetur) ob culpam punitur. Si locus quo de agitur per alicuius illatione religiosus esse dicitur, vel funus quis ducere prohibeatur, quod & ipsum non manet impunitum. Quemadmodum & si quis mortuum inferre, vel sepulchrum ædificare per iniuriam prohibeatur, quæ omnia pietati sunt contraria, vt ostendunt tituli

- 6. Si mensor falsum modum dixerit.*
*7. De religiosis & sumptibus funerum, & vt
funus ducere liceat.*
8. De mortuo inferendo & sepulchro adificando.

Atque hoc quidem modo sunt conclusa, quæ ad iudicia in rem pertinent.

D S De

De iudicijs siue actionibus in personam.

Cap. xxiiij.

F. Placet igitur de iudicijs in personam uti porro te interrogem? P. Placet vero, & quidem hæc sunt, quæ quemadmodum superiora ex rerum dominio ad eas distinguendas, ita ex earum commercio, siue rebus creditis ad eas communicandas originem trahunt, & conditionem generali nomine pariunt. Ac vocamus quidem res creditas, omnes contractus, quos alienam fidei secuti instituiimus: nam credendi generalis appellatio est, & rei quoque verbum, ut generale, prætor elegit. F. Quid? Quomodo ista diuiduntur? P. In principalia, & accessoria. Ex quibus principalia rursus in nominatos contractus & innominatos diuiduntur. F. Intellego. P. Accum porro nominati contractus, vel re fiât, vel consensu, qui re fiunt, vel conditionem speciali nomine pariunt, quæ per denunciationem fit, ut in ius veniatur, quod mitius est, vel actionem in cuius vim recta via in ius quis ducitur, quod durius. De singulis ordine explicabimus.

De contractibus qui re fiunt & conditionem pariunt.

Cap. XXV.

F. Qui sunt contractus, qui re fiunt & conditionem pariunt? P. Qui ex mutuo descendunt, quod

quod quidem vel verum mutuum est, vel quasi mutuum, vel medium inter vtrunque. Visumque est melius in hoc genere conuenire conditionem ob pudorem & amicitiam, quoniam inter coniunctos hoc genus contractus fere fieri solet.

F. Quod est verum mutuum? P. Quod in ijs rebus consistit, quæ numero, pōdere, & mensura constantes in hoc dantur, vt accipientis fiant, & non quidem idem ipsum, sed aliud eiusdem naturæ qualitatis & quantitatis, aliquando reddatur. Vnde mutuum appellatum est, quia ita à me tibi datur, vt ex meo tuum fiat. Nasciturque inde actio quæ vocatur certi conditio. Ac quoniam ob pudorem, de quo dictum est, sæpe sine testibus contrahitur, fit nonnunquam, vt ad iusiurandum, vbi Deus testis asseritur, (quod non nisi ex summa necessitate, & cum summa reuerentia faciendum est) fit veniendum. Estque vel voluntarium, ex conuentione partium, vel iudiciale, quod iudex defert, vel necessarium, quod sic defertur, à parte parti, coram iudice, vt vel præstari debeat, vel referri. Contineturque iusiurandum (quod maximum remedium esse dicitur expediendarum litium) speciem transactionis, & habet maiorem authoritatem, quàm res iudicata. Et si debitor contumax est in restituendo eo quod debet, sic vt actori mora sit nociua, postest iudex illi deferre iusiurandum in litem, vt iuret quanti sua interfit, dummodo modum præfinitum non excedat, vt videre licet sub titulis

Lib. 12.

- Lib. 12.* 1. *De rebus creditis, si certum petatur & de conditione,*
 2. *De iureiurando, siue voluntario, siue necessario, siue iudiciali.*
 3. *De in litem iurando.*

F. Quod est quasi mutuuum? P. Quod in causam mutui incidit, sic vt ex eo non minus conditione quis teneatur, atque si mutuuum accepisset. Veluti si ob rem non inhonestam, nempe vt filius emancipetur, vel seruus manumittatur, data sit pecunia, eaq; secuta non sit. Item si ob re turpem, vel iniustam, à parte accipientis, veluti ne adulterium committat, ne sacrilegium faciat, quod vtique per se sine pecunia facere oportet. Ad hæc si indebitum per errorem solutum sit. Tum si sine causa quid datū vel promissum. Et denique si quid furto mihi ablatum, vt demonstrant tituli

4. *De conditione causa data causa non secuta.*
 5. *De conditione ob turpem vel iniustam causam.*
 6. *De conditione indebiti.*
 7. *De conditione sine causa.*

Lib. 13. 1. *De conditione furtiua.*

F. Quod est medium inter vtrunque? P. Cum noua lege obligatio introducitur, nec additur genus actionis: quo casu conditione ex lege agitur, vt quod mitius est in rebus dubijs eligatur. Ac quemadmodum quidem pecunia numerata per certi conditionem, ita reliqua quæ extra pecuniam sunt numeratam, & pondere, numero

numero & mensura constant : per conditiones petuntur triticariam : nam tritici nomine omnes res extra pecuniam numeratam veniunt. Et si quid certo loco dari promissum est, etiam alibi arbitrio iudicis peti potest, si forte debitor ad eum locum nunquam venire, aut velit, aut possit, ne hoc modo creditor fraudetur. Ac si certo tempore constitutum est quid, ex alia causa debitum, præstari, valet etiam ex nudo pacto, quia graue est fidem fallere, vt ostendunt tituli

2. *De conditione ex lege.*

3. *De conditione triticaria.*

4. *De eo quod certo loco dari oportet.*

5. *De constituta pecunia.*

De quibus quidem plerisque tangitur sub titulis Institutionum, quibus modis re contrahitur obligatio, & de actionibus.

De contractibus qui re fiunt, & actionem pariunt.

Cap. XXVI.

F. Iam de contractibus qui re contrahuntur, & actionem pariunt, reddito. P. Hi (sumpto pinguis hoc nomine, vt in rebus ordine tradendis sæpe facere oportet) vel rei interuentu fiunt, vel facti, vel personæ, vel causæ.

F. Qui fiunt rei interuentu? P. Primum commodatum, quod est, cum quis certam rem suam in specie vtendam alicui concedit, quo nomine & directam actionem habet is, qui commodauit, ad rem repetendam, & contrariam commodatarius,

datarius, si quid in rem commodatam forte impendit. Deinde pignus quod à debitore creditori datum, pecunia soluta per eum, repetitur actione pignoratitia directa: & si quid creditor in pignus impendit, competit ei contraria: vt de his (de quibus & sub titulo Institutionum est, Quibus modis re contrahitur obligatio) proditur sub rubricis

6. *Commodati vel contra.*

7. *De pignoratitia actione vel contra.*

F. Qui interuentu facti? P. Primum si quis exercitor nauis magistrum ei imposuerit: ex quo facto eius nomine tenetur. Estq; magister cui totius nauis cura mandata est. Exercitor, ad quem obuentiones & reditus nauis perueniunt, siue is dominus nauis sit, siue eam conduxerit. Et si inter nauigandum, leuandæ nauis causa, iactus mercium factus est, cautum est lege Rhodia, omnium contributione sarciri, quod pro omnibus datum est. Deinde si quis institor alicui rei præposuerit: quo facto ex contractibus illius obligatur & conuenitur. Estq; institor appellatus ex eo, quod negotio gerendo instet, nec multum facit, tabernæ sit præpositus, an cuilibet alij negotiationi. Tum si quis dominus, sciens prudens, sinat seruum suum in peculiari merce negotiari: quod cum facit, perdit priuilegium suum, quod habet circa peculium, vt deducto primum quod ei debetur, tum demum peculium æstimetur. Et ideo hoc casu, sine vlla deductione præcedente, in tributum venire debet cū reliquis creditoribus, pro rata eius quod cuique debetur, prout his de rebus sunt rubricæ, tam
eui-

evidentibus rationibus supradictorum principiorum, quæ semper ob oculos haberi debent, fundatur, vt nihil possit contradici,

- Lib. 14.* 1. *De exercitoria actione.*
 2. *De lege Rhodia de iactu.*
 3. *De institoria actione.*
 4. *De tributoria actione.*

F. Qui interuentu personæ? P. Enimuero licet pater ex contractu filij non obligetur, adeo vt de mutuo tempore patris potestatis contracto, non solum pater, sed ne filius quidem ipse, secundum senatusconsultum Macedonianum, quod non in interna, sed externa ratione, ob malorum hominum infidias fundatum est, teneatur, vt demonstrant tituli

5. *Quod cum eo qui in aliena potestate est negotium gestum esse dicetur.*
 6. *De senatusconsulto Macedoniano.*

Sunt tamen tres species, quibus pater & dominus in solidum, nomine filij familias & serui, ex contractibus eorum tenentur. Nempe si peculium habent, quod quasi pusilla pecunia, siue patriumonium pusillum dicitur. Estque quod filius familias vel seruus, patris vel domini permissu, separatum à rationibus eius habet, deducto inde si quid ei debetur. Ac cum hæc actio de peculio sit perpetua, quamdiu seruus vel filius in potestate est, post mortem eius, vel postquam emancipatus, manumissus alienatusve fuerit, temporaria esse incipit, id est annalis, litium finiendarum causa. Item si in rem patris vel domini versum est, id quod acceptum est: quo casu quasi

64 PARATIT. IVR. CIVIL.

quasi cum ipsis potius contractum videtur. Tū si iussu patris vel domini cum filio vel seruo cōtractum est: nam quodammodo cum eo contractitur qui iubet: vt videre licet sub titulis

Lib. 15. 1. De peculio.

2. *Quando de peculio actio annalis est.*

3. *De in rem verso.*

4. *Quod iussu.*

Extra quas causas, non magis tenetur pater de contractu filij quam mulier, si pro quo intercesserit: nam sicut moribus officia ciuilia mulieribus adempta sunt, ita & multo magis, propter periculum rei familiaris, visum est hoc officium quod publicè fieri solet, & facilitati sexus contrarium est, per senatusconsultum Velleianum illi adimere, vt tradit titulus

Lib. 16. 1. Ad senatusconsultum Velleianum.

F. Quidenique interuentu causæ? P. Primū quibus compensatio iure competit: Nam vnusquisque creditorem suum eundemq; debitore submouet, si paratus est compensare. Estq; compensatio, debiti & crediti inter se contributio. Ac est necessaria, quia interest mea potius non soluere, quàm solutum repetere. Deinde si non tam sponte, quàm tumultus, incendij, ruinae, vel naufragij causa quid deponatur, quo casu ob pietatem tam grauiter læsam, in duplum aduersum depositarium, qui nō reddit depositum, agitur. Est autem deponere, custodiendā rem dare, quo nomine deponenti directā, depositario contraria actio datur, si quid forte in rem depositam impendit, vt habent rubricæ

2. *De*

2. *De compensationibus.*

3. *Depositum vel contra.*

Ac traditur quidem his de rebus sub titulis Institutionū, Quibus modis re cōtrahitur obligatio: De actionibus: Quod cum eo qui in aliena potestate est negotium gestum esse dicitur.

De contractibus qui consensu fiunt. Cap. xxvij.

F. Transeamus nunc si videtur ad contractus qui consensu fiunt. P. Hi secundum ea quæ supra diximus sunt, mandatum, societas, emptio venditio, locatio conductio.

F. Quid vocas mandatum? P. Cum quis negotium alterius mandatu eius gerendum suscipit, quo nomine mandati directæ, si quid minus rectè factum est: mandatario contraria, si quid in eam rem impendit, actio competit: vt habet titulus

Lib. 17. 1. Mandati vel contra.

F. Quam societatem? P. Communionē quādam communis lucris causa contractam, cuius nomine, vt id quod oportet inferatur, actio vtrinque competit directæ, quæ pro socio vocatur, vt tradit titulus

2. *Pro socio.*

F. Quam emptionem & venditionem? P. Quæ in re certo pretio præstanda consistit. Circa quā tum quidem pacta adiecta spectantur, quæ nisi inhonestæ sint, seruari debent, & res quæ venire possunt vel non, vt sacræ, sanctæ, religiosæ, quæ extra hominum sunt commercium. Tum autē

E addi-

addictio in diem, vt, ille fundus ceterum esto tibi emptus, nisi si quis intra Calendas Ianuarias, proximas meliorem conditionem fecerit, quo res à domino abeat: & lex commissoria, vt si ad diem soluta pecunia non sit, fundus sit inemptus. Cui accedit, quod non solum res singulæ corporales vendi possunt, sed & hæreditates, & actiones quæ vniuersitatis & incorporales sunt. Tū vero rescissio: nam sicut emptio & venditio consensu contrahitur, ita contrario consensu resoluitur, antequam res fuerit consecuta: pertinetque periculum & commodum rei venditæ ad emptorem, qui expectatione quasi dominus eius est, si quid ante traditionem sine culpa venditoris accidat. Et si seruus ea lege vendatur, vt exportetur aliquò, vel manumittatur vel non, quod omne in manu venditoris est manente apud eum seruo, valet conditio. Tum denique actio empti à parte emptoris circa rem, & venditi à parte venditoris circa pretium, de quibus omnibus sunt tituli

Lib. 18. 1. De contrahenda emptione, & de pactis inter emptorem & venditorem compositis, & qua res vanire non possunt.

2. De in diem additione.

3. De lege commissoria.

4. De hereditate vel actione vendita.

5. De rescindenda venditione, & quando licet ab emptione discedere.

6. De periculo & commodo rei vendita.

7. De seruis exportandis, vel si ita man-

cipium

si prius venserit, ut manumittatur vel contra.

Lib. 19. 1. De actionibus empti & venditi.

F. Quam locationem & conductionem? P. Cum merces pro usu rei præstatur. Et quidem quoniam dubitatum olim fuit, cum res æstimata vendenda datur, vtrum emptio & venditio, an locatio & conductio sit, an vero mandatum, placuit dubitationis tollendæ gratia, propriam actionem æstimatoriam dari. Quod & in permutatione placuit, vbi non ab vna parte merx, ab altera pretium proficiscitur, sed res vtrinq;: De quibus rebus sunt tituli

2. *Locati conducti.*

3. *De æstimatoria.*

4. *De rerum permutatione.*

Ac attingitur quidem de his rebus plerisque omnibus sub titulis Institutionū, qui ad hos contractus pertinent.

De contractibus innominatis.

Cap. XXVIII.

F. Nunc innominati contractus quinam sunt? P. Qui nullum certum nomen acceperunt, nam natura rerum conditum est, vt plura sint negotia quam vocabula. Et ideo actiones quæ ex iis competunt, non certis formulis constant, vt aliz, quæ ad contractus nominatos pertinēt, sed concipiuntur in factum ipsum, præscriptis à prætore verbis quibusdam ciuilibus, ad imitationem formularum ciuiliū: vt ostendit titulus

E 2

1. De

s. De prescriptis verbis & in factum actionibus.

Et quidem huc cōfugere necesse est, quoties contractus existunt, quorum appellationes nullæ iure ciuili proditæ sunt, vt & in alijs rebus humanis sæpe accidit.

De accessionibus contractuum.

Caput xxix.

F. Restat de accessionibus contractuum vt exponas. P. Hæ sunt, pignora, redhibitiones, fructus, & probationes.

F. De pignoribus quid ais? Hæc sunt quæ pro cautione creditori, à debitore vel alio eius nomine, in pugnum siue manum dantur, vnde pignus dicitur: vel ei supponuntur, vnde hypotheca, quod idem est: nam inter pignus & hypothecam tantum sonus nominis differt. Constituiturq; pignus tum quidem expresse, per pactū conuentum, tum autem tacite, nam quæ in prædia vrbana à conductore inducta, illata sunt, pignori esse creduntur pro locatoris cautione, quasi id tacite conuenerit, dum debitor rem suā in rem creditoris infert, vt habent tituli

Lib. 20. 1. De pignoribus & hypothecis, & qualiter ea contrahantur, & de pactis eorum.

2. In quibus causis pignus vel hypotheca tacite contrahitur.

F. Audio. P. Possuntq; obligari pignori plerūque omnes res quæ in commercio sunt: cæterū eam rem, quam quis emere non potest, quia cōmercium

mercium eius non est, iure pignoris, quod commercij species est, accipere non potest. Et si pluribus eadem res supposita est pignori, is potior est in pignore, qui prius credidit pecuniam, & accepit hypothecā, qua soluta, succedit in eius locum qui tempore est proximus, ut videre licet sub titulis

3. *Quaræ pignori vel hypotheca data obligari non possunt.*

4. *Qui potiores in pignore vel hypotheca habeantur, & de his qui in priorum creditorum locum succedunt.*

F. Intelligo. P. Ac soluitur quidem pignus tū quidem per eius distractionem: nam si ad diem pecunia non soluitur à debitore, potest creditor distractis pignoribus ad commodum suum pervenire: tum vero pacto, si per creditore pignus remittatur, & ab eo discedatur: & solutione, si solutum est debitum, aut eo nomine satisfactū, ut docetur sub titulis

5. *De distractione pignorum & hypothecarum.*

6. *Quibus modis pignus vel hypotheca soluitur.*

F. Quid autem vocas redhibitionem? P. Redhibere est facere, ut rursus habeat veditor quod habuerit, & quia reddendo id fiebat, idcirco redhibitio est appellata, quasi redditio. Ac sic quid ex edicto Ædiliū, si quis animal vitiosum ignorans emerit, nisi forte malit retinere, & quanti minoris emisset, si vitiosum sciisset, consequi. Et si res vendita à tertio evincitur, tenetur vons

E 3 ditor

ditor emptori eo non sine, quanti ipsius interest, vel in duplum pretij soluti, si duplæ stipulatio facta est. Ac dico quidem à tertio, quia ipse venditor, si fortè rem alienam vendiderit, & eius pòst deinde dominus factus est, non potest eam euincere, sed opponitur ei exceptio rei venditæ & traditæ: prout produnt tituli

Lib. 21. 1. De adilitio edicto, & redhibitione, & quanti minoris.

2. De euictionibus, & dupla stipulatione.

3. De exceptione rei venditæ et traditæ.

F. Quos dicis fructus? P. Qui ex re proueniunt, & post moram debentur, quæ est, si debitor interpellatus opportuno loco non soluerit. Ac sunt quidem fructus alij naturales, vt foetus, ex quo procedens alius foetus causa dicitur, quem admodum alluuiò: & si quid ab re dependet, accessio: alij ciuiles vt vsuræ quæ vicem fructuum obtinent, cum in iudicijs bonæ fidei iudex ex officio, propter moram contractam, eas solui iubet: cæterum si in stipulationem deducantur, fœnoris nomen subeunt, quod odiosum est, nisi forte periculum aliquod suscipiatur, vt in nautico fœnore accidit, quod pro pecunia quæ periculo alicuius trans mare vehitur (vnde pecunia traiecitia vocatur) soluitur: de quibus rebus sunt tituli

Lib. 22. 1. De vsurâ, & fructibus, & causis, & omnibus accessionibus, & mora.

2. De nautico fœnore.

F. Quas deniq; vocas probationes? P. Quibus quid contractum factumve esse ostenditur. Nã

si

ei incumbit probatio, qui dicit, non qui negat. Ac fit quidem omnis probatio vel per præsumptiones, cum id quod naturaliter aliqua in re credibile est sequimur: vel per instrumenta speciali nomine, cum ex literarum monumentis quid ostenditur, quibus tamen amissis obligatio, quæ per se utique subsistit non perit: vel per testes idoneos duos vel plures. Atque est quidem opus his probationibus, cum factum, non autem cum ius ignoratur: nam regula est, iuris quidem ignorantiam cuiq; nocere, facti vero ignorantiam non nocere: ut videre licet sub titulis

3. De probationibus & præsumptionibus.

4. De fide instrumentorum & amissione eorum.

5. De testibus.

6. De iuris & facti ignorantia.

Dico autem de instrumentis speciali nomine: nam generaliter instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus causa instrui potest, & ideo tam testimonia, quàm personæ, instrumentorum loco habentur.

De maris & fœminæ coniunctione, liberorumq; procreatione & educatione.

Cap. xxx.

F. Habeo ista de rerum dominio & commercio, nunc ad personas secundum propositum ordinem

E 3

dinem

dinem si placet transito: ac primum quidem ad ea quæ ad maris & fœminæ coniunctionem liberorumq; procreationem, & educationem, pertinent. P. De his duo sunt summa capita, vnũ de coniunctione maris & fœminæ, vnde liberorum procreatio existit, & alterũ de tutelis, quæ ad liberorum educationem pertinent.

De coniunctione maris & fœminæ. Cap. xxxi.

F. Circa maris & fœminæ coniunctionem quid tractas? P. Quoniam ea per nuptias fit legitimas, primum de contrahendis nuptijs dicam: deinde de ijs quæ contractis nuptijs constante matrimonio interueniunt: tum de distrahendis nuptijs, ijsque quæ soluto matrimonio accidunt.

De contrahendis nuptijs. Cap. xxxij.

Ad contrahendas nuptias quænam autè pertinent? P. Primum sponsalia, quæ nuptias præcedunt. Ac sunt quidem sponsalia, mentio & repromissio nuptiarum futurarum, dicta à spondendo: nã moris fuit veteribus, stipulari & spondere sibi vxores futuras. Deinde ritus nuptiarũ, qui rem ipsam continent, ex consensu eorum qui coeunt, quorumq; in potestate sunt. Ac sunt quidem nuptiæ, coniunctio maris & fœminæ, & consortium omnis vitæ, diuini & humani iuris communicatio, Tum autem dos, quæ acced-

fio

no est nuptiarum, sic ut ubi matrimonij nomen non est, nec dos fit. Ac est quidem dos quæ in subfeditum matrimonij à muliere infertur, licet- que de ea pacisci etiam post contractas nuptias. Ac quanquam quidem maritus rei dotalis sit dominus, tamen de fundo dotali lex Iulia prospexit, ne cum marito liceat obligare aut alienare, ne soluto matrimonio id mulieri sit fraudi: nã reipublicæ interest, mulieres dotes salvas habere, propter quas nubere possunt. Quibus de rebus sunt tituli

- Lib. 23.* 1. *De sponsalibus.*
 2. *De ritu nuptiarum.*
 3. *De iure dotium.*
 4. *De pactis dotalibus.*
 5. *De fundo dotali.*

De quibus plerisque omnibus tangitur titulo Institutionum de nuptijs.

De ijs quæ constante matrimonio interueniunt.

Cap. xxxij.

F. Constante matrimonio quænam autem interueniunt? P. Donationes inter virum & vxorem, quas maiores nostri prohibuerunt, amorè honestum solis animis æstimantes, famæ etiam coniunctorum consulentes: ne concordia pretio conciliari tanquam vñalitia videatur, neue melior in paupertatem incideret, deterior ditior fieret, vel etiam mutuo amore inuicem spoliarent, ut videre licet sub titulo

E 5

Lib. 24.

Lib. 24. 1. De donationibus inter virum & uxorem.

De distrahendis nuptijs usq; quæ soluto matrimonio accidunt.

Cap. XXXIII.

F. Quomodo autem dirimuntur matrimonia? **P.** Morte, vel quasi, cuiusmodi est seruitus: & diuortio, quod fit per repudium, maioris malitandi causa olim permixtum. Ac est quidem diuortium à diuersitate mentium dictum, vel quia in diuersas partes eunt, qui distrahant matrimonium. Repudium renunciatio ipsa matrimonij, in quo comprobata sunt hæc verba: Tuas res tibi habeto, tuas res tibi agito, vt demonstrat titulus

2. De diuortijs & repudijs.

F. Quæ accidunt soluto matrimonio? **P.** Hæc vel dotem mulieris, & bona viri spectant, vel vêtrem & liberos. **F.** De prioribus quid dicis? **P.** Sane quantum ad dotem mulieris attinet, regula est, soluto matrimonio eam mulieri solui debere, nam publicè interest, dotes mulieribus conseruari, cum dotatas esse fœminas ad sobolem procreandam, replendamq; liberis ciuitatem maximè sit necessarium. Et quidem integram, sine vlla deductione impensarum voluptuariorum, aut etiam vtilium, sed necessariarum dūtaxat, quæ quia necessitatem habent impendendi, minuunt dotem ipso iure. Et quod pertinet ad bona mariti, si quidem mulier aliquid abstulisse

lisse dicetur, non furti quidem turpi actione, in honorem matrimonij, sed rerum amotarum singulari iudicio conuenietur: vt videre est sub titulis

*3. Solutio matrimonio quemadmodum de-
petatur.*

Lib. 25. 1. De impensis in res dotales factis.

2. De actione rerum amotarum.

F. Quid de posterioribus? P. Enimvero si mulier post diuortium prægnantem se dicat, ex eo qui maritus fuerit, omnino agnoscere partum oportet, & alere, nam ad hoc parentes & liberi inter se patroni & liberti iure naturali tenentur. Sin autem contrà maritus prægnantem mulierem dicat, illa autem negat, potest mitti pro inspicendo ventre (dum modo mulier id sibi persuaderi sinat) & custodiendo partu. Et quid quoniam si mortuo marito mulier prægnantem se ex eo dicat, mittitur in possessionem bonorum ipsius ventris nomine, siquidem dolo malo eam possessionem ad alium transtulerit, vel per calumniam ad possessionem venerit, hoc est, sciens prudens se prægnantem non esse: vtrumque factum punitur: secundum titulos

3. De agnoscendis & alendis liberis vel parentibus, vel patronis, vel libertis.

4. De inspicendo ventre custodiendoque partu.

5. Si ventris nomine muliere in possessionem missa, eadem possessio dolo malo ad alium transtata esse dicatur.

6. 53

6. *Si mulier ventris nomine in possessione calumnia causa esse dicetur.*

F. Atque hæc quidem cum ad legitimas vxores pertineant, sunt aliæ quæ concubinæ vocantur, à concubinatu, qui quidem quia per leges nomen assumpsit, non permissus quidè, sed extra legis pœnam est, vt habet titulus

7. *De concubinis.*

Ac cum libertæ vel ingenæ obscuro loco nate, aut quæ quæstum corpore fecerint, simpliciter in concubinas assumi possint, alias quæ ingenæ & honestæ vitæ sunt, sine testatione hoc manifestum faciente assumere non conceditur.

De tutelis. Cap. XXXV.

F. Sequitur de tutelis vti nunc porro tractes. P. De his dicam primo quid sit tutela, & quomodo diuidatur, deinde quomodo administratur, tū quomodo amittatur, & deniq; quæ actiones tutelæ nomine competunt.

Quid sit tutela, & quomodo diuidatur. Cap. XXXVI.

F. Quidnam autem est tutela? P. Enimvero id iam suprâ diximus, nec non quomodo diuidatur, in testamentariam, legitimam, ac datiuam. Et si forte condendo testamento, fiat, vt pater minus legitimè quantum ad solennitates testamentarias attinet, liberis det tutores aut curatores: illi postea per magistratum cõfirmantur, vt substantiæ internæ potius quàm formæ externæ

ternæ ratio habeatur, & quod circa illam secundum legem scriptam deest, per legem viuâ, qui est magistratus, suppleatur. Præcipiturq; matri & libertis (Cæteri autem propinqui ad hoc solum inuitantur, nam hi sunt gradus) vt si pupilli neque testamentarios neque legitimos tutores habeant, apud competentem magistratum tutores illis petant, vt demonstrant tituli

Lib. 26. 1. De tutelis.

2. De testamentaria tutela.

3. De confirmando tutore vel curatore.

4. De legitimis tutoribus.

5. De tutoribus & curatoribus datis ab his qui ius dandi habent, & qui & in quibus causis specialiter dari possint.

6. Qui petant tutores vel curatores, & ubi petantur.

Plane sollicitudo matris in petendis filio tutoribus, non etiam curatoribus, obseruatur, nisi quo casu impuberi curator petendus est.

De administratione tutorum & curatorum.

Cap. xxxvij.

F. De administratione tutorum & curatorum quid ais? P. Ea tum quidem bona pupilli spectat, quæ in inuentarium redigi & diligenter curari debent, ab vno vel pluribus tutoribus, prout maximè videbitur conuenire, ad quos pericula & actiones præcipue pertinent: tum autem personam

sonam pupilli vel adolescentis, vt sine tutoris vel curatoris auctoritate, quę in actu ipso interuenire debet, & consensu, qui præcedere, nihil faciat. Et omne quicquid in toto hoc negotio administrationis, bona fide fit, à tutoribus vel curatoribus, ad pupillum vel adolefcētem pertinet, vt ille pōst eo nomine agat vel conueniatur: vt est sub rubricis

7. *De administratione & periculo tutorum & curatorum, qui gesserint vel non, & de agentibus vel conueniendis uno vel pluribus.*

8. *De auctoritate & consensu tutorum et curatorum.*

9. *Quando ex facto tutoris vel curatoris minores agere vel conueniri possunt.*

De quibus & in libris Institutionum, sub titulis antè commemoratis, tangitur.

De amissione tutela & cura.

Cap. xxxviii.

F. Quomodo amittitur tutela vel cura? P. Ob vitium per accusationem suspecti, & sine vitio per legitimam excusationem, de quibus sunt tituli

10. *De suspectis tutoribus & curatoribus.*

Lib. 27. 1. De excusationibus.

De quibus quidem quoniam suprà quantum huic instituto sat est, diximus, nihil opus est, vt actum quod aiunt agamus.

Do

*De actionibus qua tutela
nomine competunt.*

Cap. xxxix.

F. Actiones quæ tutelæ nomine competunt in quibus consistunt? **P.** In reputationibus, actionibus, & rebus minorum. **F.** Quas vocas reputationes? **P.** Quas reddendis rationibus tutor facit, de ijs quæ in alimenta & disciplinas pupilli, eo loco quo pater vel prætor iussit, impedit, quæ ut admittantur officio iudicis qui tutelæ cognoscit congruit: ut habet titulus

2. Vbi pupillus educari vel morari debeat, & de alimentis ei præstandis.

F. Quas actiones. **P.** Quæ ex causa tutelæ geruntur, nomine pupilli in simplum competunt, vel in duplum per actionem de rationibus distrahendis, si quid fortè dolo subtractum est, qua de re contra tutorem ordinaria tutelæ actione, contra curatorem vtili proceditur, quæ vtraque directa est. Aduersum quas tutor ordinariam contrariam habet, & curator vtilem, si quid forte nomine pupilli vel adolescentis expenderit. Ac competunt quidem actiones illæ pupillis & adolescentibus, non solum contra veros tutores, verum etiam contra protutores & procuratores, qui tanquàm tales eorum munere functi sunt, nec non contra falsos tutores & curatores, qui rescisis ijs quæ gesserint etiam puniuntur. Et si bona tutorum & curatorum non sufficiunt, non solum venit ad hæredes, sed & ad fideiussores ipsorum,

80 PARATIT. IUR. CIVIL.

ipforū, & qui illos ad id munus nominauerunt, & illis deficientibus, tandem in subsidium etiā ad magistratus municipales (qui in re præsenti versantes, summam diligentiam ei adhibere tenentur) qui eos creauerunt, ne quidquam omitatur, quo minus res pupilli vel adolescentis salua conseruetur, vt demonstrant tituli

3. *De tutela, & rationibus distrahendis, et utili curationis causa actione.*

4. *De contraria tutela & utili actione.*

5. *De eo qui pro tutore prove curatore negotia gessit.*

6. *Quod falso tutore authore gestum esse discatur.*

7. *De fideiussoribus & nominatoribus, & heredibus tutorum & curatorum.*

8. *De magistratibus conueniendis.*

F. De rebus minorum quid ais? P. De his prohibitum est, ne sine decreto prætoris alienentur, aut supponantur pignori, per titulum

9. *De rebus eorum qui sub tutela, vel cura sunt, non alienandis vel supponendis.*

F. Intellego. P. Atque hæc quidem cum circa tutores & curatores pupillorum & adolescentum ita se habeant, sunt & alij extra eos, cuiusmodi sunt furiosi, quibus licet maiores viginti-quinque annis sint, dantur curatores: secundum titulum

10. *De curatoribus furioso & alijs extra minores dandis.*

Cuiusmodi sunt prodigi, qui neque tempus, neque

neque modum expensarum habent, sed bona sua dilacerando & dissipando profundunt, furiosumq; rerum suarum exitum faciunt.

De successione. Cap. xl.

F. Perpurgatis ijs quæ ad rerum dominia, cõmercia, & maris & fœminæ coniunctionem, pertinent: restat (quantum quidem ad ciuilia iudicia attinet) de successione post mortem vt tradas. P. Sic est. Et quidem quatenus illa testamento, secundum ea quæ suprâ dicta sunt, & sua ratione ante dicta constant, defertur (nam de successione ab intestato post idoneo loco dicitur) duo circa eam spectantur summa capita. F. Cedo quæ? P. Vnum de condendi testamenti ratione & forma, & alterum quomodo ex eo acquiratur. Quod prout suprâ traditum est, tum quidem per vniuersitatem fit, tum vero per res singulas. De quibus ordine explicabimus.

De condendi testamenti ratione & forma.

Cap. xli.

F. De condendi testamenti ratione & forma quid ais? P. Quod primû (secundû ea quæ suprâ dicta sunt) hac in re spectatur, est, vt scias q testaméta facere possint: nam si quæramus, an valeat testamétû, imprimis animaduertere debemus, an is qui fecerit testamétû, habuerit testaméti factiõnẽ, deinde si habuerit, requiremus, an secundû regulas iuris testat⁹ sit: put habet titulus

F Lib. 28.

Lib. 28. 1. Qui testamenta facere possunt, & quæ admodum testamenta fiant.

F. Audio. P. Quod secundo exquiritur est, vt liberi in potestate instituantur vel exheredentur, ne si silentio prætereantur, vel statim nullum sit testamentum, quantum ad iam natos attinet, vel rumpatur agnatione, quantum ad posthumos, vt demonstrat titulus

2. De liberis & posthumis heredibus instituendis vel exheredandis.

F. Intellego. P. Tertio videndum est, vtrum testamentum, aut non iure factum sit, vbi solennia iuris desunt: aut nullius sit momenti, cum filius qui fuit in patris (vt dico) potestate præteritus est: aut ruptum, alio testamento, ex quo hæres existere potuerit, condito, vel agnatione sui hæredis: aut irritum factum, non adita hæreditate. Cui accedit, quod quæ in testamento deleta sunt radendo, vel inducta lituris, vel inscripta alijs literis, sic vt legi non possint, pro nullis sunt: vt ostendunt tituli

3. De iniusto, rupto, irrito facto testamento.

4. De ijs que in testamento delentur, inducuntur, vel inscribuntur.

F. Bene habet. P. Quarto dispici debet, vtrum tum quidem hæredum Institutiones recte se habeant, tum autem substitutiones vulgares & pupillares, siue purè factæ sint, siue sub conditione, quod est permissum: vt videre licet sub titulis

5. De heredibus instituendis.

6. De

6. *De vulgari & pupillari substitutione.*7. *De conditionibus institutionum.*

F. Rectè. P. Ac de his quidem plerisque omnibus tangitur sub titulis Institutionum ad rem testamentariam pertinentibus.

De acquisitione ex testamento per vniuersitatem.

Cap. xlij.

F. Nunc quonam autem pacto acquiratur ex testamento per vniuersitatem dicito. P. Si quis hæres alicuius efficitur, circa quam rē tria spectantur.

F. Quod est primum? P. Vt qui hæres institutus est, ius deliberandi ad certum tempus habeat, intra quod dispiciat, vtrum hæreditatem adire velit, nec ne: Habetque id locum non solum in pagano, sed & militari testamēto, tamen si id nullis per se solennibus est alligatum: secundum titulos

8. *De iure deliberandi.*

Lib. 29. 1. De testamento militis.

F. Quod alterum? P. Vt re deliberata, vel adatur vel omittatur hæreditas: secundum titulum

2. *De acquirenda vel omittenda hæreditate.*

F. Quod tertium? P. Vt ante omnia testamentum iubente prætore, post recognita sigilla, aperiat, inspiciendi & describendi potestas,

F a ijs ad

ijs ad quos ea res pertinet, detur. Atque uti aperto testamento prætor quosdam id quod in eo datum est præstare cogit, veluti si quis, circumveniendorum legatariorum causa, ab intestato velit possidere hæreditatem, contra voluntatem defuncti, quam prætor tuetur: ita e contra quosdam testamentum aperire, aut ex aperto succedere prohibet: veluti si testatore à familia occiso, hæres contra senatusconsultum Syllanianum & Claudianum id non inquirat: aut si quis aliquem testari prohibuerit vel coegerit, ut hoc modo hæreditatem obtineat: Quibus de rebus sunt tituli

3. *Testamenta quemadmodum aperiantur, inspiciantur, & describantur.*

4. *Si quis omissa causa testamenti ab intestato vel alio modo possideat hereditatem.*

5. *De senatusconsulto Syllaniano & Claudiano, quorum testamenta ne aperiantur.*

6. *Si quis aliquem testari prohibuerit vel coegerit.*

F. Teneo. P. Atque hæc quidem cum circa testamenta solennia ita se habeant, sunt præter ea codicilli non solennes, ut ostendit titulus

7. *De iure codicillorum.*

De quo quidem quoniam supra tactum est, hic omittetur.

De

De acquisitione ex testamento per res singulas.

Cap. xliij.

F. Deinde per res singulas quonam modo ex testamento acquiratur reddito. P. Per legata & fideicommissa, vt anté traditum est. Ac est quidē legatum, delibatio hæreditatis, qua testator ex eo quod vniuersum hæredis foret, alicui quid collatum velit: suntq; per omnia ex æquata legata fideicommissis. F. De his autem quid tractas? P. De rebus per legatum & fideicommissum relictis, quænam accidant legatis, quomodo diminuantur, & quomodo acquirantur.

De rebus per legatum & fideicommissum relictis.

Cap. xliiij.

F. De rebus per legatū & fideicommissum relictis quid habes dicere? P. Circa has tum quidem iura generalia spectantur, tum autem singularia, tum vero verborum significaciones.

F. Quæ sunt iura generalia? P. Vti quisque rei suæ legasset, ita ius esto, prout videre licet sub titulis

Lib. 30. 1. De legatis, & fideicommissis, primo.

Lib. 31. 1. De legatis, & fideicommissis, secundo.

Lib. 32. 1. De legatis & fideicommissis, tertio.

F. Quæ singularia? P. Quæ quibusdam in re-

F 3 bus

bus legatis iure singulari obtinent. Nam in annuis legatis, tot sunt legata quot anni, cum stipulatio annua fit vna. Vfus & vsusfructus redditusque legatus, non morte testatoris vt alia legata, sed adita demum hæreditate cedit. Seruitus legata non per partes vt in alijs fit legatis, sed solida singulis hæredibus debetur. Dos prælegata statim debetur, cum alioqui intra annum duntaxat præstari debeat. Optio legata non hæredi tanquam debitori competit, vt secundum communem regulam accidit, sed legatario. Tritico, vino, oleo generaliter legato, siquidē nulla qualitas adiecta est, non legatarij vt in alijs legatis, sed hæredis est electio. Quibus omnibus de rebus sunt tituli

- Lib. 33.*
1. *De annuis legatis & fideicommissis.*
 2. *De usu & usufructu & redditu, & operis seruorum per legatum vel fideicommissum datis.*
 3. *De seruitute legata.*
 4. *De dote prælegata.*
 5. *De optione vel electione legata.*
 6. *De tritico, vino, vel oleo legata.*

F. Quæ verborum significationes? **P.** Quæ in quibusdam legatis specialiter cognoscendæ sunt. Nam si fundus instructus legatus est, amplissimū est legatum, magis quam si instrumentum tantum legaretur. Si peculium, pusilla illa pecunia intelligitur, quam pater vel dominus filio vel seruo concedit. Si penus, omnia quæ esui sunt comprehenduntur. Si supellex, domesticū patrisfamilias instrumentum significatur. Si alimēta

menta vel cibaria. priore legato vestes etiam, posteriore non, continentur. Si aurum & argentum, omne omnino, siue factum sit, siue non sit, venit. Si liberatio, æs alienum quod legatarius testatori debet, intelligitur: vt videre licet sub titulis

7. *De instructo vel instrumento legato.*

8 *De peculio legato.*

9 *De penu legata.*

10 *De supellectile legata.*

Lib. 34. 1. De alimentis & cibarijs legatis.

2. *De auro, argento, mundo, ornamentis, unguentis, veste vel vestimentis, & stauis, legatis.*

3 *De liberatione legata.*

De his rebus nonnullis agitur sub titulo Institutionum, de legatis.

De ijs quæ legatis & fideicommissis accidunt.

Cap. xlv.

F. Ea quæ legatis accidunt quænam autem sunt? P. Primum ademptio & translatio, de quibus supra est expositum. Deinde res dubiæ, quæ in dictis & factis obscuris, & ambiguis, circa legata se offerunt, varijsq; modis enodantur. Tum pœna, si quid pœnæ nomine fortè legetur, quod vt odiosum non valet, nisi vt conditio ponatur. Ad hæc regula Catoniana, nempe, vt quod initio non valet legatum, velut quod ab impubere relictum est, nunquam conualescat. Porro, viti-

um scripturæ, quæ si legi non potest, pro nõ scripta habetur. Item si quis indignum se præstet legato, veluti si libertus patronum post mortem de illicitæ mercis negotiatione accuset. Et denique conditio, vt, si nauis ex Asia venerit, do lego. Demonstratio, vt equum à Titio emptum do lego. Causa, vt Titio quia negotia mea gessit, centum do lego. Et modus, vt, Scio vt monumentum mihi extruat, centum do lego : De quibus funtrubicæ

4. *De adimendis vel transferendis legatis vel fideicommissis.*

5. *De rebus dubijs.*

6. *De his quæ pœna causa relinquuntur.*

7. *De regula Catoniana.*

8. *De his quæ pro non scriptis habentur.*

9. *De his quæ vt indignis auferuntur.*

Lib. 35. 1. De conditionibus, & demonstrationibus, et causis, et modis, eorum quæ in testamento scribuntur.

Ex his sub titulo Institutionũ de legatis pauca quædam attinguntur.

De ijs per quæ legata vel fideicommissa minuuntur.

Cap. xlvj.

F. Quænam autem ea sunt, per quæ legata & fideicommissa minuuntur? P. Lex Falcidia, & senatusconsultum Trebellianum. Et si cui plus quàm lege licet legatum esse dicetur, sic vt iuste

iuste dubitari possit, vtrum lex Falcidia locum habitura sit, nec ne: subuenit prætor hæredi, vt ei legatarius satisfaciat, vt si apparuerit eum amplius legatorum nomine cepisse, quàm è lege Falcidia capere licebit, quanti ea res erit, tantam pecuniam det, dolumque malus ab eo abfuturus sit: vt produnt tituli

2. *Ac legem falcidiam.*

3. *Si cui plus quam per legem falcidiam licuerit legatum esse dicitur.*

Lib. 36. 1. Ad senatusconsultum Trebellianum.

De quibus quidem quoniam supra est expofitum, non est hic repetendum.

De acquirendis legatis & fideicommissis.

Cap. xlviij.

F. Reliquum est, quo pacto legata & fideicommissa acquirantur, vt exponas. P. Circa hanc rem duo spectantur, quando dies eorum cedit, sic vt debeantur, & ad hæredem transmitti possint, & quando veniat, sic vt peti possint. Accedit quidem dies, morte testatoris, venit autem aditione hereditatis, nisi cõditio apposita, vel dies impediatur petitionem. Quo quidem medio tempore permissum est legatario, cautionem ab hærede petere, vt quibus testator dari fieriue voluit, his diebus detur vel fiat, dolumque malum abfuturum stipuletur. Nam sicut hæres iucubabit possessioni bonorum, ita nõ sine ratione visum est, legatarios quoque carere non debere bonis de-

functi, sed aut satisdabitur eis, aut si satis nō detur, in possessionem bonorum venire prętor voluit: vt producat tituli

2. *Quando dies legatorū vel fideicommissorum cedat.*

3. *Vt legatorum seu fideicommissorum seruandorum causa caueatur.*

4. *Vt in possessione legatorum vel fideicommissorū seruandorū causa esse liceat.*

Non quidem vt legatarius pro domino sit, aut in vera rerum possessione, sed pro custodia duntaxat. Nam non expellendi hæredem ius habet, sed simul cum eo possidere iubetur, vt saltem tædio perpetuæ custodiæ, extorqueat hæredem di cautionem.

De iudicijs prætorijs. Cap. xlviij.

F. Accepi de iudicijs ciuilibus, age nunc ad prætoria si placet transi. P. Placet vero, & quidē vti ciuilia inde nomen habent, quod à iure legibusq; ciuilibus manarunt, ita prætoria inde dicuntur, quod à iurisdictione prætoria sumpserint originem. F. Quomodo diuiduntur. P. Planè cum sint mixti imperij, quod inter iurisdictionem simplicem, & imperium merum medium esse & ex vtroque misceri diximus: omnia iudicia prætoria, vel plus habent imperij quam iurisdictionis, vt in bonorum possessionibus, & factis tectis cōtingit: vel plus iurisdictionis quā imperij, quæ alia spontaneæ iurisdictionis sunt, vt donationes & manumissiones, alia contentiosæ, vt rerum possessiones, res iudicatæ, interdicta, & exceptiones: vel æquas vtriusque partes,

tes, vt in stipulationibus prætorijs accidit. Singula ordine exequemur.

De bonorum possessionibus.

Caput xlix.

F. Igitur de bonorum possessionibus quid tradis? P. Has successiones prætorias esse nunc diximus, vnde post ciuiles iam explicatas, mox merito subnectuntur. F. Quomodo autem diuiduntur? P. In eas quæ extantibus tabulis testamenti competunt, siue de ingenuorum, siue de libertinorum successione agatur, & quæ nõ extantibus tabulis: vt docet titulus

Lib. 37. 1. De bonorum possessionibus.

Et quidem bonorum possessio admissa comoda & incommoda hæreditaria; itemq; dominium rerum quæ in his bonis sunt, tribuit, nam hæc omnia bonis sunt coniuncta.

De bonorum possessionibus extantibus tabulis, quæ ad ingenuos pertinent. Cap. L.

F. De bonorum possessionibus ingenuorum hominum, extantibus tabulis, quid ais? P. Enimvero si nomen hæredis ita scriptum est vt legi possit (nam si non potest pro nullo est) locus est huic bonorum possessioni, nec nocet furioso, infanti muto, surdo, cæco, hæredibus scriptis, si curatores eorum intra legitimum tempus petendæ bonorum possessionis non fecerint officium: vt demonstrant tituli

2. *Si tabule testamenti extabuunt.*

3 *De bonorum possessione furioso, infanti, nato, surdo, cæco, competente.*

F. Intelligo. P. Ac cum totum hoc genus possessionis vel contra tabulas sit, vel secundum tabulas: contra tabulas est, quam liberi siue naturales siue adoptiui, qui neq; instituti, neque ex hæredes facti sunt, contra testamentum parentis petunt. Quo casu licet testamentum rescinditur, ex æquitate tamen naturali placuit, vt legata liberis & parentibus, vxorib; & nurui dotis nomine relicta (non autem alia) præstentur. Et si per hanc bonorum possessionem fiat, vt emancipati admittantur, participesq; fiant, cum his qui sunt in potestate, bonorum paternorum: æquum & consequens visum est, vt sua quoque bona in medium conferant, qui appetūt paterna. Quod & circa dõtem acceptam obtinet, si est fœmina. Numerando porro emancipatum cum liberis suis pro vna persona, ne fraus alteri fratri fiat. Habetq; hæc res locum non solum in iam natis, sed & in ijs qui in vtero sunt, qui, siquidẽ res certa sit, & ipsi, dato ventri curatore, in possessionem contra tabulas mittuntur. Et in re dubia, si quid vel modicum pro ventre, vel etiam nato impubere fecit: mittitur in possessionem Carbonianam, quod perinde est, ac si nulla de ea re controuersia esset, & iudicium in tempus pubertatis, causa cognita, differtur, vt ostendunt tituli

4. *De bonorum possessione contra tabulas.*

5. *De legatis præstandis contra tabulas bonorum*

norum possessione petita.

6. *De collatione bonorum.*

7. *De dotis collatione.*

8. *De coniungendis cum emancipato liberis eius.*

9. *De ventre in possessionem mittendo.*

10. *De Carboniano edicto.*

F. Teneo. P. Secundum autem tabulas bonorum possessiones sunt, quæ institutis testamentis competunt, ne plus contra tabulas, quod odiosum est, quam secundum eas, quod fauorabile, liceat. Competuntque hæc bonorum possessiones contra & secundum tabulas, non solum liberis quo ad parentes, verum etiam parētibus quo ad liberos emancipatos, ad similitudinem patronorum. Nisi forte contra filij militis testamentum bonorum possessio petatur, quod iure singulari non permittitur, ut ostendunt tituli

11. *De bonorū possessionibus secundum tabulas.*

12. *Si à parente quis manumissus sit.*

13. *De bonorum possessione ex testamento militis.*

Habetque idem locum in omnibus, qui in hostico & procinctu versantur, etiamsi milites non sint, nempe ut cum eadem pericula experiantur, iura quoque eadem sibi vendicent.

De

*De bonorum possessionibus extan-
tibus tabulis, quæ ad liber-
tinos pertinent.*

Cap. LI.

F. De bonorum possessionibus extantibus ta-
bulis quæ ad libertos pertinent, quid habes di-
cere? P. Sane cum is qui manumissus est, ob sum-
mum beneficium acceptum, ei qui manumisit
iure patronatus sit obstrictus, tum quidem ad
obsequia reuerentialia præstanda, qualia paren-
tibus à liberis summa debentur, tum autem ad
operas exhibendas, quæ diurnum sunt officium:
quantum ad bona attinet, patrono, moriente li-
berto, dimidium bonorum debetur, iure socie-
tatis, siue ex testamento vel per bonorum pos-
sessionem secundum tabulas: siue ab intestato,
vel per bonorum possessionem contra tabulas.
Nam toties ad bonorum possessionem contra
tabulas inuitatur patronus, quoties non est hæ-
res ex debita portione institutus. Atque hoc qui-
dem & in municipum aliarumque vniuersitatum
libertis obtinet, nec non in liberis patroni, siue
omnibus, siue illis quibus libertus speciatim est
assignatus. Et si quid in fraudem patroni à liber-
to factum est, siue testatus, siue intestatus dece-
serit, prætor curæ habet, ne ea res illi sit fraudi,
quo minus pars debita bonorum ad eum perue-
niat: vt demonstrant tituli

14. De iure patronatus.

15. De

15. De obsequijs parentibus & patronis
præstandis,

Lib. 38. 1. De operis libertorum.

2. De bonis libertorum.

3. De libertis vniuersitatum.

4. De assignandis libertis.

5. Si quid in fraudem patroni factum
sit.

Nam si quam alienationem dolo malo liber-
tus fecerit, reuocatur.

*De bonorum possessionibus &
alijs successioneibus non ex-
stantibus tabulis.*

Cap. LII.

F. De bonorum possessionibus non extanti-
bus tabulis restat vt exponas. P. Circa bonorum
possessiones non extantibus tabulis duplex est
inspectio, prætoriam vna, & ciuilibus altera. F. Quæ
vocas prætoriam? P. Bonorum possessionem ab
intestato, quæ primum liberis competit, deinde
legitimis agnatis, tum cognatis. Sic vt omitten-
te vel non petente intra certum tempus eo qui
primus est, proximus post eum secundum suc-
cessorium edictum, quo certum id tempus præ-
finitum est, vocetur. Idem secundum ordinem gra-
dum cognationis, de quibus supra dictum est.
Quibus deficientibus sic vt neque liberi, neque
legitimi, neque cognati existant, vir & vxor in-
ter se succedunt. Atque habent ista locum non
solum

solum in paganis, sed & in militibus, etiam capite punitis, ex militari non communi crimine, ut ijs per has possessiones succedatur. Possunt etiam hoc modo succedere omnes, nisi indignos se praestiterint, veluti si seruo meo haerede instituto, dolo feci ne testamentum mutaretur. Et id quidem non solum si edicto praetoris, sed & legibus aut senatusconsultis, haereditas deferatur, ex quibus etiam bonorum possessio datur, seruatō in omnibus eo ordine quem diximus: ut producantur tituli

6. *Si tabulae testamenti nulla extabunt unde liberi.*

7. *Vnde legitimi.*

8. *Vnde cognati.*

9. *De successorio edicto.*

10. *De gradibus & affinibus & nominibus eorum.*

11. *Vnde vir & uxor.*

12. *De Veteranorum & militum successione.*

13. *Quibus non competit bonorum possessio.*

14. *Ut ex legibus senatusve consultis bonorum possessio detur.*

15. *Quis ordo in bonorum possessione seruetur.*

F. *Quam vocas ciuilem? P. Successionem ciuilem ab intestato, quae secundum ea quae supra tradita sunt, primum suis haereditibus deferatur, nempe filiis familias, siue naturalibus siue adoptiuis: deinde legitimis, hoc est agnatis per masculinum sexum*

sexum coniunctis. Nisi quod secundum Tertyllianum senatusconsultum, & Orphitianum, constitutum est, vt mater & liberi exclusis agnatis inter se succedant: vt habent tituli

16. *De suis & legitimis heredibus.*

17. *Ad senatusconsultum Tertyllianum et Orphitianum.*


Tractaturq; de plerisque omnibus supradictis his ipsis titulis Institutionum, & sub rubrica de bonorum possessionibus.

De fartis tectis.

Cap. LIII.

F. Nunc de fartis tectis expecto vt dicas. P. Ad facta tecta conseruanda hæc capita pertinent, primum, vt, si tibi per iniuriam ædificanti opus nouum nunciem, tu cesses ædificare, donec de demoliendo eo quod per iniuriam ædificatum erit, mihi caueris: sitq; omnis nunciatio, aut iuris nostri conseruandi causa, aut damni depellendi, aut publici iuris defendendi gratia: Deinde, vt, si domus tua, vel eius partes prominentes, vt suggrunda & protectiones, ruinam minentur, vnde mihi damnum accidere possit, tu eius dāni nomine, tametsi infecti, mihi caueas. Estq; dānum infectum, damnum nōdum factum, quod futurum veremur: Tum ne per noua opera superioris vel inferioris vicini, aqua pluuia aliter fluat quam solet, quod mihi noceat, in qua re regula est: si cui aqua pluuia dānum dabit, actione aquæ pluuie arcendæ auertetur aqua. Ac dicimus aquam pluuiam, quæ de cælo cadit, atq; im-

G bre



bre excrescit. Denique vt si per publicanum cui quid ablatum sit, quod nō debuit, intra annum in duplum, pōst in simplum, resarciatur: vt habent rubricæ

Lib. 39. 1. De operis noui nunciacione.

2. De damno infecto & de suggrundis & protectionibus.

3. De aqua & aqua pluuie arcende.

4. De publicanis & vectigalibus & commissis.

Sunt autem publicani, qui publico fruuntur, siue fisco vectigal pendant, siue tributum consequantur. Vectigal est, quod pro mercibus certis locis, per quæ vehuntur penditur. Commissum, quod ob vectigal fraudatum fisco addicitur.

De donationibus.

Cap. liij.

F. Sequitur de donationibus vt dicas. P. Quid donatio sit, iam supra est expositum. Diuiditur autem in donationem inter viuos, & mortis causa. Donatio inter viuos est, cum quis viuens dat viuenti ea mente, vt statim velit accipiētis fieri, nec vllō casu ad se reuerti, & propter nullam aliam causam facit, quam vt liberalitatem ac munificentiam exercent. Mortis causa donatio est, cum quis habere se mauult, quàm eum cui donat, magisq; eum cui donat quàm hæredem suum. Quo quidem modo qui rem accipit, mortis causa capere dicitur: vt videre licet sub titulis

5. De donationibus.

6. De

6. *De mortis causa donationibus & capi-
onibus.*

Tractatur etiam his de rebus, & alijs titulo
Institutionum de donationibus.

De manumissionibus.

Cap. lv.

F. Dehinc de manumissionibus reddito. P. Quoniam quid manumissio sit supra vidimus, dicā hic quomodo diuidantur manumissiones: quæ vis & effectus sit manumissionis, & quæ nā inde existant actiones. F. Quomodo diuiduntur manumissiones? P. In eam quæ vindicta, hoc est per virgam magistratus fit, siue priuati hominis, siue vniuersitatis alicuius sit seruus, & eā quæ testamento relinquitur, siue directo, siue per fideicommissum, quæ nisi adempta fit, æque atque directa competit, siue purè, siue sub conditione, vt in statu liberis contingit, qui statutam & destinatam in tempus vel conditionem libertatem habent. Atque vt accidit, vt quis sine manumissione liber fiat, veluti si seruus æger, pro derelicto à domino habeatur, ita & nonnulli etiam manumissi non fiunt liberi, vt si in fraudem creditorum contra legem Æliam Sentiam quis sit manumissus. Quibus omnibus de rebus sunt tituli

Lib. 40. 1. De manumissionibus.

2. De manumissis vindicta.

3. De manumissionibus, quæ seruis ad vniuersitatem pertinentibus imponuntur.

G 2

4. De

4. *De manumissis testamento.*

5. *De fideicommissarijs libertatibus.*

6. *De ademptione libertatis.*

7. *De statu liberis.*

8. *Qui sine manumissione ad libertatem perveniunt.*

9. *Qui & à quibus manumissi liberi non fiunt, & ad legem Aliam Sentiam.*

F. Quæ vis & effectus est manumissionis? P. Ut ex seruo libertus quis fiat, vel etiam tanquã ingenuus, veluti si consentiente domino, ius au reorum annulorum, quod equestris dignitatis est, adipiscatur, vel natalibus, hoc est ingenuitati naturali, expresse restituatur, vt demonstrant tituli

10. *De iure aureorum annulorum.*

11. *De natalibus restituendis.*

F. Quænam autem existunt hinc actiones? P. Quæ de liberali causã vocantur, siue è libertate in seruitutem quis petatur, siue è seruitute in libertatem quis proclamet, quod licet, nisi quis maior viginti quinque annis ad pretium participandũ se vnũdari passus est, vel è liberto ingenuum se dicat, quod & ipsum permissum est, dummodo intra quinquennium à manumissione id fiat: quemadmodum & econtrã. si quis aliquei post mortem seruum dicere velit, intra quinquennium id facere debet, nõ autem post. Et si quæ forte inter patronum, & libertum, qui in ingenuitatem se asserit, sit collusio, placuit libertum, eius qui collusionem detexerit, fieri seruum, secundum titulos

12. *Do*

12. *De liberali causa.*

13. *Quibus ad libertatem proclamare non licet.*

14. *Si ingenuus esse dicitur.*

15. *Ne de statu defunctorum post quinquennium queratur.*

16. *De collusione detegenda.*

Inducta autem est hæc res, ne quorundam dominihorum erga seruos indulgentia inquinaret amplissimum ordinem, eò quòd paterentur seruos suos in ingenuitatem proclamare, liberosq; iudicari.

De possessione.

Cap. lvi.

F. Ordo postulat de possessione ut tractes. P. Cum possessio appellata sit à sedibus quasi positio, quia naturaliter tenetur ab eo qui ei insitit, quoniam corpore fere & animo acquiritur: finis eius est acquisitio dominij, quæ secundum ea quæ supra tractata sunt, est duplex: vna iurisdictionum, cum per veterem occupationem quid nostrum facimus, vnde dominium rerum ex naturali possessione cœpisse dicitur. Altera iuris civilis, per vsucapionem, quæ quidnam sit supra quoque est expositum. Ac quoniam quidem ad omnem vsucapionem, & possessionem opus est, & bona fide, & iusto titulo: is iustus titulus, vel verè intercedit, veluti cum pro emptore, pro hære de legitimo, pro bonorum possessore prætorio, pro donato, pro derelicto, pro legato, pro dote, quis vsucapit id quod reuera emit, vel ex

hæreditate, bonorum possessione, donatione, pro derelicto habito, legato, donato, bona fide accepit: vel probabili ac tolerabili errore intercessisse putatur, cum non intercesserit, quo casu titulo pro suo vsucapitur: veluti si ob id aliquid possideam, quod seruum meum, aut eius cuius in locum iure hæreditario successi, emisse id falso existimé, quia in alieni facti ignorátia tolerabilis error est. De quibus omnibus sunt tituli

Lib. 41. 1. De acquirendo rerum dominio.

2. De acquirenda vel omittenda possessione.

3. De vsucapionibus & usurpationibus.

4. Pro emptore.

5. Pro herede vel possessore.

6. Pro donato.

7. Pro derelicto.

8. Pro legato.

9. Pro dote.

10. Pro suo.

Cum autem vsucapio sit adiectio dominij per continuationem possessionis, vsurpatio est vsucapionis interruptio.

De re iudicata.

Cap. lviij.

F. De re iudicata nunc cupio audire. P. Res iudicata dicitur, quæ finem controuersiarum pronuntiatione iudicis accepit, quod vel condemnatione, vel absolutione contingit, siue in confessum, siue in conuictum, lata sit sententia: nam confessus pro condemnato est, qui quoddammodo

dammodo sua sententia damnatur. Ac est effectus rei iudicatæ, vt secundum hoc parti aduersæ debeat satisfieri, & si bonis quis cesserit, ea possidentur & venundantur à creditoribus, secundum titulos

Lib. 42. 1. De re iudicata & de effectu sententiarum, & de interlocutionibus.

2. De confessis.

3. De cessione bonorum.

F. Intelligo. P. Ante autem rem iudicatam, si quis in ius vocatus copiã sui nõ facit, nec defenditur, siquidem non fraudandi animo id facit, itur in possessionem bonorũ ipsius rei seruãdi causa: Si vero fraudandi animo, non itur in possessionẽ bonorum, sed reuera possidentur bona auctoritate iudicis, & venundantur, vt creditoribus inde satisfiat. Qui, siquidem debitor, alicuius alterius magno ere alieno grauati factus est heres, sic vt si bona confundantur non sint suffectura vtriusq; creditoribus, possunt petere separationẽ bonorũ sui debitoris à bonis hæreditarijs, vt ex bonis separatis sibi soluantur. Ac possessis bonis dari illis solent curatores ex cõsensu maioris partis creditorũ, qui ea regant ac gubernent, & si quid in fraudem creditorum gestum sit, restitui current: vt videre licet per rubricas

4. Quibus ex causis in possessionem eatur.

5. De bonis auctoritate iudicis possidẽdis seu vendendis.

6. De separationibus.

7. De curatore bonis dando.

8. Quæ in fraudẽ creditorũ gesta sunt, vt restituantur.

G 4 In-

Interlocutiones sunt, quæ causæ instruendæ
causâ pendente lite fiunt.

De interdicitis.

Cap. lviij.

F. Transeamus nunc ad interdicta si videtur.
P. Sit ita, & quidem cum quæ interdicta sint su-
prâ sit expositum : eorum diuisio est, quod vel
publicam causam habent, vel priuatam. F. Quæ
habent causam publicam? P. Primum quæ ad ma-
gistratus authoritatem vindicandam, & alia e-
iusmodi, quorum curam haberi publicæ inter-
est, pertinent, veluti vt, quæ quis ab eo possidet,
qui bonorum possessionem defuncti à prætorè
accepit, restituat: Quod & legatarius facere de-
bet, de ijs quæ non ex voluntate hæredis vi oc-
cupauit. Et item is qui possessori bonorum de-
bitoris vim facit. Nec non qui tabulas testamen-
tialicuius possidet, vt eas exhibeat, de quibus
rebus sunt tituli

*Lib 43. 1. De interdicitis siue extraordinarijs actio-
nibus, quæ pro his competunt.*

2. Quorum bonorum.

3. Quod legatorum.

*4. Ne vis fiat ei qui in possessionem missus
erit.*

5. De tabulis exhibendis.

Secundo quæ loca sacra, & publica, viasq; &
itinera, nec non flumina, & eorum ripas, spectât
ne quid in eis fiat, aut à quoquam occupentur,
aut impediatur, quo minus quis vti frui refice-
req; & munire caliceat, vt ostendunt tituli

6. Ne

6. *Ne quid in loco sacro vel itinere fiat.*
7. *De locis & itineribus publicis.*
8. *Ne quid in loco publico vel itinere fiat.*
9. *De loco publico fruendo.*
10. *De via publica, & si quid in ea factum esse dicetur.*
11. *De via publica & itinere publico restitendo.*
12. *De fluminibus, ne quid in flumine publico ripave eius fiat, quo peius navigetur.*
13. *Ne quid in flumine publico fiat, quo aliter aqua fluat atq; uti priore estate fluxit.*
14. *Ut in flumine publico navigare liceat.*
15. *De ripa munienda.*

F. Quæ sunt interdicta quæ causam habent priuatam? P. Quæ singulorum spectant vtilitatem, & trium omnino sunt generum. F. Cedo quorû? P. Primi generis sunt quæ rei familiaris causa dantur. Veluti si quis vi armata, vel alia de possessione me deiecerit. Aut quo minus, ita, uti nec vi, nec clam, nec precario proximo anno quid immobile possedi, possideam, vim facit : Vel quo minus superficie cõducta vtar, me turbat, quod omne vetatur. Quemadmodum & si quis quo minus itinere actiue priuato vtar, aquam quotidianam aut æstiuam ducam, riuum quo aqua decurrit purgem, è fonte hauriam, vel cloacam

per quam colluuias fluit mundem, prohibeat,
secundum titulos

16. *De vi et vi armata.*

17. *Vti possidetis.*

18. *De superficiebus.*

19. *De itinere actusq. priuato.*

20. *De aqua quotidiana & aestiua.*

21. *De riuis.*

22. *De fonte.*

23. *De cloacis.*

F. Probe. P. Pertinetq. eodem restitutio eius quod vi, contra quam prohiberetur, vel clam, celando rem aduersarium, ablatum est. Remissio cautionis per prætorem ex causa post nunciationem noui operis. Restitutio eius quod precario vtendū concessum est, quādiu is qui concessit patitur. Vt arborē tuā domui meæ impendentem, si per testat, quo minus eā adimas, cædā. Et vt fructus arborum mearum, qui glandis nomine omnes comprehenduntur, in agrum tuū cadentes, legam: vt ostendunt tituli

24. *Quod vi aut clam.*

25. *De remissionibus.*

26. *De precario.*

27. *De arboribus cadendis.*

28. *De glande legenda.*

F. Audio. P. Secundi generis sunt, quæ officij causa dantur, veluti si quis hominem liberum pro seruo possessum, officij & in libertatem vindicandi causa, exhiberi petat: vt habet titulus

29. *De*

29. De homine libero exhibendo.

F. Intelligo. P. Tertij autem, quæ ad ius nostrum tuendum pertinent, Vt si quis liberos suos in potestate exhiberi: Rem mobilem anno vtrubi possessam, ducere: Id quod pro mercede habitationis obligatum non est, dum migrat conductor auferre: Et id quod pro ea obligatum est ex Saluiano interdicto, etiam si alienatum sit, locator restitui petat. Quod utique permittitur per titulos

30. De liberis exhibendis.

31. Vtrubi.

32. De migrando.

33. De Saluiano interdicto.

Tangitur autem de nonnullis his sub titulo Institutionum de interdictis.

*De exceptionibus.**Cap. lix.*

F. De exceptionibus nunc dicas velim. P. Quænam autem exceptiones sint, supra est expositum: pertinetque huc præscriptio, quæ est cum tempore actio finita dicitur: & præiudicium, cum aliud iudicium dicitur debere præcedere, antequam ad actionem propositam possit perueniri. Ac sunt quidem speciatim exceptiones: Rei iudicatæ exceptio, cum per sententiã res finita dicitur: Temporis, cum longo tempore se res posse disse quis ait, siue per se, siue per accessionem temporis auctoris sui, à quo res habet: Doli mali & metus, cum dolo circumuentum, vel vi coactum se dicit: Qualitatis rei, cum iuramentum sibi super ea delatum, & præstitum, quod vicem rei iudicatæ obtinet, profectum esse

se esse affirmat. Et litigiosi, cum emptori rei in li-
tem deductæ vitium litigiosi opponitur, vt pros-
dunt tituli

*Lib. 44. 1. De exceptionibus, præscriptionibus, &
præiudicijs.*

2. De exceptione rei iudicata.

*3. De diuersis temporalibus præscriptio-
nibus, & de accessionibus possessio-
num.*

4. De doli mali & metus exceptione.

5. Quarum rerum actio non datur.

6. De litigiosis.

De plerisque istis delibatur nonnihil sub titulo
Institutionum de exceptionibus.

De prætorijs & alijs stipulationi- bus. Cap. LX.

F. Reliquum est de stipulationibus prætorijs
vt differas. P. Enimvero ad stipulationum præ-
toriarum pleniorẽ intelligentiam prius ali-
quid præmuniendum est, deinde ad ipsas stipu-
lationes prætorias veniendum. F. Quidnam au-
tem est præmuniendum? P. Vt primum genera-
liter quid obligatio, quid actio sit (quæ filia est
obligationis) intelligatur, de quo vtroque antè est
traditum: deinde specialiter quænam verborum
sint obligationes, & quomodo contrahantur,
per vnum vel plures reos, liberos homines, vel
seruos, principales vel fideiussores, siue manda-
tores, qui sua fide mandant cum aliquo contra-
hi: & item quomodo dissoluantur, per nouatio-
nes, cum obligatio ex vna forma mutatur in ali-
am

am:delegationes,cum loco veteris debitoris no-
uus substituitur:solutiones,cum id quod debe-
tur præstatur,vnde liberatio contingit:&acce-
ptilationes,quæ est imaginaria solutio,cum quis
id acceptum fert,quod non accepit, de quibus
& ipsis supra magna ex parte est expositum: ad
quæ pertinent tituli

7.*De obligationibus & actionibus.*

Lib.45. 1.De verborum obligationibus.

2.*De duobus reis constituendis.*

3.*De stipulatione seruorum.*

Lib.46. 1.De fideiussoribus & mandatoribus.

2.*De nonationibus & delegationibus.*

3.*De solutionibus & liberationibus.*

4.*De acceptilatione.*

F. Quæ sunt ipsæ stipulationes prætoriz? P.
Quæ corâ prætore in iudicio, vel eius iussu, in-
terponuntur. Ex quibus principales sunt, quæ
tum quidem ad ré pupilli vel adolescentis (quo-
rum specialem curam prætor habet) spectant,
dum eam saluam fore tutor vel curator stipu-
latione cauet: tum autem iudicia, nempe vt is
qui litem alieno nomine suscipit, iudicatû solui
promittat, & qui eam prosequitur, rem ratam
haberi spondet, ne frustra iudicium suscipiatur,
& illusorium reddatur, vt docent rubricæ

5.*De stipulationibus prætoriz.*

6.*Rem pupilli vel adolescentis saluam fore.*

7.*Iudicatum solui.*

8.*Rem ratam haberi, & de ratibabi-
tione.*

De

De plurimis ex his partim sub tractatu Institutionum de verborum obligationibus, partim sub titulo, Quibus modis soluitur obligatio, traditur.

De iudicijs criminalibus.

Cap. lxj.

F. Audiui de iudicijs ciuilibus, audiui de pretorijs, superest, de criminalibus secundum propositum ordinem vt nunc dicas. P. Hæc autem quænam sint, traditum est superius. Ac diuiduntur quidem in delicta priuata, quæ minora sunt: crimina extraordinaria, quæ maiora: & iudicia publica, quæ maxima. Per singula ordine ibimus.

De delictis priuatis.

Cap. lxij.

F. Quæ sunt delicta priuata? P. Ex quibus inter priuatos de re pecuniaria fere agitur: vt demonstrat titulus

Lib. 47. 1. De delictis priuatis.

F. Bene habet. P. Ac committuntur autem delicta priuata, vel circa res nostras, siue clâ dolo, siue palam per vim, vel circa personæ nostræ famam & existimationem. F. Quid committitur circa res nostras clâ dolo? P. furtû, quod à furuo id est nigro quidâ dictum aiunt, quod clâ & obscure fiat, & plerunq; nocte, vel à fraude vt alijs videtur. Ac pertinet quidê huc si quis alienû tignum (qua appellatione cõtinetur omnis materia ex qua ædificium constat, vinearq; necessaria est)

est) ædificio suo vel vineæ iniunxerit. Qua de re quoniam cõmunis boni causa soluere tigna non licet, in duplum actio datur, in eũ qui conuictus est iniunxisse. Quemadmodum & seruus testamento manumissus, intra annum post adeptam libertatem in duplum tenetur, si quid post mortem domini ante aditam hæreditatem de bonis hæreditatis fuerit furatus. Nec non nautæ, caupones, stabularij, ob specialem fidem quam debent. Et si tota seruorum familia furtũ fecisse dicetur, datur optio domino, vt vel oēs noxæ de dat, vel tantum quantum si vnus furtum fecisset luat. Ac de arboribus (quo nomine & vites continentur) furtim cæsis, nõ furti modo agitur, sed & vt latrones qui id fecerint, ob rem publicam violatam, puniuntur: vt ostendunt tituli

2. *De furtis.*

3. *De tigno iniuncto.*

4. *Si is qui testamento liber esse iussus erit, post mortem domini, ante aditam hæreditatem, surripuisse aut corrupisse quid dicetur.*

5. *Furti aduersus nautas, caupones, stabularios.*

6. *Si familia furtum fecisse dicetur.*

7. *Arborum furtim cæsarum.*

F. Quid committitur circa res nostras palam per vim? P. Rapina, de qua suprà quoq; traditũ est, siue seorsim id fiat, siue turba hominũ armatorũ ad hoc coacta. Et si ex incedio, ruina, naufragio qd raptũ sit, siue ratis vel naus expugnata vel dũ prædones eã expugnãt, ex ea quid ablatũ: graui-

gratius punitur , quoniã afflictio afflicto additur: vt videre est sub titulis

8. *De vi bonorum raptorum, & de turba.*

9. *De incēdio, ruina, naufragio, rade, nane expugnata.*

F. Quid committitur circa famam & existimationem personæ nostræ? P. Iniuria, idē siue factō contumelia cui fiat, siue dictō, siue scripto per libellos famosos: quo pertinet titulus

10. *De iniurijs & famosis libellis.*

Pleraq̄ autem hæc omnia attinguntur sub tractatu Institutionum , de obligationibus ex delicto.

De extraordinarijs criminibus.

Cap. lxiij.

F. Sequuntur crimina extraordinaria. P. Extraordinaria crimina sunt , quæ neque iudicio ciuili ordinario, neque item criminali publico, sed medio quodam modo extra ordinem tractantur, ac vindicantur, quoniam plus in se mali habent quàm priuata, & minus quam publica crimina: vt videre licet sub titulo

11. *De extraordinarijs criminibus.*

F. Quæ autem sunt ista? P. Primum violatio sepulchri, quod religiosum per se est, confringēdo eo aut extrahendis ossibus: Venitq̄ sepulchri appellatione omnis sepulturæ locus. Deinde cōcussio ministrorum publicorum iustitiæ, qui simulata magistratus iussione per iniustitiam quid extorquent. Tum abigeatus, qui est cum pecora ex pascuis vel ex armentis, quæ particu-
latim

latim custodiri non possunt, subtrahuntur, & quodammodo deprædantur. Ad hæc præuariatio, cum quis causam, quam tuendam suscepit aduersæ parti prodit, nam dicitur præuaricator quasi varicator, qui diuersam partem adiuuat. Porro receptatio furum, latronum, & similibus, nã sine receptatoribus nemo latere diu potest, & præcipitur vt perinde puniantur atque latrones. Item furtum balnearium, quod in balneis vbi lauantes vestimenta sua, quasi publico in loco, qui minimè violari debet, deponunt, committitur. Præterea effractio carcerum publicorum per captiuos, vel parietum, per expilatores, qui sunt atrociores fures. Ad hæc expilatio hæreditatis iacentis, cum res hæreditariæ, quæ ob hæreditatem nondum aditam proprium custodem non habent, surripiuntur. Item Stellionatus, cum per imposturam & falsum colorem assumptum, vt Stellio animal facere solet, quid committitur. Porro motio terminorum agri, quæ est, cum termini finiũ causa positi, qui quasi sacri sunt, dolo malo loco mouentur. Et denique illicita coactio collegiorum, quæ sine auctoritate publica conueniunt, quo nihil reipublicæ magis est contrarium. De quibus quidem omnibus tractant tituli

12. De sepulchro violato.

13. De concussionibus.

14. De abigeis.

15. De præuaricatione.

16. De receptatoribus.

17. De furibus balnearijs.

H

18. De

18. *De effractoribus & expilatoribus.*

19. *Expilata hereditatis.*

20. *Stellionatus.*

21. *De termino moto.*

22. *De collegijs & corporibus illicitis.*

F. Intelligo. P. Ac pertinent etiam huc populares actiones, sic dictæ, quod cuilibet de populo competunt, quoniam circa ea quæ ad populum pertinent versantur, veluti si album prætoris corruptum, sepulchrum violatum, liber homo occisus sit, qua de re est rubrica

23. *De popularibus actionibus.*

Dicitur autem actio popularis, quæ suum ius populi tuetur.

De iudicijs publicis.

Cap. lxxiii.

F. Ad publica iudicia iam si libet progredere. P. Hæc quænam sint, declaratum est superius, differuntque inter cætera à popularibus, eo quod cum illæ populum tantum speciatim contingant, hæc totum ipsum corpus reipublicæ respiciant. Dicemus autem hic de ijs, quomodo instituantur, quænam sint, & quomodo peragantur.

Quomodo instituantur iudicia publica. Cap. lxxv.

F. Quomodo autem instituantur iudicia publica? P. Apud publicos magistratus, per accusationem solennem, cum inscriptione ad pœnæ talionis, à parte accusatoris, calumniæ reprimendæ cau-

dx causa. Ac quantum ad reum attinet, is pro ratione criminis & personæ, vel in carcerem recipitur, vel militi traditur, vel fideiussoribus de eo exhibendo, aut etiam sibi ipsi committitur: vt habent rubricæ

Lib. 48. 1. De iudicijs publicis.

2. De accusationibus, & inscriptionibus.

3. De custodia & exhibitione reorum.

Quædam de his delibantur in Institutionibus, titulo De publicis iudicijs.

Quæ sint crimina publica.

Cap. lxvj.

F. Quænam autem sunt crimina publica? P. Hæc varijs legibus describuntur ac vindicantur. Primum in his est crimen Maieſtatis, sacrilegio proximum, quod aduersus populum Romanum, vel aduersus securitatem eius committitur. Deinde Adulterium, cum sacrosanctum matrimonium violatur. Tum vis publica, quæ turba seditio- néve concitanda committitur: nec non si quis arma, tela, domi suæ agrove in villa, præter vsum venationis, vel itineris, vel nauigationis, coegerit. Post vis priuata, quæ coadunatis hominibus citra mortem alicuius inferitur. Itæ sicari- atus, & veneficium, cum occidendi hominis causa, cum armis siue ficis quis ambulat, vel venenum conficit. Adhæc parricidium, quod patrem matrem, fratrem sororem, patronum patronam, & his similes occidendo, committitur. Porrò falsum, in nominibus testimonijs, pecunijs, & alijs, quod ad testamenta senatuscon-

H 2 ful-

sultum Libonianum produxit. Item crimē Re-
petundarū, quod ad eas pertinet pecunias, quas
quis in magistratu, potestate, curatione vel quo
alio munere ministerioq; publico cepit. Nec nō
de annona, cū quid per quem factum est quo ea
carior fieret. Et peculatus, cum quis pecuniam
publicam aufert, vel intercipit, aut in rem suam
vertit. Cum quo iungitur sacrilegium, cum cir-
ca pecuniam sacram quis id facit. Et accusatio
de residuis, cū ex administratione publica quid
reliquum debetur. Item ambitus, cum suffra-
gia per vitium petuntur. Ad hęc plagium, cum
homo liber pro seruo venditur. Post quæ sunt,
calumnia, cum falso crimina intentantur: præua-
ricatio, cum vera absconduntur: & tergiuersa-
tio, cum per vitium (nam secus est cum recta via
crimen aboleri petitur, quod licitum est) ab ac-
cusatione desistitur. Quæ tria per senatus consul-
tum Turpilianum vindicantur, suntq; tituli his
derebus

4. *Ad legem Iuliam Maiestatis.*
5. *Ad legem Iuliam de adulterijs coër-
cendis.*
6. *Ad legem Iuliam de vi publica.*
7. *Ad legem Iuliam de vi priuata.*
8. *Ad legem Iuliam de sicarijs & vene-
ficijs.*
9. *De lege Pompeia de parricidijs.*
10. *De lege Cornelia de falsis, & de sena-
tusconsulto Liboniano.*
11. *De lege Iulia repetundarum.*
12. *De lege Iulia de annona.*
13. *Ad*

13. *Ad legem Iuliam peculatus, & de sacrilegis & de residuis.*

14. *De lege Iulia ambitus.*

15. *De lege Fabia de plagiaris.*

16. *Ad senatusconsultum Turpilianum, & de abolitionibus criminum.*

Fit autem horum omnium magna ex parte mētio, sub titulo Institutionum, De publicis iudicijs.

Quomodo iudicia publica peragantur. Cap. lxvij.

F. Quomodo peraguntur iudicia publica? P. Ad hanc rē tria omnino pertinent. F. Quæ sunt primo loco? P. Quæ condemnationem & pœnā præcedunt, nempe requisitio rei absentis, per edicta, literas, vel aliter, & nisi veniat dānatio eius quantum ad bona, non autem quantum ad personam, quoniam non auditus nemo condemnari potest. Nec non quæstio per tormenta, si aliter veritas erui non potest: qua de re sunt tituli

17. *De requirendis reis, vel absentibus dānandis.*

18. *De quæstionibus.*

F. Quæ secundo? P. Ipsæ pœnæ, quæ secundū rerum, personarum, & aliarum circumstantiarum rationem infliguntur. Ac pertinent quidē vel ad corpus affligendum, mutilādum, aut necandū, vel ad bona, quæ non statim, sed post damnationem demum, aut si quis metu damnationis mortem sibi consciuerit, quod vim dā-

H 3 natio-

nationis habet, (non aut si accusatoré corrupe-
rit, nam hoc toleratur, vt quis quoquo modo
sanguinem suū redimat) occupari debēt, vel ad
famā, veluti cū certis locis cui interdicitur, vel
in insulā quis relegatur seruata ciuitate, vel de-
portatur ea amissa: vt monstrant tituli

19. *De pœnis.*

20. *De bonis damnatorum.*

21. *De bonis eorum, qui ante sententiam,
vel mortem sibi consciuerunt, vel accu-
satores corruperunt.*

22. *De interdictis & relegatis & depor-
tatis.*

F. Quæ tertio? P. Quæ condemnationem vel
pœnam sequuntur, veluti cū qui sententiā pas-
sus est, in integrum per gratiā restituitur, vel ca-
dauera punitorum petentibus ad sepulturā, ex
pietate, conceduntur: de quo sunt tituli

23. *De sententiā passis & restitutis.*

24. *De cadaueribus punitorum.*

Regula est, corpora animaduersorum quibus-
libet petentibus ad sepulturam danda esse.

De posterioribus iuris & iudicio- rum. Cap. lxviij.

F. Accepi de prioribus iuris & iudiciorū, acce-
pi de ipsis iudicijs, quid? anne superest de poste-
rioribus eorum vt differas? P. Superest vero. Et
quidem ea triū omnino sunt generū: Nam (put
de prioribus diximus) vel iudiciorum sunt, vel
eorum quæ iuri sunt subiecta, vel ipsius iuris, de
quibus singulis tractabimus.

De

*De posterioribus iudiciorum.**Cap. lxxix.*

F. Posteriora iudiciorum quænam sunt? P. Appellationes, quæ post rem iudicatam interponi solent, cum nimirum ab inferiori iudice ad superiorem prouocatur, ut ille de integro rem cognoscat ac iudicet, quod communis boni causa, ne quis error sit, fuit introductum. Pertinent quoque relationes, cum iudex ipse, siue ante rem iudicatam, siue post, re adhuc integra, principem consulit, & ad eum rem refert, ut quod videtur imperet: ut ostendit titulus

Lib. 49. 1. De appellationibus.

F. Recte. P. Atque in his quidam appellationibus quæ spectantur, alia sunt, quæ in ijs plerumque interueniunt, alia autem quæ ex accidenti in ijs emergunt.

F. Quæ prioris sunt generis? P. Primum personæ, à quibus appellare non licet, ut Princeps, qui caput est omnium, ad quod & non à quo appellatur, vel licet, nempe ab inferioribus ad superiorem. Deinde tempora, nempe ut intra biduum aut triduum post sententiam latam appellatio interponatur. Tum forma, ut non cuiusuis appellatio recipiatur, sed eius contra quem sententia lata est. Cui literæ dimissoriæ siue apostoffi dandi sunt, à iudice inferiori ad superiorem. Et denique effectus, nempe ut appellatione interposita nihil innouetur, non secus atque si sententia lata non esset: quibus de rebus sunt tituli

H ←

2. *Aqui*

2. *A quibus appellare non licet.*
3. *Quis & à quo appelletur.*
4. *Quando appellandum sit, & intra qua tempora.*
5. *De appellationibus recipiendis vel non.*
6. *De libellis dimissorijs, qui apostoli dicuntur.*
7. *Nihil innouari appellatione interposita.*

F. Quæ secundi? P. Quod quædam sententiæ sine appellatione rescinduntur, veluti si quid impossibile præcipiatur. Quodq; in causis ciuilibus etiam per procuratorem causæ appellationum reddi possint, licet in criminalibus cõtra. Item si is quitutor vel curator est magistratus creatus est, appellare ab ea creatione potest, & causas appellationis reddere. Et si quis prosequendæ appellationis causa à sua prouincia absit, non ob id tamen forum domicilij in alijs causis mutat, sed debet in prouincia defendi. Idq; etiam apud eundem iudicem, à quo appellauit, quem vt offensum non potest recusare, quoniã id nõ præsumitur. Et si in causa criminali mors eius qui appellauit pendente appellatione interuenit, fere crimen cum morte extinguitur: vt hæc omnia demonstrantur per titulos

8. *Quæ sententia sine appellatione rescindantur.*
9. *An per alium causæ appellationum reddi possint.*

10. Si tutor vel curator magistratus creatus appellauerit.
11. Eum qui appellauerit in provincia defendi.
12. Apud eum à quo appellatur aliam causam agere compellendum.
13. Si pendente appellatione mors interuenierit.

Vfus appellandi est, vt iniquitatem iudicantium vel imperitiam recorigat, licet nonnunquã bene latas sententias in peius reformet: neq; enim vtiq; melius pronunciat, qui nouissime sententiam laturus est.

De posterioribus eorum quæ iuri sunt subiecta.

Cap. lxx.

F. Posteriora eorũ quæ iuri subijciũtur quænam sunt? P. Res fiscales, militares, & municipales, vltra quas sunt quædam extraordinariæ. F. Quæ sunt fiscales? P. Quæ ad ærarium principis, qui caput est reipublicæ, pertinent, cuius varijs de causis multa sunt priuilegia & iura præcipua: de qua re est titulus

14 De iure fisci,

F. Quæ militares? P. Quæ rem bellicã, in qua defensio reipublicæ consistit, spectant, in quibus & ipsis multa sunt singularia, siue captiuos & postliminio reuersos redemptosq; ab hostibus spectes, qui semper finguntur in ciuitate fuisse. Nam postliminium est, ius amissæ rei recipiendæ

ab extraneo, & in statum pristinum restituendę, siue eos qui militāt, ipsamq; adeo rem militārē, siue bona bello parta quę castrensis sunt peculij, siue denique veteranos, qui tempus militię expleuerunt, honestamq; missionem meruerunt, de quorum omnium priuilegijs videre licet sub titulis

15. *De captiuis & postliminio reuersis & redemptis ab hostibus.*

16. *De re militari.*

17. *De castrensi peculio.*

18. *De veteranis.*

F. Quę municipales ? P. Quę ad municipia, hoc est ciuitates, quę reipublicę corpus nutriūt ac sustentant, pertinent, in quibus secundum legem municipalem, & ciues sunt & incolę, qui subsunt. Et decuriones cum suis filijs qui pręsunt, ordinemq; quasi senatorium constituunt, & in album certo ordine rediguntur. Nec non munera & honores, oneratq; quę ciues subeunt, nisi vacationem ad tempus habeant, vel iusta de causa se excusent, vel ius impetrauerint immunitatis. Pertinentq; huc legationes municipiorum ad principem. Diligens administratio rerum ad ciuitatem pertinentium. Decreta quę ad bonum publicum ordo decurionum, vel maior pars eius facit. Operum publicorum procuratio. Nundinarum mercatus causa diligens obseruatio. Et denique pollicitationes pecuniarum, quę in nundinas vel opera publica, honoresq; non quidem ex pacto quod duorum est, sed ex solius offerentis promissione

ne

ne fiunt , quas reipublicæ causa quasi debirum
exigi placuit : de quibus omnibus rebus sunt
tituli

- Lib. 50.*
1. *Ad municipalem, & de incolis.*
 2. *De decurionibus & filiis eorum.*
 3. *De albo scribendo.*
 4. *De muneribus & honoribus.*
 5. *De vacatione & excusatione mune-
rum.*
 6. *De iure immunitatis.*
 7. *De legationibus.*
 8. *De administratione rerum ad civitatē
pertinentium*
 9. *De decretis ab ordine faciendis.*
 10. *De operibus publicis.*
 11. *De nundinis.*
 12. *De pollicitationibus.*

F. Nunc extraordinariæ res quænam sunt? P.
Quæ non secundum formulas ordinarias à præ-
tore præscriptas (quas cum iudex egreditur, li-
tem suam facere dicitur , quoniam non præ-
toris, sed suam voluntatem sequitur) sed extra
ordinem in iudicio tractantur. Quod quidem
fit, vel quia minores, & viliores res sunt , quàm
vt in iudicium ordinarium deduci debeant, ve-
luti cum proxeneta nominis facti causa, proxe-
neticum , quod sordidum est , petit : vel
maiores ac præstantiores , veluti cum decen-
sibus ac tributis , aut forma censuali, quoad
principem pertinet, agitur : vt ostendunt ti-
tuli

13. De

13. *De extraordinarijs cognitionibus, & si iudex litem suam fecisse dicetur.*

14. *De proxeneticis.*

15. *De censibus.*

Dicitur autem iudex, qui per imprudentiam male iudicat, litem suam facere, quoniam is cuius interest, relicto aduersario ipsum iudicem eo nomine potest conuenire.

De posterioribus iuris.

Cap. lxxj.

F. Quæ sunt posteriora iuris? P. Quibus summa & quasi anacephaleosis quædam totius iuris antiqui, quod his libris ut dictum est traditur, memoriæ iuuandæ causâ continetur. Idque siue rerum diuinarum & humanarum notitiam spectes, quæ verborum quibus describuntur significatione & intelligentia constat: siue iusti & iniusti scientiam, quam regulæ iuris exhibent, quibus quid quaque in re iustum vel iniustum sit, tanquam per causæ perorantæ in vnam summam coniectionem, breuiter enarratur, non quidem quod ex regulis ius sumptum sit, non magis quam si res ex verbis dixeris deductas. Sed quod ex iure quod prius est, regulæ post deinde sunt factæ, ut demonstrant tituli

16. *De verborum significatione.*

17. *De diuersis regulis iuris antiquis.*

F. Optimè. P. Et quidem uti in hoc sermone, qui de priore parte iurisprudentiæ est, verborum significationes potissimum persequimur,
ad

ad diuinarum & humanarum rerum notitiam: ita cum de posteriori parte sermo erit, de regulis iuris maximè inter cætera agemus, ad iusti & iniusti scientiam. Nunc ad sequentia pergamus.

LIBER TERTIVS.

*De libris Codicis Iustiniani,
& eorum partitione.
Caput I.*



Absolutis ergo libris Digestorū siue Pandectarum, quid, anne sequitur ad Codicem Iustinianē uti nunc transeamus? P. Sequitur vero. Et quidem, cum post Codicem Theodosianum Iustinianus alium suum Codicem facere iussisset, ut demonstrat epistola. De nouo Codice faciendo. & factum confirmasset, ut habet epistola de Iustiniano Codice confirmando: post deinde repetita lectione emendari & de integro edī eum iussit; ut tradit epistola, De emendatione Codicis Iustiniani, & noua eius editione, vnde repetita prælectionis Codex appellatur, duodecim omnino

nino libris comprehensus. F. Quomodo autem diuiditur? P. In priora iudiciorum, ipsa iudicia, & posteriora, quemadmodum de diuisione Pandectarum diximus, quorū vestigijs hi libri Codicis magna ex parte insistant, nisi quod quædam alijs locis sunt posita: nam & vnam & eandem rem diuerforum respectu alio atque alio loco recte poni posse constat. F. Sic est. P. Et quidem cum plurima huc recurrant, quæ ad Institutiones & Pandectas sunt exposita, ea tantum breuiter hic explanabimus quæ superius non sunt tractata. Offerentur se nonnulla, de quibus haud paulo commodius ad finem huius sermonis, cū de summa rerum diuinarum & humanarum, quatenus titulis hisce continentur, secundum ea quæ initio præmissa sunt, agemus, quàm cum titulis ipsis, explicabitur, qua summa cognita & percepta, simul & ipsa plenius, quatenus huic instituto conuenit, cognoscentur. Sed iam ad rem accedamus.

De prioribus iudiciorum.

Cap. II.

F. Igitur priora iudiciorum quænam sunt? P. Quæ ad principia iuris & iudiciorum pertinet. F. Quomodo autem ea partiris? P. Quod partim eos spectent, qui iuri ac iudicij præsent, partim ea quæ in principio iudiciorum & in ipsis interueniunt.

De

*Deijs qui iuri ac iudicijs præsunt.**Cap. III.*

F. De ijs qui iuri ac iudicijs præsunt quid ais? P. Hi vel ecclesiastici sunt, vel seculares, tum quidem primarij, tum vero secundarij, de quibus singulis ordine dicemus.

*De Ecclesiasticis, qui iuri & iudicijs præsunt.**Cap. III.*

F. Circa Ecclesiasticos, qui iuri & iudicijs, præsunt, quænam tractas? P. Quatuor omnino. F. Quod est primum? P. De summa trinitate & fide Catholica, ipfisque sacrosanctis ecclesijs, & earum bonis & priuilegijs, de quibus sunt tituli

Lib. 1. 1. De summa trinitate, & fide catholica, & ut nemo publice de ea contendere audeat.

2. De sacrosanctis ecclesijs, & de rebus ac priuilegijs earum.

F. Quod secundum? P. De ipfis Ecclesiasticis, cuiusmodi sunt primo loco episcopi, qui suam habent audientiam iudiciariam, quæ episcopalis dicitur. Post quos sunt alij clerici, qui prout superiorum vel inferiorum sunt ordinum, nuptias contrahere possunt vel non possunt. Et post illos monachi & ascetrix, qui pietatis exercendæ causâ vitam solitariam degunt. Quos deinceps sequuntur Orphanotrophi, qui pue-
ros

ros parentibus orbos publicè nutriunt: & Xenodochi, qui hospites peregrinos recipiunt, captiuisque à barbaris redimendis operam præstāt: quod pertinent tituli

3. *De episcopis & clericis, Orphanotrophis & Xenodochis, & ascetrijs, & monachis, & prsuilegijs eorum, & castrensi peculio, & de redimendis captiuis, & de nuptijs clericorum vetitis, seu permissis.*

4. *De episcopali audientia, & de diuersis capitulis, quæ ad ius, curamq; & reuerentiam pontificalem pertinent.*

F. Quod tertium? P. De ijs qui contra sanctam Ecclesiam peccant, cuiusmodi sunt Iudæi, cœlicolæ, & Pagani, qui veram religionem suscipere nolunt: heretici, & Apostatæ, qui semel susceptam falsis opinionibus inficiunt, vel deserunt, quibus Christianum mancipium possidere vetatur: & qui res sacras, vt sacrum baptisma & signum saluatoris prophanant: de quibus tractatur sub rubricis

5. *De hereticis, & Manicheis, & Samaritanis.*

6. *Ne sanctum baptisma iteretur.*

7. *De apostatis.*

8. *Nemini licere signum saluatoris Christi humi, vel in silice, vel in marmore, aut insculpere, aut pingere.*

9. *De Iudæis, & Caliculis.*

10. *Ne*

10. *Ne Christianum mancipium hereticus, Iudæus, vel paganus habeat, vel possideat, vel circumcidat.*
 11. *De paganis, & eorum sacrificijs, & tēplis.*

F. Quodd quartum? P. De priuilegijs ecclesiarum, quæ sunt, vt nemo inde extrahi possit, & manumissiones rectè in ijs fiant: vt demonstrât tituli

12. *De ijs qui ad ecclesias confugiunt, vel ibi exclamant, & ne quis ab ecclesia abstrahatur.*
 13. *De his qui in ecclesiis manumittuntur.*

De secularibus primarijs, qui iuri & iudicijs presunt.

Cap. V.

F. Seculares primarij, qui iuri & iudicijs præsent, quinam sunt? P. Ipsi principes siue Imperatores, ad quos primum legum constitutiones & edicta, mandataq; iudicialia pertinent, nec non senatusconsulta, & responsa prudentum, ad auctoritatem iuris ijs tribuendam, cuius ignorantia cuiq; nocet, vt demonstrant tituli

14. *De legibus & constitutionibus principum, & edictis.*
 15. *De mandatis principum.*
 16. *De senatusconsultis.*
 17. *De veteri iure enucleando, & de auctoritate iurisprudentum, qui in digestis referuntur.*

I

18. De

18. *De iuris & facti ignorantia.*

F. Recte. P. Deinde supplicantiū libelli, & preces, super quibus rescripta fiunt priuatim, & pragmaticæ sanctiones publicè, vt videre est subtilis

19. *De precibus Imperatori offerendis, & de quib. rebus supplicare liceat vel nō: nam nec damnosa fisco, nec cōtraria iuri postulari oportet.*

20. *Quando libellus principi datus litis contestationem faciat. Nempe si actio tempore esset interitura.*

21. *Vt lite pendente, vel post promocationē, aut de finitiuam sententiam, nemini liceat Imperatori supplicare: quò minus iure communi non autem singulari res tractetur.*

22. *Si cōtra ius, vel utilitatem publicam, vel per mendacium fuerit aliquid postulatum, vel impetratum, ne vim vllam, nec effectum habeat.*

23. *De diuersis rescriptis, & pragmaticis sanctionibus.*

F. Probè. P. Tum tutela eorum qui ad ipsum, vel statuas eius confugiunt: qua de re sunt rubricæ

24. *De statuis & imaginibus, quæ non nisi ipsi principi, vel eius duntaxat iussu alijs erigi possunt.*

25. *De his qui ad statuas confugiunt.*

De

*De secularibus secundarijs, qui
iuri & iudicijs præsunt.*

Cap. VI.

F. Qui secundo iuri & iudicijs prophani homines præsunt, quinam sunt? P. Varij magistratus, qui alij palatini sunt, alij publici, de quibus singulis tractatur, nec non ministris, auctoritate, & stipendijs, ad eos pertinentibus. F. Qui sunt palatini? P. Qui in palatio principis versantur. Ac sunt quidē partim ciuiles, vt magister officiorum, qui varijs officijs palatinis præest, vnde nomē habet, & quæstor sacri palatij, q̄ sacro cōsistorio est præpositus: partim militares vt magistri militū, & iudices militares estq̄ generalis regula, ne rei militaris comitibus vel tribunis lauacra, & alia eiusmodi à populo gratis præstentur: & partim Tamiaci, q̄ ad ærariū principis ptinet, vt comes sacrarū largitionū, q̄ à populo principi largiuntur, comes rerū priuatarum, q̄ à republica principi ppetuo priuatim sunt assignatæ, & comes sacri patrimonij, qd̄ ex successione, vel alia ex causa ei obuenit. F. Qui sunt publici? P. Qui in republica versantur. Ac sunt quidē alij vrbici, alij, puinciales, alij municipales. Vrbici sunt, p̄fectus vrbi, p̄fectus vigilū, p̄fectus annonæ, p̄ctor, & diuersi iudices ciuiles. Prouinciales sunt, maximi, vt p̄fecti p̄torio, oriētis, Illyrici, Aphricæ: medij procōsules & legati: & minores, vt comes oriētis, p̄fectus Augustalis, Vicarius, & alij rectōres, puinciarū: de quib. regula est generalis

I 2 vt

vñ nulli patriæ suæ administratio, sine speciali
 permisso principis permittatur. Municipales
 sunt, iuridicus Alexandriæ, defensores ciuitatū,
 & alij diuersi magistratus municipiorum. F. Iam
 ministri, authoritas, & stipendia, ad supradictos
 magistratus pertinentia, quænam sunt? P. Mini-
 stri sunt, primum, qui vices iudicum gerunt,
 item assessores qui in iudicijs illis assident, do-
 mestici qui administrant, cancellarij qui cancel-
 los circa tribunal seruant, & nomina eorum qui
 in ius vocati sunt adnotant vel cancellant. Au-
 thoritas, vt multas ad certum modum inflige-
 re possint. Stipendia, annonæ quæ ipsis magi-
 stratibus, & eorum ministris præbentur, & ca-
 pita, quæ equis & alijs bestijs eorum quibus vs-
 tantur, in singula capita præstantur. Quorum
 quidem modum ne excedant, prohibitum est,
 ne tempore administrationis dona recipiant,
 fundos emant, domos ædificent. Mandaturq;
 vt post administrationem depositam quinqu-
 ginta dies certis locis maneant, ijsq; qui de illis
 conqueri velint respondeant. De quibus omni-
 bus promiscuè agitur per titulos sequentes hoc
 ordine. F. At quonam autem? P. Primo lo-
 co de maioribus magistratibus tam publicis
 quàm palatinis tractatur: ad quos pertinent
 tituli

26. *De officio præfecti orientis & Illyrici.*

27. *De officio præfecti prætorio Africæ,
& de omni eiusdem diocæseos statu.*

28. *De officio præfecti urbi.*

29. *De officio magistri militum.*

30. *De*

30. *De officio questoris*
 31. *De officio magistri officiorum:*
 32. *De officio comitis sacrarum largitionum.*
 33. *De officio comitis rerum privatarum.*
 34. *De officio comitis sacri patrimonij.*
 35. *De officio proconsulis, & legati.*
 36. *De officio comitis orientis.*
 37. *De officio praefecti augustalis.*

F. Intellego. P. Secūdo de minoribus, ad quos spectant rubricæ

38. *De officio visarii.*
 39. *De officio praetorum.*
 40. *De officio rectoris provinciae.*
 41. *Ut nulli patriæ suæ administratio, sine speciali permissu principis permitatur.*
 42. *De officio praefecti vigilum.*
 43. *De officio praefecti annonæ.*
 44. *De officio civilium iudicum.*
 45. *De officio militarium iudicum.*
 46. *Ne rei militaris militibus vel tribunis lauacra praestentur.*
 47. *De officio diversorum iudicum.*

F. Teneo. P. Tertio de ministris, autoritate, & stipendijs, tam maiorum quàm minorum, ut videre licet sub titulis

48. *Ut omnes iudices, tam civiles quàm militares, post administrationem depositam, quinquaginta dies in civitatibus vel certis locis permaneant.*

49. *De officio eius, qui vicem alicuius iudicis vel praesidis obtinet.*

50. *De assessoribus, & domesticis, & cancellariis iudicum.*

51. *De annoniis, & capite administrantium, & eorum assessorum, aliorumve, publicas sollicitudines gerentium, vel eorum qui aliquas consecuti sunt dignitates.*

52. *De contractibus iudicum, vel eorum, qui sunt circa eos, & inhibendis donationibus in eos faciendis, & ne administrationis tempore proprias aedes edificent, sine sanctione pragmatica.*

53. *De modo multarum, quae à iudicibus infliguntur.*

F. Rectè. P. Quarto denique de minimis magistratibus, cuiusmodi sunt municipales vel quasi: ad quos pertinent tituli

54. *De defensoribus civitatum.*

55. *De magistratibus municipalibus.*

56. *De officio iuridici Alexandriae.*

De principiis iudiciorum, & quae in ijs interueniunt.

Cap. VII.

F. Dehinc principia iudiciorum, & quae in ijs interueniunt, quanam sunt? P. Primum in ius

VOGA-

vocatio & editio. Deinde conventiones, postulationes, & in integrum restitutiones: Tum arbitria, satisfationes, formulæ, & iusiurandum, per quæ singula eundem est.

De in ius vocando & edendo.

Caput VIII.

F. De in ius vocando & edendo quid ais? P. Non aliud, quàm quod suprà tractauimus, pertinentis èd tituli

Lib. 2. 1. De edendo.

2. De in ius vocando.

De conventionibus.

Cap. IX.

F. De conventionibus autem? P. Harum nomine veniunt pacta, & transactiones, de quibus antè explicatum est, sub quibus non continentur error calculi in rationibus subducendis, qui nihil adfert præiudicij: vt habent tituli

3. De pactis.

4. De transactionibus.

5. De errore calculi.

De postulationibus.

Cap. X.

F. De postulationibus verò? P. Quid postulare sit, suprà traditum est, & pertinet eo titulus

I 4

6. De

6. *De postulando.*

F. Per quos autem postulamus? P. Per aduocatos, procuratores, & negotiorum gestores. F. Qui sunt aduocati? P. Qui ad ius alicuius defendendum adhibentur, & in iure versantur : ad quos pertinent tituli

7. *De aduocatis diuersorum iudiciorum, superiorum & inferiorum.*

8. *De aduocatis diuersorum iudicum, maiorum & minorum.*

9. *De aduocatis fisci, ne contra fiscum patrocinium præstent.*

10. *De errore aduocatorum, vel libellos seu preces concipientium, ne noccat litigatoribus.*

11. *Vt quæ desunt aduocatis partium, iudex suppleat.*

12. *Ex quibus causis infamia irrogatur: quæ impedit, quo minus in iure rectè versari quis possit.*

F. Qui procuratores? P. Qui mandatu alicuius res illius agunt, quod vilius est quàm aduocatum esse: vt videre est sub rubricis

13. *De procuratoribus.*

14. *Ne liceat potentioribus patrocinium litigantibus præstare, vel actiones in se transferre.*

15. *De his qui potentiorum nomine titulos prædijs affigunt, vel eorum nomina in litem prætendunt: quos publicæ sententiæ nota affici placuit.*

16. *Vt nemo priuatum titulos vel alienis*

nis imponat, vel à regia suspendat.

17. *Vt nemini liceat, sine iudicis auctoritate signa rebus imponere alienis.*

18. *Ne fiscus vel respublica procuracionem alicui patrociniy causa in lite præstet.*

F. Qui negociorum gestores? P. Qui sine mandatu domini res eius tractant: de quibus est titulus

19. *De negotijs gestis.*

De in integrum restitutionibus.

Cap. XI.

Circa in integrum restitutionem, quznam dispicienda proponis? P. Primum quomodo ex causa metus & doli mali in integrum restitutio fiat, deinde quomodo ætatis minoris ratione in diuersis rebus ac negotijs, tum quomodo petatur ac tractetur, post quomodo militibus cõpetat, & ante quæ tempora, & denique quomodo maioribus vigintiquinque annis. F. De restitutione contra vim vel dolum quid ais? P. Huc pertinent tituli suprâ expositi

20. *De his qua vimetufve causa gesta sunt.*

21. *De dolo malo.*

F. Quid de restitutione ratione ætatis? P. Enimvero circa hanc rem primum personæ spectantur minorum & aliorum ad eos pertinentium: de quibus tractant tituli

I 5

22. De

22. *De in integrum restitutione minorum viginti quinque annis.*
 23. *De filio familias minore, qui & ipse restituitur.*
 24. *De fideiussoribus minorum, quibus nō cōpetere restitutionē traditur.*
 25. *Si tutor vel curator intervenerit, non impedit, quo minus minor restituatur.*
 26. *Si in communi eademq; causa, in integrum restitutio postuletur, traditur restitutionem minoris pro sua parte non prodesse alteri pro sua.*

F. Audio. F. Deinde res aduersum quas fit in integrum restitutio: De quibus sunt rubricæ

27. *Si aduersus rem indicatā restitutio postuletur, quæ admittitur, quæ admodū & reliquæ sequētes oēs, nisi fortasse cōtra venditionē pignorū per creditores iure factā, aut donationē spōsalitiā nō immodicā, cōtrāve libertatē datā, aut delictū suū quis restitui velit, qui non auditur.*
 28. *Si aduersus venditionem.*
 29. *Si aduersus venditionem pignorum.*
 30. *Si aduersus donationem.*
 31. *Si aduersus libertatem.*
 32. *Si aduersus transactionem vel divisionem minor restitui velit.*
 33. *Si aduersus solutionem à tutore vel à se factam.*
 34. *Si aduersus dotem.*

- 35. *Si aduersus delictum suum.*
- 36. *Si aduersus usucapionem.*
- 37. *Si aduersus fiscum.*
- 38. *Si aduersus creditorem.*
- 39. *Si ut ab hereditate absteineat.*
- 40. *Si ut omissam hereditatē, vel bonorū possessionē, vel quisd aliud acquirat.*

F. *Intelligo. P.* Tum accessoria, vbi quādo restitutione opus non fit, vel ea non competat declaratur, sub titulis

- 41. *In quibus causis in integrum restitutio non est necessaria, veluti si minor mortē patris vltus non est, vel quē relā inofficiosi testamēti intra quin quennium non proposuerit.*
- 42. *Qui, & aduersus quos in integrum restitui non possunt, vt filius contra patrem, aut libertus contra patronū.*
- 43. *Si minor se maiorem dixerit, vel maior probatus fuerit, siquidem dolo id fecerit, non restituitur, si per errorem, maxime.*
- 44. *Si sapius in integrū restitutio postuletur, non admittitur.*
- 45. *De his qui veniam etatis impetrarūt, quos traditum est nō habere in integrum restitutionem.*
- 46. *Si maior factus ratum habuerit, cessat quoque restitutio.*

F. *Iā quomodo petitur ac tractatur in integrū restitutio? P.* In hac re spectatur vbi peti debeat, &c

& per quos & quæ debeant interuenire, & quæ vis sit huius iudicij secundum titulos

47. *Vbi & apud quem cognitio in integrum restitutionis agitanda sit, nempe vbi domicilium habet, qui conuenitur.*

48. *De reputationibus quæ fiunt in iudicio in integrum restitutionis: quarum finis est, vt sicut qui restituitur in integrum, in damno morari non debet, ita nec in lucro.*

49. *Etiã per procuratorem causam in integrum restitutionis agi posse.*

50. *In integrum restitutione postulata, ne quid noui fiat.*

F. Quomodo fit restitutio militum? **P.** Quæ admodum & aliorum, qui reipublicæ causa absunt, quod & ad vxores eorum producitur, dūmodo legitima tempora obseruentur, hoc est intra quadriennium restitutio petatur: iuxta rubricas

51. *De restitutione militum, & eorum qui reipublica causa absunt.*

52. *De vxoribus militum, & eorum qui reipublica causa absunt.*

53. *De temporibus in integrum restitutionis, tam minorum aliarumq; personarum quæ restitui possunt, quam etiam heredum eorum.*

F. Quomodo denique eorū qui maiores sunt vigintiquinque annis? **P.** Prout suprâ demonstratum est, & declaratur per titulos

54. *Quibus*

54. *Quibus ex causis maiores in integrum restituantur.*

55. *De alienatione iudicij mutandi causa facta.*

De arbitris, satisfactionibus, formulis, & iureiurando.

Cap. XII.

F. De arbitris, satisfactionibus, formulis, & iureiurando, quid habes dicere? P. Cum de arbitris & satisfactionibus ante sit expositum, & tactum etiam est ad titulum Institutionum De poena temere litigantium: de iureiurando, quod de calumnia ab futura datur, formulæ erant quædam solennes conceptionis verborum, quibus actiones comprehendebantur, quas à prætore impetrare oportebat, quod hodie est sublatum: ut demonstrant tituli

56. *De receptis arbitris.*

57. *De satisfaciendo.*

58. *De formulis & impetrationibus actuum sublatis.*

59. *De iureiurando propter calumniam dando.*

De iudicijs. Cap. XIII.

F. Quoniam de prioribus iudiciorum dictum est, transeamus nunc ad ipsa iudicia. P. De his tractandum est, primum in genere, deinde autem in specie, quatenus secundum ea quæ suprà dicta sunt, omnia iudicia, alia civilia sunt, alia prætoriam,

De iudicijs in genere.

Cap. xiiij.

F. De iudicijs in genere quid ais? P. Quatuor omnino. F. Quod est primum. P. Vt quæ nã iudicia sint intelligas: qua de re est titulus

Lib. 3. 1. De iudicijs.

F. Quod secundum? F. Vt personas quæ in iudicio versantur, & quibus certę sportulæ soluuntur cognoscas. Ac sunt, tum quidem iudices, tã principales, quàm pedanei, & eorum executores, tum autem actores & rei, quatenus legitimam personam habent standi in iudicio, vt ostendunt tituli

2. *De sportulis & sumptibus in diuersis iudicijs faciendis, & de executoribus litium.*
3. *De pedaneis iudicibus, qui ab eo qui iurisdictioni præst dantur.*
4. *Qui pro sua iurisdictione iudices dare dari ve possunt, nempe qui ad iurisdictionem delegantis pertinent.*
5. *Ne quis in sua causa iudicet, vel ins sibi dicat.*
6. *Qui legitimam personam standi in iudicijs habeant, vel non, inter quos sunt pupilli, qui tutore authore habent, absque autem eo non habent.*

7. *Vt*

7. *Vt nemo inuitus agere vel accusare cogatur.*

F. Quod tertium? P. Vt ordinem iudiciorum intelligas, & principium, quod in litis contestatione proprie consistit, quæ petitione & responsione constat. Occuruntq; in ijs plus petitiones (de quibus sub titulo Institutionum de actionibus tangitur) nec non dilationes, & feriæ: vt videre licet sub rubricis

8. *De ordine iudiciorū, qui est vt in quæstione bonorum prius de quæstione status, quàm de bonis cognoscatur, priusq; criminalis quàm ciuilibus causâ terminetur.*

9. *De litis contestatione.*

10. *De plus petitionibus, hæ sunt cū quis plus petit quàm debetur, quod si dolo facit, toto debito priuatur.*

11. *De dilationibus.*

12. *De ferijs.*

F. Quod quartum? P. Vt quæ omnium iudicium iurisdictionis sit, & vbi quisque quaque de re conueniri debeat, teneas: qua de re sunt tituli

13. *De iurisdictione omnium iudicum, & de foro competenti.*

14. *Quando Imperator inter pupillos, vel viduas, vel alias miserabiles personas cognoscat, nepe cum potentiam alienius perhorrescentes iudiciū principis adeunt, quo & aduersarij venire*

PARATIT. IVR. CIVIL.

venire coguntur, & ne exhibeantur, si fortè ab alio ad principem fuerint vocati.

15. *Vbi de crimine agi oporteat*, scilicet vbi commissum est, vel criminofus reperitur.

16. *Vbi de possessione agi oporteat*, nimirū vbi vis commissa est.

17. *Vbi fideicommissum peti oporteat*, in loco scilicet hæreditatis.

18. *Vbi cōueniatur, qui certo loco dare promisit*, vbiuis, si ad destinatum locū non venit.

19. *Vbi in rem actio exerceri debeat*, vbi possidetur, nam actor rei forum, siue in rem, siue in personam actio fit, sequitur.

20. *Vbi de hæreditate agatur*: nempe vbi domicilium habet qui conuenitur, & vbi heredes scripti in possessionem mitti postulare debeant: illic vbi res hæreditariæ sitæ sunt.

21. *Vbi de ratiocinijs tam publicis quàm privatis agi oporteat*, nimirum vbi res gesta & administrata est.

22. *Vbi causa status agi debeat*, scilicet vbi degit is, qui in possessionem libertatis est vel seruitutis.

23. *Vbi de curiali vel cohortali aliave cōditione conueniatur*: vbi cunq; is qui aufugit reperitur.

24. *Vbi senatores vel clarissimi civiliter*
vel

vel criminaliter conueniantur. Criminaliter vbi crimen commissum, ciuilitate vbi degit, vel maiorem partem habet bonorum.

25. *In quibus causis militantes fori prescriptione uti non possunt:* In sanctionibus nempe publicis & negotiatione priuata.

26. *Vbi causa fiscalis vel diuina domus hominumq; eius agantur:* Apud procuratorem scilicet Cæsaris.

27. *Quando liceat unicuiq; sine iudice se vindicare:* In nocturna nimirum agrorum per milites, vel alios depopulatione itinerumq; obfessione.

Vel publicam deuotionem, cum scilicet desertores militiæ opprimuntur, quod unicuiq; permissum est.

De iudicijs ciuilibus.

Cap. XV.

F. Post ista generaliter explicata, nunc de iudicijs ciuilibus specialiter dicitur. P. Hæc quænam autem sint supra est expositum, pertinentq; tum quidem ad res, siue vendicandas, siue condicendas, tum autem ad personas, siue maris & fœminæ coniunctionem liberorumq; procreationis & educationem spectes, siue successionem post mortem: ut antè quoque traditum est.

K De

De iudicijs civilibus ad res vindicandas pertinentibus.

Cap. xvj.

F. Quænam autem sunt iudicia ciuilia, quæ ad res vindicandas pertinent? P. Quoniam secundum ea quæ antè sunt exposita, hæc vel principalia sunt, vel accessoria: ex quibus principalia, vel rerum sunt, vel personarum, vel rerum simul & personarum: & rursus quæ rerum, vel vniuersitatis alicuius, vel rerum singularum, tam corporalium quam incorporalium: de singulis breuiter dicemus.

F. Quæ sunt alicuius vniuersitatis? P. Quibus hæreditas petitur, præcedente querela inofficiosi testamenti, cum quibus & donationes dotesq; inofficiosæ ponuntur: vt ostendunt tituli

28. De inofficioso testamento.

29. De inofficiosis donationibus, quæ sunt cum tantum quis dat alicui, vt quarta sua legitima liberos spoliet.

30. De inofficiosis dotibus, quæ sunt cum mater quæ liberos habet bona sua omnia secundo marito dat in dotem.

31. De petitione hæreditatis.

F. Quæ rerum singularum corporalium? P. Rei vindicationes: vt demonstrat rubrica

32. De res vendicatione.

F. Quæ

F. Quæ rerum singularum incorporalium? P. Quæ ad seruitutes pertinent: De quibus sunt tituli

33. *De usufructu & habitatione, & ministro seruorum.*

34. *De seruitutibus & aqua.*

F. Quæ personarum? P. Quæ damnum contra legem Aquilianam per iniuriam datum spectant, De quibus est rubrica

35. *De lege Aquilia.*

F. Quæ rerum simul & personarum? P. Quæ ex utrisque misceri supra diximus: quo pertinet tituli

36. *Familia herciscunde.*

37. *Communi diuidendo.*

38. *Communia utriusque iudicij tam familia herciscunde, quam communi diuidendo.*

39. *Finium regundorum.*

40. *De consortibus eiusdem litis.* Ex quibus qui præsens est alterius qui abest negotium etiam sine mandato agere potest.

41. *De noxalibus actionibus.*

F. Quæ denique accessoria? P. Quæ superioribus subseruire ante diximus: De quibus sunt tituli

42. *Ad exhibendum.*

43. *De alearum lusu & aleatoribus.*

44. *De religiosis & sumptibus funerum.*

K 2 De

*De iudicijs civilibus ad condicti-
ones pertinentibus.*

Cap. xvij.

F. Iudicia civilia quę ad res condicendas per-
tinent, & ex contractibus originem trahunt que-
nam sunt? P. Enimvero hi contractus, vel re fiunt,
ex quibus alij conductionem speciali nomine pa-
riunt, alij actionem, de quibus tum quidem in
genere, tum autem in specie tractatur, vel con-
sensu, prout distincte particulatęque explica-
bitur.

*De contractibus qui re fiunt, &
conductionem pariunt.*

Cap. xvij.

F. Contractus qui re fiunt & conductionem
pariunt qui sunt? P. Primum mutuum, & quod
in causam mutui incidit, veluti si ob suffragium
dandum licite aliquid promissum fuerit, quo pe-
tendo non a sequestratione pecuniz, sed ab acti-
one incipiendum est, vt habent tituli

Lib. 4. 1. De rebus creditis & iureiurando.

2. Si certum petatur.

3. De suffragio.

4. De prohibita sequestratione pecunie.

F. Recte. P. Tum autem quasi mutuum, quod
varie contrahi supra probatum est: pertinentę
eod rubricę

5. De conductione indebiti.

6. De

6. De conditione ob causam datorum.
7. De conditione ob turpem causam.
8. De conditione furtiva.
9. De conditione ex lege, & sine causa, vel iniusta causa.

De contractibus qui re fiunt, & actionem pariunt in genere.

Cap. XIX.

F. De contractibus qui re fiunt & actionem pariunt in genere, quid tractas? P. Nempe primū quidnam sint obligationes & actiones inde manantes, & qui pro alijs conueniri possint, nec ne, de quibus sunt tituli

10. De obligationibus & actionibus.
11. Ut actiones & ab herede, & contra heredem incipiant.
12. Ne uxor pro marito, vel maritus pro uxore, vel mater pro filio conueniatur.
13. Ne filius pro patre, vel pater pro filio emancipato, vel libertus pro patrono, vel seruus pro domino, conueniatur.
14. An seruus pro suo facto post manumissionem teneatur: Siquidem contractus est non tenetur, si vero delictū, in alium quam in dominum, tenetur.
15. Quando fiscus vel priuatus debitoris sui debitorum conuenire possit vel debeat.

K 3

Nempe

Nempe cum principalis debitor nō est soluendo.

16. *De hereditarijs actionibus.* Hæ p portionibus hæreditarijs inter hæredes diuiduntur.

17. *Ex delictis defunctorū, in quantū heredes cōueniuntur.* Post litē contestatā insolidū, ante in quantū ad eos peruenit, ne alieno scelere ditentur.

18. *De constituta pecunia.*

F. Intelligo. P. Deinde autem de probationibus eorū quæ cōtracta sunt, per testes, instrumenta, & præsumptiones: vt ostendunt tituli

19. *De probationibus.*

20. *De testibus.*

21. *De fide instrumentorum, & amissione eorum, & apochis, & antapochis faciēdis, & de his quæ sine scriptura fieri possunt.* Veluti diuisio, inductio in possessionem vacuum, & similia. Ac est quidem apocha, scriptura, quā quis alicui aliqua de re, veluti de fundo suo, tanti locato, dat: antapocha autem exemplar apochæ, quæ qui apocham accepit, dat ei qui eā dedit, vel noua scriptura, qua qui apocham accepit, de fundo, exempli gratia, tanti locato, fatetur se eū tanti ab illo cōduxisse, eamq; ad cautionem ipsius ei tradit.

22. *Plus valere quod agitur quàm quod simulatè concipitur.*

De

De contractibus qui re fiunt, & actionem pariunt in specie.

Cap. xx.

F. De contractibus qui re fiunt & actionem pariunt speciatim quid dicis? P. Hi vel rei interuentu constituuntur, vel facti, vel personæ, vel causæ.

F. Qui rei interuentu? P. Commodatum & pignus: De quibus sunt tituli

23. *De commodato.*

24. *De pignoratitia actione.*

F. Qui facti? P. Institoria & exercitoria: de quibus supra est traditum, & est titulus

25. *De institoria & exercitoria actione.*

F. Qui personæ? P. Qui ratione eorum qui in nostra potestate sunt cõpetunt, quod pertinet & Macedonianum, & Velleianum senatusconsulta supra exposita: De quibus sunt tituli

26. *Quod cum eo qui in aliena potestate est negotium gestum esse dicitur, vel de peculio, siue quod in iussu, aut de in re verso.*

27. *Per quas personas nobis acquiritur.*

28. *Ad senatusconsultum Macedonianum.*

29. *Ad senatusconsultum Velleianum.*

F. Qui causæ? P. Hic tum quidem defectus causæ spectatur, veluti si pecunia quam me scripti debere numerata nõ est, unde obligatio restituendæ mihi scripturæ nascitur, tum aut effe-

ctus causæ, qui vel externus est, vt in compensa-
tionibus, vel accessorius, vt in conuentione vsu-
rarum, vel proprius, vt in deposito, naufragij,
ruinæ vel incendij causa : quo pertinent rub-
ricæ

30. *De non numerata pecunia.*

31. *De compensationibus.*

32. *De usuris.*

33. *De nautico fœnore.*

34. *Depositum vel contra.*

De contractibus qui consensu fi- unt. Cap. xxj.

F. Contractus qui consensu fiunt quinâ sunt?
P. Mandatum, societas, emptio venditio, & loca-
tio conductio.

F. De mandato quid dicitur? P. Huc pertinent
tituli

35. *Mandati vel contra.*

36. *Si seruus extero se emi mandauerit:
certum est non nocere domino.*

F. De societate autem? P. Eò spectat rubrica

37. *Pro socio.*

F. De emptione & venditione vero? P. Circa
hanc primo tractatur, quid sit, & quæ res vñire
possint nec ne: De quibus sunt tituli

38. *De contrahenda emptione & vendi-
tione.*

39. *De hereditate vel actione vendita.*

40. *Quæ res vendi non possunt & quæ vñ-
di & mercari vetantur. Nempe seruis
cum,*

cum, nisi per comitem commerciorum, & frumētum quod ad exercitum mittitur.

41. *Que res exportari non debeant*, ad barbaros scilicet: nempe vinum, oleū, arma.
42. *De eunuchis*, Qui si Romani sunt emi ac vendi non possunt, barbari possunt.
43. *De patribus qui filios distraxerunt.* Non valet distractio nisi ob summā egestatem, quo casu tamen licet vnicuique in libertatem eos redimere.

F. Audio. P. Deinde, quomodo emptio & venditio rescindatur, aut quo alio modo ab ea discedatur, & cuius rei venditæ sit periculum & commodum, quæve eo nomine competant actiones: quo pertinent rubricæ

44. *De rescindenda emptione & venditione.*
45. *Quando liceat ab emptione discedere:* Renimirum integra.
46. *Si propter publicas pensitationes non solutas venditio fuit celebrata*, manet firma venditio, licet pretium postea offeratur.
47. *Sine censu vel reliquis fundum comparari non posse*, quo minus emptor eo nomine teneatur.
47. *De periculo & commodo rei vendita.*
49. *De additionibus empti & venditi.*

F. Intelligo. P. Tum quo pacto circa alium & res alienas emptio & venditio se habeat: de qua re sunt rubricæ

50. *Si quis alteri, vel sibi sub alterius nomine vel aliena pecunia emerit. Acquiritur ei cui reuera comparatur, licet aliena pecunia, vel alieno nomine simulato apposito.*

51. *De rebus alienis non alienandis, & de prohibita rerum alienatione vel hypotheca.*

52. *De communium rerum alienatione, verum est, vnius factum non nocere alteri.*

53. *Rom alienam gerentibus non interdicitur rerum suarum alienationem.*

F. Recte. P. Ad hæc quæ pacta & conditiones emptioni & venditioni recte inferantur, nec ne, cum redhibitione ex ædilitio edicto: secundum titulos

54. *De pactis inter emptorem & venditorem compositis, vt seruentur.*

55. *Si seruus exportandus venierit, valet pactum, quemadmodum & duo sequentia.*

56. *Si mancipium ita venierit ne prostituatur.*

57. *Si mancipium ita fuit alienatum, vt manumittatur, vel contra.*

58. *De ædilitijs actionibus.*

F. Probe. P. Et denique quoniam modo negotiatio, quæ per emptionem & venditionem rerum per

permutationem fere fit, cū quibus monopoliæ, nundinæ, vectigalia, & varia cōmercia sunt coniuncta, se habeat: qua de re sunt rubricæ

59. *De monopolys, vt quis solus certā aliquam rerum speciem vendat, & cōuentu negotiatorū vel artificum illicito, de certis rebus nō minoris vendendis, ergo laborum, qui ædificia aliq; opera facienda suscipiunt, nec non balneatorum illicitis prohibitisq; pactioibus, quibus agitur, ne quis quod alteri commissum est opus impleat.*

60. *De nundinis & mercationibus.*

61. *De vectigalibus & commissis.*

62. *Nona vectigalia institui non posse, sine auctoritate principis.*

63. *De commercijs, ne sine permissu Comitum cōmerciorum cū barbaris extraneæ loca ad hoc cōstituta exerceantur, & mercatoribus, ne sint nobilioribus natalibus vel honorū luce cōspicui, aut patrimonio ditiores.*

64. *De rerum permutatione, & prescriptis verbis.*

F. Restat de locatione & conductione vt dicas. P. Hæc quænam sit supra est expositum, nec longe ab ea abest contractus emphyteuticarius, de quo & ipso diximus: pertinentq; huc tituli

65. *De locato & conducto.*

66. *De emphyteutico iure.*

De

*De iudicijs civilibus ad coniun-
ctionem maris & fœminæ, libe-
rorumq; educationem, & tu-
telam pertinentibus.*

Cap. xxij.

F. Dehinc adiudicia ciuilia, quæ ad coniun-
ctionem maris & fœminæ, & eorum liberos per-
tinent quænam sunt? P. Hic duo spectantur sum-
ma capita: vnum de nuptijs, vbi quædam præce-
dunt eas, quædam in ijs interueniunt, quædam
post illas solutas accidunt: Alterum de tutelis,
vbi sunt tractatus de diuersis generibus tutorū,
de administratione illorum, de actionibus quæ
eo nomine competunt, de excusationibus, & de
curatoribus maiorum, & prædijs minorum: de
quibus singulis ordine explicabimus.

De ijs quæ nuptias præcedunt.

Cap. xxij.

F. Quæ sunt quæ nuptias præcedunt? P. Spon-
salia, vt antè dictum est, & donationes quas spō-
sus facit propter nuptias: vt monstrant tituli

*Lib. 5. 1. De sponsalibus & arris sponsalitijs: quæ
nisi matrimonium per culpam se-
quatur amittuntur, & proxenetis,
quæ conciliatori nuptiarum dan-
tur.*

*2. Si rector prouincia, vel ad eum per-
tinet.*

vinentes sponsalitia dederint : perdunt ea.

3. *De donationibus ante nuptias, vel propter nuptias, & sponsalitijs : quæ valent.*

De nuptijs, & qua in ijs interueniunt. Cap. xxiiij.

F. De ipsis nuptijs & quæ in illis interueniunt quid ais? P. Hic primū spectatur quæ legitime, quæ illegitimæ sint nuptiæ, & quæ personæ recte coniunguntur, & quomodo se habeant secundæ nuptiæ post priores solutas contractæ: vt videre licet sub titulis

4. *De nuptijs.*

5. *De incestis & inutilibus nuptijs, quæ cum consanguineis, aut alijs quorū matrimonium interdictum est cōtrahuntur.*

6. *De interdicto matrimonio inter pupilam & tutorem, curatorem, vel liberos eorum.*

7. *Si quacunq; prædictis potestate, vel ad eum pertinentes, ad suppositarum iurisdictioni suæ tentauerit nuptias: punitur.*

8. *Si nuptiæ ex rescripto petantur: grauis ter factum puniri placuit.*

9. *De secundis nuptijs, quæ intra tempus luctus contractæ infamiam irrogant.*

10. *Si*

10. *Si secundo nupserit mulier, cui maritus usum fructum reliquerit : amittit eum.*

F. Bene habet. P. Deinde quo pacto res dotalis se habeat: secundum titulos

11. *De dotis promissione & nuda pollicitatione, quam seruari placuit.*

12. *De iure dotium.*

13. *De rei uxoria actione in ex stipulatu actione transfusa, & de natura dotibus praestita. Sic ut quocumque modo constituta sit dos, tanquam ex stipulatu repeti possit.*

14. *De pactis conuentis, seruandis tã super dote, quæ à muliere pficiscitur, quam super donatione ante nuptias, quæ à viro, & paraphernis, quæ extra dotẽ & donationem ante nuptias sunt.*

15. *De dote cauta non numerata, quã repetere mulier non potest, cum nihil dederit.*

F. Recte. P. Tum quo pacto se habeant donationes inter virum & vxorem, & repudia : De quibus sunt tituli

16. *De donationibus inter virum & vxorẽ & a parentibus in liberos factis, & de ratihabitione, per testamentum, quare fit, vt morte confirmentur.*

17. *De repudijs & iudicio de moribus, quod olim inter maritum & vxorem esse solet, sublato.*

De

De ijs quæ post solutas nuptias accidunt. Cap. xxv.

F. De ijs quæ solutis nuptijs accidunt quid habes dicere? P. Hæc tum quidem dotis & aliorum bonorum restitutionem spectant : quo pertinent tituli

18. *Soluto matrimonio quemadmodum dos petatur.*

19. *Si dos constante matrimonio soluta fuerit: habetur instar donationis inter virum & uxorem, & ideo fructus à muliere cōstante matrimonio percepti, post mortē mariti per hæredes eius repeti possunt.*

20. *Ne fideiussores vel mandatores dotum dentur.*

21. *Rerum amotarum.*

22. *Ne pro dote mulieri bona mariti addicantur, sed quemadmodum oportet eonomine agatur.*

23. *De fundo dotali.*

24. *Disortio factō apud quem liberi morari vel educari debeant: quod competens iudex æstimabit.*

F. Intellego. P. Tum autem liberorum educationem, quæ res non solum circa legitimos liberos spectatur, sed & circa naturales ex concubinanatos, secundum rubricas

25. *De alendis liberis ac parentibus.*

26. *De concubiniis.*

27. *De*

27. *De naturalibus liberis & matribus eorum, & quomodo iusti efficiantur: Ex beneficio nempe principis, & per oblationem curiæ: vt sub titulo Institutionum de nuptijs, de his & alijs supradictis videre licet.*

De diuersis generibus tutorum.

Caput xxvj.

F. Post ea quę ad nuptias pertinent explicata, iam diuersa genera tutorum quęnam sunt? P. Quod omnes tutores vel testamentarij sunt, siue directo, siue per confirmationem: quo pertinent tituli

28. *De testamentaria tutela.*

29. *De confirmando tutore.*

F. Audio. P. Vel legitimi, ad quos pertinet titulus

30. *De legitima tutela.*

F. Teneo. P. Vel datiui, circa quos quinã eos petere, & vbi, quiq; eos dare, & quos, quibusque debeant, exponitur per titulos

31. *Qui petant tutores vel curatores, nempe mater, cognati, & liberti, vt supra dictum est.*

32. *Vbi petantur tutores vel curatores: Apud competentes scilicet iudices.*

33. *De tutoribus vel curatoribus illustrium, vel clarissimarum personarum, qui per præfectum vrbi adhibitis decem*

decem senatoribus ex eodem ordine dantur.

34. *Qui dare tutores vel curatores, & qui dari possunt vel non possunt.*

35. *Quādo mulier tutela officio fungatur: Si nimirum suorum liberorum cupit esse tutrix, præstito sacramento, ad alias se nuptias non venire.*

36. *In quibus causis tutorem vel curatorem habenti tutor, vel curator dari potest: Tutor quidem si alius tutor suspectus habetur, curator vero si abest.*

De administratione tutorum & curatorum.

Cap. xxvij.

F. Ad administrationem tutorum & curatorum quænam pertinent? P. Primum vt diligenter rem gerant, siue vnus, siue plures, nisi suum periculum esse velint: quod pertinent rusticæ

37. *De administratione tutorum vel curatorum, & pecunia pupillari fœneranda vel deponenda, prout maxime, pro re videbitur continere.*

38. *De periculo tutorum & curatorum, si officium non faciant.*

39. *Quando ex facto tutoris vel curatoris, minores agere vel conueniri possint.*

40. *Si ex pluribus tutoribus vel curatoribus*

L ribus

ribus oēs vel unus agere p minore, vel conueniri possint. Ac dicitur posse, ne quid quod ad bonum minorū pertineat omittatur.

F. Probe narras. P. Deinde vt pupillis eo nomine cautum sit, vnde fit, vt vectigalia conducere non possint, ne dum fiscus præfertur, minores damnum patiantur, & satisdare debeant, vt admittantur, & suspecti remoueri. Idq; siue fit tutor simpliciter datus, siue in litem, siue verus, siue protutor, siue ex consensu matris, siue non, qui etiam post pubertatem causæ adesse iubetur, ne quid detrimēti pupillus patiatur: secundum titulos

41. *Ne tutor vel curator vectigalia con-
ducat.*

42. *De tutore vel curatore qui satis non
dedit.*

43. *De suspectis.*

44. *De in litem dando tutore vel cura-
toris.*

45. *De eo qui pro tutore negotia gessit.*

46. *Si mater indemnitate[m] promissit: Non
tenetur eo nomine.*

47. *Si contra matris voluntatē tutor datus
sit: remoueri debet.*

48. *Vt causa post pubertatem adsit tutor.*

F. Intelligo. P. Tum vt pupillus vbi oportet educetur, alimenta que ei præstentur: secundum titulos

49. *Vbi pupilli educari debeant.*

50. *De alimentis pupillo præstandis.*

De

*De actionibus, quæ tutela nomine
competunt. Cap. xxviii.*

F. Actiones quæ tutelæ nominæ competunt quænam sunt? P. Hæ alix à parte pupilli sub arbitrij tutelæ nomine, competunt contra tutores, siue administrationem diuiserint, tutelamve gesserint, siue non, & eorum hæredes ac fideiussores, tam de usuris, quàm de ipso principali, vt ostendunt tituli

- 51. *Arbitrium tutela.*
- 52. *De diuidenda tutela, & pro qua parte quisq; tutorum conueniatur.*
- 53. *De in litē iurando, contra tutorem & eius heredem, ob culpam vel dolum.*
- 54. *De heredibus tutorum vel curatorum.*
- 55. *Si tutor vel curator non gesserit.*
- 56. *De usuris pupillaribus.*
- 57. *De fideiussoribus tutorum vel curatorum.*

F. Intelligo. P. Alix contra à parte tutorum aduersum pupillum, postquam tutores esse desierint, quo casu pupillo, actor, vel tutor aut curator datur, qui auctoritatem ei præstet: nam sine auctoritate tutoris nihil pupillus recte agere potest quod ei noceat: prout demonstrant tituli

- 58. *De contrario iudicio tutela.*
- 59. *De auctoritate præstanda.*
- 60. *Quando tutores vel curatores esse desinant.*

61. *De actore ac iudice, seu curatore dando.*

De excusationibus tutorum & curatorum.

Cap. xxix.

F. De excusationibus tutorum vel curatorū quid dicis? P. De his primum generaliter tractatur sub titulis

62. *De excusationibus & temporibus earum.*

63. *Si tutor vel curator falsis allegationibus excusatus sit: ne hoc profit, quominus teneatur.*

F. Teneo. P. Deinde autem specialiter, quantum ad legitimas causas excusationum attinet: De quibus sunt rubricæ

64. *Si tutor vel curator reipublica causa aberit.*

65. *De excusationibus Veteranorum.*

66. *Qui numero liberorum se excusant.*

67. *Qui morbo.*

68. *Qui etate.*

69. *Qui numero tutelarum, de quibus plerisque omnibus tractatur sub titulo Institutionū, de excusationibus tutorum vel curatorum.*

De

*De curatoribus maiorum, &
prædijs minorum.*

Cap. xxx.

F. Iam de curatoribus maiorum, & prædijs minorum restat vt dicas. P. De his vtrisque supra tactum est, pertinentq; omnia ad cautionem minorum, sic vt si alij non sint soluendo, etiam ad magistratus qui officium non fecerint perueniatur: quibus de rebus sunt tituli

70. *De curatore furiosi vel prodigi.*

71. *De prædijs & alijs rebus minorum, sine decreto non alienandis vel obligandis.*

72. *Quando decreto opus non est: Si talis parentis fuerit voluntas.*

73. *Si quis ignorans rem minoris esse, sine decreto comparauerit: habet longi temporis præscriptionem propter bonam fidem.*

74. *Si maior factus alienationem factam sine decreto ratam habuerit.*

75. *De magistratibus conueniendis.*

De iudicijs civilibus ad successionem post mortem pertinentibus.

Cap. xxxj.

F. Superest, de successione post mortem, earumq; iure, & iudicijs civilibus, vt agamus. P. Hæc tum quidem iure prætorio deferuntur, vt

L 3 supra

suprà vidimus, tum autem iure ciuili, siue ex testamento, siue ab intestato : De quibus singulis ordine tractabimus.

De successione prætoria.

Cap. xxxij.

F. De successione prætoria cedo quid habes?

P. Quoniam duplex est, vna libertinorū (de quorum etiam alijs iuribus ob continentiam materiz hic agitur) altera ingenuorū hominum: Qui ad libertinos, atq; adeo seruos vel quasi, cuiusmodi sunt, qui ciuitatibus, & earum operibus, rebusq; principis certa conditione sunt astricti, pertinent tituli, antè expositi, sunt

Lib. 6. 1. De seruis fugitiuis, & libertis mancipiisq; ciuitatum, artificibus, & ad diuersa opera deputatis, & ad rem priuatā vel dominicā pertinentibus.

2. De furtis & seruo corrupto.

3. De operis libertinorum.

4. De bonis libertorū, & iure patronatus.

5. Si in fraudem patroni a libertis alienatio facta sit.

6. De obsequijs patrono præstandis.

7. De libertis & eorum liberis.

8. De iure aureorum, annulorum, & de natalibus restituendis.

F. De ingenuorum hominū successione prætoria quid ais? P. In his primū spectatur, qui admitteri ad bonorum possessionē possunt, & quoniam modo, secundum vel contra tabulas, quod

&

& circa libertos accidit : vt demonſtrant tituli ante tacti

9. *Qui admitti ad bonorum poſſeſſionem poſſunt, & intra que tempora.*
10. *Quando non petentium partes petentibus accreſcant.*
11. *De bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas.*
12. *De bonorū poſſeſſione contra tabulas, quam prætor liberis pollicetur.*
13. *De bonorum poſſeſſione contra tabulas liberti, que patroni liberisq; eorum datur.*

F. Bene habet. P. Deinde autem quonam ordine bonorum poſſeſſio deferatur : qua de re ſunt rubricæ, que ex ijs quæ tractata ſunt intelliguntur

14. *Vnde liberi.*
15. *Vnde legitimi & vnde cognati.*
16. *De ſucceſſorio edicto.*
17. *De Carboniano edicto.*
18. *Vnde vir & uxor.*
19. *De repudianda bonorum poſſeſſione.*
20. *De collationibus.*

De ſucceſſione civili ex teſtamento. Cap. xxxij.

F. Circa ſucceſſionem civilem ex teſtamento quæ nã ſpectatur? P. Tria omninõ, nẽpe quomodo recte fiãt teſtamenta, tam militum quàm paganorum, Quomodo ex ijs acquiratur per vni-

168 PARATIT. IVR. CIVIL.
uerfitatem, & quomodo ex ijs acquiratur per
res singulas.

*Quomodo recte fiant testa-
menta, tam militum
quam paganorum.*

Cap. xxxiiij.

F. Quonam pacto recte fiunt testamēta, tam militum quam paganorum? P. Circa hāc rem duo spectantur. F. Quod est primum? P. Ut scias qua forma recte fiāt testamēta, & per quos: de qua re antè tractatum est, & sunt tituli

21. De testamento militis.

22. Qui testamentum facere possunt, vel non.

23. De testamentis & quemadmodum testamenta ordinentur.

F. Quod alterum? P. Ut scias qui, quomodo recte instituantur, substituuntur, vel exhærentur, aut prætereantur: qua de re sunt rubricæ pleræq; ante expositæ

24. De heredibus instituendis, & qua persone institui non possunt.

25. De institutionibus, & substitutionibus, & restitutionibus, sub conditione factis.

26. De impuberum & alijs substitutionibus.

27. De necessarijs seruis heredibus instituendis vel substituendis, si quis forte sol-

te soluendo non est, & alioqui hæredem non esset habiturus.

28. *De liberis præteritis vel exheredatis.*

29. *De posthumis hæredibus instituendis, vel exheredandis, ne agnatione rumpant testamentum, vel præteritis.*

Quomodo acquiratur ex testamento per vniuersitatem.

Cap. xxxv.

F. Modus quo acquiritur ex testamento per vniuersitatem quisnam est? P. Cum post iustum tempus deliberandi & testamentum apertum, hæreditatem quis adit, (cuius cõtrarium est repudiatio) aut eius possessionem petit: vt ostendunt tituli

30. *De iure deliberandi, & de adenda vel acquirenda hæreditate.*

31. *De repudianda vel abstinenda hæreditate.*

32. *Quemadmodum testamenta aperiantur, vel inspiciantur, vel describantur.*

33. *De edicto diui Adriani, quod occasione vicesimæ hæreditatum, quæ principi olim debita, nunc cessat, introductum erat, tollendo, & quemadmodum scriptus hæres in possessionem mittatur: si quidem scriptura sine vitio est.*

L 5

F. Recte.

F. Recte. P. Quod cum factum est, manet quis hæres, nisi ex causa hæreditas auferatur: vt ostendunt tituli

34. *Si quis aliquem testari prohibuerit vel coegerit.*

35. *De his quibus vt indignis hæreditates auferuntur, & ad senatusconsultum Syllanianum.*

F. Probe. P. Atque hæc quidem cum circa testamenta ita se habeant, sunt vltra ea codicillis, de quibus est titulus

36. *De codicillis.*

Quomodo acquiratur ex testamento per res singulas.

Cap. xxxvj.

F. Ratio qua per res singulas ex testamēto acquiratur, quænam est? P. Per legata, & fideicommissa, de quibus, quatuor hic potissimum traduntur. F. Quod est primum? P. Vt quæ legata, quæ fideicommissa sint, & quæ verborum in ijs significationes, cum nonnullis alijs, quæ legatis & fideicommissis accidere & adici solent, intelligatur, qua de re sunt tituli

37. *De legatis.*

38. *De verborum significatione.*

39. *Si omissa sit causa testamenti, & ab intestato quis velit succedere legatorum fraudandorum causa: placuit id non nocere ijs, quibus libertates relictæ sunt, neque alijs adeo lega-*

legatarijs, quo minus id quod ijs relictum est consequantur.

40. *De indiēta vxori per testamentū mariti viduitate, quod ex lege Iulia miscella, vires habebat, tollendis.*

41. *De his qua pœna nomine in testamētis scribuntur vel relinquuntur.*

42. *De fideicommissis.*

43. *Communia de legatis & fideicommissis, vt tam per actiones personales, quā in rem & hypothecarias peti possint, & de in rem missione, quæ multis tenebris olim inuoluta esse solet, tollenda.*

F. Quod secundum? P. De causis, modis, conditionibus; & accessionibus, legatorum & fideicommissorum: De quibus sunt rubricæ

44. *De falsa causa adiecta legato vel fideicommissio, quæ non vitiat, nisi voluntas testatoris alia prohibetur.*

45. *De his qua sub modo legata vel fideicommissa relinquuntur, quæ nisi impleto modo peti non possunt, nisi constet per legatarum nō stare, quo minus impleatur.*

46. *De conditionibus insertis, tam legatis, quā fideicommissis & libertatibus, implendis.*

47. *De usuris & fructibus legatorum seu fideicommissorum, quæ debentur à tempore litis contestatæ.*

48. *De incertis personis.*

F. Quod

F. Quod tertium? P. Quomodo legata & fideicommissa minuantur: qua de re sunt tituli

49. *Ad senatusconsultum Trebellianum.*

50. *Ad legem Falcidiam.*

51. *De caducis, (quibus multis modis introductum erat, ut deficientibus ijs, quibus in testamento quid relictum erat, bona ad fiscum perveniret) tollendis.*

F. Quod quartum? P. Quomodo legata & fideicommissa acquirantur: quod demonstrant rubricæ

52. *De his qui ante apertas tabulas hereditatem transmittunt. Hi sunt omnes descendentes recta linea, quibus à maioribus suis testamento aliquid relinquitur.*

53. *Quando dies legati vel fideicommissi cedit.*

54. *Ut in possessionem legatorum vel fideicommissorum servandorum mittatur, & quando satisfari debeat.*

De successione civili ab intestato.

Caput xxxvii.

F. Quam vocas successionem civilem ab intestato? P. Quæ cum sine testamento quis moritur defertur, primum quidem suis hæredibus, deinde autem legitimis, tum verò alijs, ubi circa decuriones & similes quædam sunt iura specialia: ut demonstrant tituli

55. De

55. De suis & legitimis liberis & ex filia nepotibus, & ab intestato venientibus.

56. Ad senatusconsultum Tertullianum.

57. Ad senatusconsultum Orphitianum.

58. De legitimis heredibus.

59. Communia de successione.

60. De bonis maternis & materni generis, quorum ususfructus quidem ad patrem, sed proprietas ad liberos pertinet.

61. De bonis qua liberis in potestate patris constitutis ex matrimonio, vel alias acquiruntur, & eorum administratione. Sic ut patris quidem sit ususfructus, sed proprietas liberorum.

62. De hereditatibus decurionum, nauticariorum, cohortalium, militum, & fabricensium. Quae siquidem sine testamento & heredibus decedat, non ad fiscum, sed ad corpus eorum pertinent.

De iudicijs prætorijs.

Cap. xxxviii.

F. Quoniam de iudicijs civilibus haftenus est expositum, age ad iudicia prætoria, nunc si placet trāseamus, P. Horum summa capita sunt decem: De manumissionibus, viucapionibus, & longi temporis præscriptionibus, rebus iudicatis, interdictis, sartis tectis, pignoribus, exceptionibus,

174 PARATIT. IVR. CIVIL.
onibus, stipulationibus, & donationibus, de
quibus ordine differemus.

De manumissionibus.

Cap. xxxix.

F. De manumissionibus quid habes dicere?
P. Circa has primùm tractatur, quot modis fiât,
nempe vindicta, testamento, & per fideicom-
missum, sublatis quibusdam, quæ circa eam rem
solent olim obtinere, sic vt neque deditij vlli
amplius sint liberti, neque latini, sed omnes sint
ciues Romani : vt ostendunt tituli, de quibus
& sub rubrica Institutionum De libertinis a-
gitur,

*Lib. 7. . 1. De vindicta libertate, & apud consiliũ
manumissione.*

2. De testamentaria manumissione.

3. De lege Fusia Caninia tollenda.

4. De fideicommissarijs libertatibus.

5. De dedititia libertate tollenda.

*6. De latina libertate tollenda, & per cer-
tos modos in ciuitatem Romanã trãs-
fusa.*

F. Audio. P. Deinde autem tractatur de varijs
conditionibus eorum, tam qui manumittuntur,
quàm qui manumittunt : quò pertinent ru-
bricæ

*7. De communi seruo manumisso, quonã
modo libertas ei competat, & alijs
dominis satisfiat.*

*8. De seruo pignori dato manumisso, quos
modo*

modo libertatem adipiscatur vel non.

9. *De seruis reipublica manumittendis:*
Ab ordine consentiente præfide Prouinciæ.

10. *De his qui à nō domino manumissi sunt,*
quomodo libertatem consequantur vel non.

11. *Qui manumittere non possunt:* nempe minores octodecim annis, & ne in fraudem creditorum manumittantur.

12. *Qui non possint ad libertatē peruenire:* vt serui ad perpetua vincula damnati.

13. *Quibus ex causis serui pro premio libertatem accipiant,* veluti si mortem domini vindicauerint.

14. *De ingenuis manumissis:* qui ob id nō fiunt libertinæ conditionis.

15. *Communia de manumissionibus.*

F. Intelligo. P. Post quæ sequuntur actiones, quæ hoc nomine varijs de rebus competunt, de quibus sunt tituli

16. *De liberali causa.*

17. *De assertione,* quæ olim in his causis liberalibus cum magna difficultate intercedere solebat, tollenda.

18. *Quibus ad libertatem proclamare non licet,* cuiusmodi sunt qui maiores viginti quinque annis ad prætium

præitium participandum se vœnnum dari passi sunt, & de rebus eorum, qui ad libertatem proclamare nō prohibentur, sequestrandis ad vtilitatem eius, cuius reuera esse reperiuntur.

19. *De ordine cognitionum:* nempe vt prius de statu quàm de hæreditate vel delicto cognoscatur.

20. *De collusione detegenda.*

21. *Ne de statu defunctorum post quinquennium queratur.*

22. *De longi temporis,* hoc est vîginti annorum *prescriptione,* qua pro libertate, si quis tot annis in possessione eius fuerit, & non aduersus libertatem, opponitur.

F. Teneo. P. Agiturq; ad extremum de peculio eius, qui libertatem meruit, & alijs quibusdã hodie sublati:

23. *De peculio eius qui libertatem meruit,* quod non ademptum manet apud manumissum inter viuos, non aut̃ testamento.

24. *De senatusconsulto Claudiano tollẽdo,* de quo supra dictum est.

25. *De nudo iure quirittum,* quo aliud erat iure quirittum nostrum quid esse, aliud autem in bonis esse, tollendo.

De

De vsucapionibus & longi temporis præscriptionibus.

Cap. XL.

F. Ad vsucapiones, & longi temporis præscriptiones nunc transito. P. Hic primum de vsucapionibus rerum mobilium agitur, quas varijs ex causis per possessionē fieri suprà dictum est: pertinentq; eo tituli

26. *De vsucapione pro emptore vel pro transactione.*

27. *De vsucapione pro donato.*

28. *De vsucapione pro dote.*

29. *De vsucapione pro herede.*

30. *Communia de vsucapionibus.*

31. *De vsucapione transformanda, circa res Italicas & prouinciales, sicut eodem modo vsucapiantur, & de sublata differentia rerum mancipi, & nec mancipi, quæ olim obtinere & varias difficultates parere solet.*

32. *De acquirenda & retinenda possessione.*

F. Recte. P. Deinde de præscriptionibus rerū immobilium, circa quas varia se offerunt, secundum titulos

33. *De præscriptione longi temporis, decem inter præsentis, vel viginti annorū, inter absentes.*

34. *In quibus causis cessat longi temporis præscriptio, in familiæ herciscundæ,*

M peti-

petitionisq; hæreditatis iudicio, nec non si titulū quis non habet, vel colonus rem conductam possideat.

35. *Quibus non obijcitur longi temporis præscriptio.* Minori, militi, & alijs q reipublicæ causa absunt.

36. *Si aduersus creditorem præscriptio opponatur,* quod intra legitimū tempus debitum non petijt, cessat pignoris persecutio.

37. *De quadriennij præscriptione contra fiscum,* ne bona tanquam vacantia in fiscum peti, vel ea quæ princeps donauit, repeti possint.

F. Probè. P. Tum de diuersis rebus, in quibus, quantum ad vsucapionem & præscriptionem attinet, varia sunt iura specialia, vt ostendunt tituli

38. *Ne rei dominica vel templorum vindicatio temporis exceptione submo-ueatur.*

39. *De præscriptione triginta inter præsentés, vel quadraginta annorum,* inter absentes, quæ proprie locum habet in omnibus quæ præscribi possunt, in quibus nullum certum breuius tempus est præfinitum.

40. *De annali exceptione Italici contractus,* ob graues difficultates quæ inde oriebantur, tollenda, & de diuersis temporibus, & exceptionibus,

& prescriptionibus, & interruptionibus earum, per interpellationem, liti contestationem: & alijs modis.

41. De alluvionibus, & paludibus, & piscuis, ad alium statum translatis, per incrementum, decrementum, vel mutationem, quæ quidem si magni momenti sint, præstationem tributorum quorum mutantur, si vero parvi momenti & latentia, non mutant.

Derebus iudicatis.

Cap. xli.

• F. Circa res iudicatas quænam autem tractas? P. Quatuor omnino. F. Quod est primû? P. De sententijs quæ à diuersis iudicibus, & varijs modis proferuntur, de quibus sunt tituli

42. De sententijs præfectorum prætorio, contra quas non prouocatur, sed supplicatur.
43. Quomodo & quando index sententiam proferre debeat, presentibus partibus vel una parte absente, quod ex causa fieri potest, sed non est necesse semper ut fiat.
44. De sententijs ex breuiculo, siue periculo, quæ est scheda in qua primum omnium descripta est, recitandis.
45. De sententijs definitiuis, & interlocutionibus, quæ ad ordinandam litem pertinent omnium iudicium,
- M 2 cuius-

cuiuscunque qualitatis sint vel ordinis.

46. *De sententia qua sine certa quantitate profertur, quæ nisi ad aliquid certi referatur, ipso iure nulla est.*

47. *De sententijs quæ pro eo quod interest proferuntur, in quibus veritas rei quoad eius fieri potest indaganda est, & cauendum ne id quod interest, duplum rei principalis cuius estimatio certa est, excedat.*

48. *Si à non competente iudice iudicatum esse dicatur: Nihil actū esse censetur.*

49. *De pœna iudicis, qui corruptus male iudicavit, quæ est infamia & estimatio discriminis litis, vel eius qui aduersarium corrumpere curavit, quem litem perdere placuit.*

50. *Sententiam rescindi non posse, neque per eundem iudicē, neq; aliū, neq; etiam per rescriptum principis.*

51. *De fructibus, qui post litem cōtestatā debētur, & litium expensis, quas vict⁹ victori fere repēdere cogitur.*

F. Quod alterum? P. De rebus per sententiam iudicatis, & earum executionibus, cum alijs que inde dependent, secundum titulos

52. *De re iudicata.*

53. *De executione rei iudicata.*

54. *De usuris rei iudicata, quæ debētur, si per condemnatum stet quo minus satisfiat.*

55. *Si*

55. *Si plures vna sententia condēnati sunt: Quisque eorum pro sua parte censetur condemnatus.*
56. *Quibus res iudicata non nocet: Ad quos negotium non pertinet.*
57. *Comminationes, epistolas, programmata quæ publice proponuntur, subscriptiones, libellorum supplicum, auctoritatem rei iudicatae non habere.*
58. *Si ex falsis instrumentis vel testimoniis iudicatum sit: Reuocatur quod iudicatum est, vbi de falso constiterit.*
59. *De confessis.*
60. *Res inter alios actas vel iudicatas alijs non nocere.*

F. Quod tertium? P. De relationibus, & appellationibus, quæ post rem iudicatam interponuntur, quod pertinent tituli

61. *De relationibus, ad principē, si quid forte difficultatis reperiatur.*

62. *De appellationibus, quæ per litigatores interponuntur post sententiam latam, & consultationibus, quæ fiunt per iudicē apud principem, vt dispiciatur quid circa appellationē fieri debeat nec ne.*

63. *De temporibus & reparationibus appellationum seu consultationum: Quæ diuersis in rebus diuerso modo se habent.*

64. *Quando pronocare non est necesse.*

M 3

65. *Quo-*

PARATIT. IVR. CIVIL.

65. *Quorum appellationes nō recipiuntur:*
Nempe eorū qui spōte cōfessi sunt,
vel per contumaciam abfuerint.
66. *Si pendente appellatione mors interve-*
nerit, eius qui appellavit vel alteri-
us, lis ad hæredem transit.
67. *De his qui propter metum iudicis non*
appellaverunt, non audiendis: quo-
niam nihil in iudicio fieri quod ti-
meri debeat, præsumitur, nisi fortè
vim quis sustinuerit.
68. *Si unus ex pluribus appellaverit, om-*
nibus prodest.
69. *Si de momentanea possessione fuerit ap-*
pellatum: Sortitur tamen sententia
suum effectum.
70. *Ne liceat in una eademq; causa tertio*
pronocare, vel post duas sententias iu-
dicum, quas definitio præfectorum ro-
boravit, eas retractare.

F. Quod quartum? P. De diuersis que circa res iudicatas, & earum executionem interueniunt: prout monstrant rubricæ

71. *Qui bonis cedere possunt: Omnes qui*
non prohibentur, cuiusmodi sunt
qui publicorum munerum euitan-
dorum causa id faciunt.
72. *De bonis auctoritate iudicis possiden-*
dis seu venundandis, & de reparati-
onibus bonorum.
73. *De privilegio fisci, quod est vt omni-*
bus creditorib. psonalib. pferatur.

74. De

74. De privilegio dotis, quod mulieri competens ad heredem eius non transit.

75. De renocandis ijs qua in fraudem creditorum alienata sunt.

De interdictis.

Cap. xliij.

F. De interdictis deinceps quid tractas? P. Haud alia quam quæ suprà tacta sunt: De quibus sunt tituli

Lib. 8. 1. De interdictis.

2. *Quorum bonorum.*

3. *Quorum legatorum.*

4. *Vnde vi.*

5. *Si per vim vel alio modo absentis possessio turbata sit. Potest per quemlibet etiam feruū nomine illius repeti.*

6. *Vti possidetis.*

7. *De tabulis exhibendis.*

8. *De liberis exhibendis seu deducendis, et de libero homine exhibendo.*

9. *De precario, & Saluiano interdicto.*

De sartis tectis.

Cap. xliij.

F. Nunc de sartis tectis si placet dicito. P. Hæc ad ædificia publica & priuata pertinent, prout produnt rubricæ

10. *De ædificijs priuatis, vt secūdū modū*

M. 4

vita-

vsitatum fabricentur, nec eorum
demolitione vrbs deformetur.

11. *De operis noui nunciacione.*

12. *De operibus publicis.*

13. *De ratiocinijs operum publicorum &
patribus ciuitatum, ad quos cura ratiocini-
orum pertinet.*

De pignoribus.

Cap. xliij.

F. De pignoribus porro auco cognoscere. **P.**
De his primum tractatur quænam sint, & quæ
res recte dentur pignori, & qui creditores qui-
bus præferantur. De quibus sunt tituli

14. *De pignoribus & hypothecis.*

15. *In quibus causis pignus tacite contra-
hitur.*

16. *Si aliena res pignori data sit: non con-
sistit pignus.*

17. *Quæ res pignori obligari possunt vel
non, & qualiter pignus contrahatur.*

18. *Qui potiores in pignore habeantur.*

19. *De his qui in priorum creditorum locum
succedunt.*

20. *Si antiquior creditor pignus vēdiderit:
non potest à posterioribus credito-
ribus emptori quicquam molestiæ
inferri.*

21. *Si communis res pignori data sit: non te-
net nisi pro portione dantis.*

F. Probe narraſ, **P.** Deinde prætoria pigno-
ra quo-

ra quonam modo se habeant, quod pertinent rubricæ

22. *De pretorio pignore*, quod iubente eo qui iuri dicundo præst, datur, & ut in actionibus, etiam debitorum, missio pretorij pignoris procedat. Sic ut non solum res mobiles & immobiles scq; mouentes, sed & actiones, quæ debitori contra debitores suos competunt, pignori obligentur.
23. *Si in causa iudicati pignus captum sit*, pro iudicato soluendo, tenet pignus.
24. *Si pignus pignori datum sit*, tenet quidem pignus, sed mox ubi primus debitor soluit, pignus suum à secundo creditore repetit.
25. *De partu pignoris*, & omni causa, ut quemadmodum ipsum principale pignori teneantur.
26. *De remissione pignoris.*
27. *Etiã ob chirographariam pecuniã*, quæ post eam cuius nomine pignus datum est, eidem creditori deberi cœpit, pignus teneri posse.

F. Bene habet. P. Tum quo pacto pignora distrahantur, luantur, vel dominium eorum impetretur: secundum titulos

28. *De distractione pignorum.*

29. *Debitorem venditionem pignorum impedire*

M 5

pedire

pedire non posse, nisi totum debitum offerat.

30. *Si vendito pignore agatur, de venditione iniuste facta, res causâ cognita retractatur.*

31. *De litione pignoris, quæ fit per totius debiti solutionem.*

32. *Si unus ex pluribus heredibus creditoris vel debitoris partem suam debiti soluerit, vel acceperit: minuitur pro ea parte actio personalis, non autê hypothecaria.*

33. *Si pignoris conventionem numeratio pecunie sequuta non sit, nullum est pignus.*

34. *De iure domini, circa rem pignori datam à principe impetrando, siquidem debitor non soluat.*

35. *De pactis pignorum, & de commissoria lege in pignoribus rescindenda. Et ideo si quis pactus est, nisi intra certum tempus soluerit, ut creditori pignus vendere liceat, is non vi conventionis, sed iure communi id facere debet.*

De exceptionibus.

Cap. xlv.

F. De exceptionibus iã sequitur. P. Hæ quænam sint iuprà dictum est: tractantque idem tituli

36. *De exceptionibus & praescriptionibus.*

37. *De iugiosis.*

De stipulationibus.

Cap. xlvj.

F. De stipulationibus cedo quid habes? P. Primum quomodo contrahantur, qua de re tractat tituli

38. *De contrahenda & committenda stipulatione.*

39. *De inutilibus stipulationibus.*

40. *De duobus rebus stipulandi & promittendi.*

41. *De fideiussoribus & mandatoribus.*

F. Recte. P. Deinde quomodo dissoluantur: quod pertinent tituli

42. *De novationibus & delegationibus.*

43. *De solutionibus & liberationibus.*

44. *De acceptilationibus.*

45. *De evictionibus.*

46. *Creditorum evictionem non debere, pignoris, vel alterius rei debitoris quam iure vendidit.*

De donationibus.

Cap. xlvij.

F. Reliquum est de donationibus ut dicas. P. Haec vel personarum sunt, vel rerum. F. Quae sunt personarum? P. Quae ad liberos à patria potestate liberandos, captivosque libertate donandos pertinent. De quibus sunt tituli

47. *De*

47. *De patria potestate.*

48. *De adoptionibus.*

49. *De emancipationibus liberorum.*

50. *De ingratiss liberis, qui rescissa emancipatione in potestatem patris ob ingratitudinem reuertuntur.*

51. *De postliminio reuersis, quos in pristinum statum reuerti placuit, & redemptis ab hostibus, qui iure pignoris manent apud redemptorem, donec pretium soluerint.*

52. *De infantibus expositis liberis et seruis non vindicandis ab ijs qui eos exposuerunt, & de ijs qui sanguinolentos, hoc est exposititios recens natos nutriendos acceperunt, ne pro seruis eos habeant, sed ut liberos & ingenuos, ne videantur quasi mercimonio contracto pietatis officium gerere.*

F. Quæ sunt rerum? **P.** Quæ ad res quæ liberaliter in aliquem conferuntur pertinent, siue publice id fiat à principe expressim, vel longa consuetudine quæ seruari debet: siue priuatim, inter viuos, vel mortis causa: De quibus sunt tituli

53. *Quæ sit longa consuetudo.*

54. *De donationibus.*

55. *De donationibus, quæ sub modo vel conditione, vel certo tempore conficiuntur, ut ea seruentur.*

56. *De reuocandis donationibus, ob ingratitudinem donatarij,*

57. *De*

57. *De mortis causa donationibus.*

58. *De infirmandis pœnis cœlibatus, viri sine vxore, & orbitatis, mulieris sine marito, quæ erant quod non poterant ex mortis causa donatione capere: & de decimarijs sublatiis, quæ erant quod ex lege Papia eorû quæ coniuges, qui sine liberis decedebât alter alteri legabant, decimæ in fisco inferebantur.*

59. *De iure liberorum, generaliter omnibus parentibus, qui liberos suos emanciparunt concessio, cum olim non nisi beneficio principis id competeret.*

De iudicijs criminalibus.

Cap. xlviij.

F. Dictum est de iudicijs civilibus, dictum est de prætorijs, restat de criminalibus vti nunc exponas. P. Circa hæc primum videndum est, quomodo instituantur, deinde ex quibusnam causis nascantur, tum quomodo peragantur, & denique quænam pœnæ ex ijs infligantur.

Quomodo instituantur iudicia criminalia.

Cap. xlix.

F. Quæ est ratio qua instituantur iudicia criminalia? P. Per accusationem à parte vnius, & exhibitio-

hibitionem ac custodiam à parte alterius : vt ostendunt tituli

Lsb.9. *Qui accusare non possunt, nempe serui dominos, liberti patronos, alumni nutritos, & sic deinceps.*

2. *De accusationibus & inscriptionibus.*

3. *De exhibendis & transmittendis reis.*

4. *De custodia reorum.*

5. *De priuatis carceribus inhibendis.*

6. *Si reus vel accusator mortuus fuerit, pendente lite: extinguitur crimen.*

Ex quibus causis nascantur iudicia criminalia.

Cap. L.

F. Ex quibus autem causis nascuntur iudicia criminalia? P. Ex diuersis criminibus ac delictis:

De quibus primo sunt tituli

7. *Si quis Imperatori maledixerit, Non punitur.*

8. *Ad legem Iuliam Maiestatis.*

9. *Ad legem Iuliam de adulterijs, & de stupro.*

10. *Si quis eam cuius tutor fuerit corruerit, deportatur, eiusq; facultates vniuersæ fisco vendicantur.*

11. *De mulieribus, quæ se proprijs seruis iunxerunt, capite puniendis.*

12. *Ad legem Iuliam de vi publica seu priuata.*

13. *De*

13. *De raptu virginum seu viduarum, nec non sanctimonialium, capitis supplicio vindicando.*

F. Audio. P. Deinde sunt alij tituli

14. *De emendatione seruatorum, moderata permessa, immoderata vetita.*

15. *De emendatione propinquorum domestica, senioribus permessa, si leuiora sunt crimina.*

* 16. *Ad legem Corneliam de sicarijs.*

17. *De his qui parentes vel liberos occiderunt, quos parricidij reos esse constat.*

• 18. *De maleficis & mathematicis, & ceteris similibus, qui vetitas artes exercent, discuntque aut docent, coercendis.*

19. *De sepulchro violato.*

20. *Ad legem Flauiam de plagiarijs.*

21. *Ad legem Vulselliam, qua puniuntur libertinę conditionis homines, quę ea quę ingenuorū sunt circa honores & dignitates audent attentare.*

F. Intellego. P. Tum sunt itidem alij.

22. *Ad legem Corneliam de falsis.*

23. *De his qui sibi adscribunt in testamēto lege Cornelia de falsis puniendis.*

24. *De falsa moneta flammaram exustione eius qui eā cudit vindicanda.*

25. *De mutatione nominis, siquidem fraude caret permessa.*

26. *Ad legem Iuliam de ambitu.*

27. *Ad*

PARATIT. IVR. CIVIL.

27. *Ad legem Iuliam repetundarum.*

28. *De crimine peculatus.*

29. *De crimine sacrilegij.*

30. *De seditiosis, & ijs qui plebem audent, contra rempublicam colligere, grauiſſe ſimè puniendis.*

31. *Quando civilis actio criminali præiudicet, nunquam ſcilicet, & an utraque ab eodem exerceri poſſit, & dicitur poſſe.*

F. Teneo. P. Poſt quos denique ſunt ſequentes,

32. *De crimine expilate hereditatis.*

33. *De vi bonorum raptorum.*

34. *De crimine ſtellionatus.*

35. *De iniurijs.*

36. *De famoſis libellis.*

37. *De abigeis.*

38. *De Nili aggeribus non rumpendis, quod flammis vindicatur.*

39. *De ijs qui latrones, vel alijs criminibus reos occultauerint.*

Quomodo peragantur iudicia criminalia.

Cap. LI.

F. Quonam autem pacto peraguntur iudicia criminalia? P. Per requiſitionem reorū, & quaſtiones tormentorum, ad veritatem eruendam, niſi forte abolitio interueniat: caueturq; omnibus

bus modis, vt præuaticatio & calumnia absit, vt
videre licet sub rubricis

40. *De requirendis reis.*

41. *De questionibus.*

42. *De abolitionibus priuatis, quæ per iudicem ex causa conceduntur, veluti si per errorem ad accusandû quis profuierit.*

43. *De generali abolitione omnium criminum per principem.*

44. *Vt intra certum tempus criminalis questio terminetur.*

45. *Ad senatusconsultum Turpilianum.*

46. *De calumniatoribus.*

De pœnis criminum.

Cap. LII.

F. Pœnæ autem criminum quænam sunt? P. Variæ omnino, ex quibus quædam ad corporis afflictionem pertinent, quædam ad famæ ac nominis existimationem, quædam ad bonorum confiscationem, nisi sortasse restitutio interueniat: vt ostendunt tituli

47. *De pœnis.*

48. *Nesine iussu principis certis iudicibus, qui nō sunt in summa potestate constituti, liceat confiscare omnia alicuius bona.*

49. *De bonis proscriptorum seu damnatorum, confiscandis vel non, in*
N qua

qua re liberorum quoque ratio habetur.

50. De bonis eorum qui mortem sibi conscuerunt confiscandis, si ob criminis publici conscientiam, id factum sit, secus autem si ob doloris impatientiam.

51. De sententiam passis & restitutis.

De posterioribus.

Cap. liij.

F. Post priora iuris & iudiciorum, nec non iudicia & iura ipsa explicata, age tractemus nunc si videtur de posterioribus. P. Hæc autem sunt, quæ ad principem & rempublicam potissimum pertinent. Ac sunt quidem partim fiscalia, quæ diuersis ex causis principi obueniunt: partim patrimonialia, quæ tanquam patrimonium eius habentur: & partim palatina, quæ aulam & palatium eius spectant.

De rebus fiscalibus.

Cap. liiij.

F. De rebus fiscalibus quid dicis? P. Ad rem fiscalem duo pertinent summa capita, vnum rerum, & personarum alterum. F. Recte. P. Ac sunt quidem res fiscales, aliæ quæ priuatim fisco varijs ex causis obueniunt, aliæ quæ publicè ei competunt. F. Probe. P. Personæ autem aliæ municipales

principales sunt, quæ rei fiscali sunt subiectæ, aliæ ministeriales, quæ rei fiscali seruiunt.

*De ijs qua priuatim fisco vari-
is ex causis obueniunt.*

Cap. lv.

F. De ijs quæ fisco priuatim varijs ex causis obueniunt quid ais? P. Enimuero hæc primum debitores fiscales spectant, quonam modo conueniri, & bona eorum vendi debeant, cum alijs quæ inde dependent: De quibus sunt tituli

*Lib. ii. 1. De iure fisci, in quo multa sunt singu-
laria.*

2. De conueniendis fisci debitoribus, sic vt statim soluere cogantur, seruatis cū compleuerint allegationibus, quas velint proponere.

3. De fide instrumentorum, ad debita fiscalia pertinentium, & iure hæstæ fiscalis, quod est vt quandiu durant tempora auctionis vel hæstæ, vberius pretium offerri possit.

4. De venditione rerum fiscalium cum priuatis communium, quam fiscus facit etiam si vel minimam partem habeat, dato alijs pretio pro parte dominij.

5. Ne fiscus rem quam vendidit euincat.

6. De his qui ex publicis rationibus mutua

N 2 pecu-

pecuniam acceperunt, in quadruplū & alijs modis puniendis, nec non ijs qui dederint.

7. *Pœnis fiscalibus creditores præferri.*

8. *De fiscalibus usuris, nullis soluendis, eius summæ nomine, quæ pœnæ nomine infligitur.*

9. *De sententijs contra fiscum latis retractandis intra triennium, vel etiam pòst, si præuaricatio vel manifesta fraus probetur.*

F. Bene habet. P. Deinde autem spectant bona vacantia, quæ ad fiscum deoluuntur, vti & thesauri olim, ad quæ pertinent delatores, qui ea deferunt: vt demonstrant tituli

10. *De bonis vacantibus, per hoc quod sine vllò hærede quis decesserit, fisco applicandis, & de incorporatione, eorum in ipsa bona fiscalia, quod fit solenniter per comitem rerum priuarum.*

11. *De delatoribus, bonorum vacantium & aliorum ad fiscum deuolutorū, qui sine fisci aduocato audiri non debent.*

12. *De petitionibus bonorum sublati, ne quis bona ad fiscum deuoluta sibi impetret.*

13. *De ijs qui tacito fideicommissò grauati restituere hæreditatem defuncti alicui incapaci, se deferunt apud fiscum, ad quem eo casu bona pertinent,*

nent, certa parte eorum bonorum remunerandis.

14. *Si liberalitatis imperialis socius, sine hærede decesserit, ut eius pars ad socium superstitem perveniat.*
15. *De thesauris in suis vel alienis querendis, ne posthac Imperatori (ut olim) offerantur, sed commune ius servetur, de quo & sub titulo Institutionum est de rerum diuisione.*

De ijs quæ publicè ad fiscum pertinent.

Cap. lvi.

F. Publice ad fiscum quænam autem pertinent? P. Hæc sunt quæ populus principi largitur. unde & largitiones dicuntur: & sunt alia ordinaria, ut annonæ in speciebus, & tributa in pecunia, quæ prædiorum & aliarum rerum nomine solvuntur: alia extraordinaria, ut indictiones & superindicta, quæ pro ratione temporum non quidem à magistratibus, sed à solo Imperatore imponuntur, & tanquam ordinarij canones exiguntur: ut ostendunt tituli

16. *De annonis & tributis.*

17. *De indictionibus, quæ ultra annonas & tributa sunt.*

18. *De superindicto, quod indictioni superimponitur.*

F. Recte. P. Atque ad hæc colligenda pertinent exactores, captiones pignorum, apochæ, certi ca-

N 3 nones

nones siue regulæ largitionalium titularum, & vt collatoribus sua iura seruentur, neminiq; immunitas concedatur, nisi quod quidam libertate donati, vel aliqua ex parte releuati, vel in aliam formam tributi translati sunt, & nonnulli certo ære laxati, quod iusta discussione facta conferri debet: vt ostendunt tituli

19. *De exactoribus tributorum.*

20. *De superexactoribus*, qui plus quam oportet exigunt in duplum cum capitis periculo puniendis.

21. *De capiendis & distrabendis pignori-
bus tributorum causa.*

22. *De apochis publicis*, quæ de tributis & alijs solutis collatoribus dantur, & *descriptionibus curialium*, qui tributa & alia conferunt, vt eorum nomina & quantum quisque debeat sciatur, & *de distributionibus ciuilibus*, quæ fiunt per schedulas, siue breuia quadrimestria, quibus quid ea tertia parte anni quisq; soluere debeat continetur.

23. *De canone siue regula supradictorū largitionalium titularum*, quomodo scilicet per iudices exigi, & ad thesauros cuiusq; prouinciarum per exactores deferri debeant.

24. *Ne opera a collatoribus exigantur*, quoniam annonas & pecunias eorū nomine conferunt.

25. *De*

25. *De immunitate nemini concedenda.*
26. *De annonis & alijs speciebus largitionalibus cōditis in publicis horreis, vt bene adseruentur, certo ordine expendātur, & ad priuatos vsus nequaquam transferantur.*
27. *Vt nemini liceat in emptione specierum se excusare, siue præcipiatur vt certam quisque quantitatem frumēti ob imminentem necessitatem emat: siue vt Imperatori qui pro exercitu, aut qua alia re coemere iubet, vendat, & de munere sitoconia, hoc est eius qui corruptioni specierum nomine Imperatoris præest.*
28. *De collatione donatorum vel releuatorum, aut translatorum seu aderatorum, vltra quam debeant, interdicta.*
29. *De collatione æris, cuius æstimatio est, vt pro viginti libris æris vnus auri solidus reddatur.*
30. *De discussoribus, quorum munus est, vt quid quæque terræ iugera valeant, & conferre debeant, discutiant, à quo munere nemo excusare se potest.*

N 4 De

*De personis municipalibus,
rei fiscali & alijs mi-
noribus subiectis.*

Cap. lvij.

F. De personis municipalibus rei fiscali & alijs minoribus subiectis quid tractas? P. Hæ tum quidem in decurionibus spectatur, tum autem in ciuibus & incolis. Qui omnes muneribus illis publicis subijciuntur, nisi fortè vacationem vel excusationem habeant. F. Quos autem vocas decuriones? P. Qui, vt suprâ traditum est, quasi senatorium ordinem in municipijs cõstituunt, ad quos pertinent tituli

31. *De decurionibus & de filijs eorum, & qui decuriones habeantur, & quibus modis à fortuna curiæ liberentur, nempe beneficio principis.*
32. *Si seruus aut libertus ad decurionatũ aspirauerit, vt non solum amouea-
tur, sed & puniatur.*
33. *De prædijs decurionum, sine decreto non alienandis.*
34. *Quando & quibus quarta pars debetur ex bonis decurionum, & de modo distributionis eorum.* Nam si decurio hæredem reliquit non illius ordinis, quarta pars bonorum ipsius venit ad ordinem, idq; non ratione singularũ rerum sed vniuersarum.
35. *De*

35. *De imponenda lucretia descriptione,* supradictis extraneis hæredibus decurionum, & alijs qui partem bonorum illius habent, ex causa lucretia. Ac est quidem hæc descriptio, quod in singulas iugationes quatuor filiquas curiæ quotannis pendunt.
36. *De prabendo salario,* per decuriones ex iuribus reipublicæ, ijs quos solus princeps iusserit.
37. *Si curialis relicta ciuitate rui habitare maluerit,* punitur amissionē ruris, cuius causa patriam reliquit.

F. Quos autem ciues? P. Ipsos municipales à muneribus subeundis sic dictos, siue originarios siue adscititios, post quos sunt incolæ, qui & ipsi munera ciuitatis subire coguntur, licet ad honores non admittantur: vt demonstrant tituli

38. *De municipibus, & originarijs.*
39. *De incolis, & ubi quis domicilium,* qua re incolam se facit, habere videtur, nempe vbi maiore parte anni residet, & de his qui studiorum causa in alia ciuitate degunt, quos ob id domicilium ibi non habere constat.
40. *De honoribus & muneribus ciuilibus non continuandis inter patrem & filium, & de interuallis,* quinquennij in honoribus, triennij in alijs, & biennij in legationibus.
41. *De muneribus patrimoniorum,* quæ

quia non personis vt ciuilia, sed patri-
monijs publicæ vtilitatis gratia
indicuntur, ab omnibus subeunda
sunt.

42. *Quemadmodum ciuilia muneris indi-
cuntur, sic nempe vt æqualitas inter
ciues seruetur; & non vnus magis
quam alius grauetur.*

43. *De his quæ spõte publica muneris subeunt,
cum alioqui non teneantur, quos
per hoc priuilegio suo renunciare
constat.*

F. De vacatione & excusatione quid dicis? P.
Hanc quidam habent, quidam non habent, qui-
dam partim habent, partim vero non. **F. Qui eam
habent? P.** Quibus vel principis beneficio, vel a-
liqua iusta de causa illa competit: secundum
titulos

44. *De his qui à principe vacationem ac-
ceperunt, quod non nisi ex causa fie-
ri solet.*

45. *De vacatione publici muneris simpli-
citer concessa: vt non de ordina-
rijs sed extraordinarijs id intelli-
gatur.*

46. *De decretis decurionum super immu-
nitate quibusdam concedenda: libera-
lium nempe studiorum antistibus,
& medicis, non autem alijs.*

47. *De excusationibus munerum, qua
uarijs ex causis competunt.*

48. *De quibus muneribus vel præstationi-
bus*

bus nemini se liceat excusare: nempe quæ ad comparationem frumenti, expeditionem principis, & constructionem murorum pertinent.

49. *Qui ætate vel professione se excusant: maiores nimirum quinquaginta annis, & studiosi artium liberaliū, vsque ad vicefimum quartū ætatis annum.*

50. *Qui morbo se excusant, cœci scilicet, & articulari morbo, non autem podagra, laborantes.*

51. *De hiis qui numero quinque liberorū quantum ad personalia munera, vel paupertate quantum ad patrimonialia, excusationem meruerunt.*

52. *De professoribus & medicis, qui intra numerum sunt, & immunitate donati excusandis.*

53. *De athletis, qui ter vicerunt & coronati sunt à ciuilibus muneribus excusandis.*

54. *De hiis qui non impletis stipendijs sacramento soluti sunt, siquidem ignominix causa, non habent munerū excusationem, si vero ex iusta causa, habent: Veterani qui viginti annis militarunt non indigent excusatione.*

55. *Quibus muneribus excusantur hi, qui post impletā militiam, vel aduocationē per provincias suis commodis vacantes*

commorantur, & de privilegijs eorum, quæ multa sunt ac varia circa munera municipalia, & de condutoribus vectigalium fisci: qui & ipsi à muneribus & honoribus vacationem habent.

F. Qui non habent? P. Libertini, infames, rei postulati, & similes: qui quantum ad honores non admittuntur, & quantum ad sumptus & onera non excusantur: ad quos pertinent tituli

56. De libertinis.

57. De infamibus.

58. De reis postulatis.

59. De his qui in exilium dati, vel ab ordine moti sunt.

60. De filiis familiarum ad munera vocatis, & quemadmodum pro his pater teneatur. Siquidem nominationi consentiat, hoc est, non contradicat.

61. De periculo successorum parentum: Nempe ut omnes hæredes ad id teneantur, quod pater pro honore unius filij promissit.

F. Qui partim habent, partim non habent? P. Mulieres, legati, artifices, & alij: ad quos pertinet rubricæ

62. De mulieribus, in quo loco munera sexui congruentia, vel honores agnoscant, nempe incolatus mariti, nisi quod patrimonialia munera in his locis, in quibus possident, sustinent.

63. De legationibus, quæ siquidem trans-
mari-

marinæ sint, biennij excusationem præstant.

64. *De excusationibus quorundam artificum, qui hic enumerantur.*

65. *De potioribus ad munera nominandis:*
Et ideo si qui nominatus est ostendit alium esse potio-rem, auditur.

66. *Si propter inimicitias creatio facta sit,*
ad aliquem sumptu vel molestia afficiendum: præses ea de re aditus id quod æquum est statuet.

67. *De sumptuum recuperatione,* quos quis in lite fecit, in qua victor euasit, aduersum eos qui iniuste ad munus aliquod eius fatigandi causa deuocauerint.

68. *Si post creationem ante diem subeundi honoris vel muneris, quis decesserit, heredes eius eo nomine non tenentur.*

De personis ministerialibus, quæ rei fiscali seruiunt.

Cap. lviiij.

F. Personæ ministeriales quæ rei fiscali seruiunt, quænam sunt? P. Quæ tabulis, scriptis, & rationibus, censualibus præsumt, eaq; quæ inferuntur suscipiunt, in arcisq; recludunt, aurumque quod importatur appendunt, & paci publicæ circa tributa certo modo exigenda & soluenda præsumt. De quibus tractant tituli

69. De

69. *De tabularijs, scribis, logographis, & censualibus, quos omnes homines liberos, non autem seruituti obnoxios esse oportet.*
70. *De susceptoribus, prepositis, & arca-rijs, vt quæ à collatoribus offeruntur statim suscipiant, à fraudeq; omni abstineant.*
71. *De ponderatoribus & auri illatione, vt æqua lance & libramentis paribus omnia fiant, & si quid quæstionis oriatur per zygo statam definias-
tur.*
72. *De auri publici persecutoribus, vt nõ nisi ex præcepto comitis sacrarũ largitionum aurũ à collatoribus exigant, idq; statim inferant, minimeq; retineant aut consumant.*
73. *De his quæ ex publica collatione illata sunt non usurpandis.*
74. *De auro coronario, quod in coronis aureis principi sponte à populò offertur, & ob id nemo ad id cogatur.*
75. *De Irenarchis, qui paci ac quieti p-
uinciz præsumt, vt à decurionibus iudicio præfidis prouinciz nomi-
nentur.*
76. *De argenti pretio quod thesaurũ infer-
tur, nempe vt pro singulis libris ar-
genti, quini solidi aurei (ex quibus septuaginta duo libram auri faci-
unt) pendantur.*

De

*Derebus patrimonialibus.**Cap. lix.*

F. Post res fiscales de patrimonialibus sequitur ut dicas. P. Hæ tum quidem in personis consistunt, quæ partim aulicæ sunt, partim vrbicæ, partim rusticæ, tum autem in rebus, quæ in agris & fundis, domibus, gregibus, & alijs eò pertinentibus spectantur.

*De personis aulicis ad res patrimoniales pertinentibus.**Cap. lx.*

F. Personæ aulicæ quæ ad res patrimoniales pertinent, quænam sunt? P. Quæ aulæ principis addictæ, tum quidem ad res illius mari transportandas pertinent, ut nauicularij: tum autem ad monetam cudendam & vestes faciendas, ut metallarij, murileguli, & alij: tum vero ad arma fabricanda, cum alijs nonnullis eò pertinentibus: De quibus sunt tituli

Lib. II. 1. De nauicularijs seu naucleris publicas species transportantibus, ne quæ vis eis fiat, & ut ab ijs quæ vehenda susceperint in vsus suos conuertendis abstineant, & de tollenda lustralis auri collatione, quæ à mercatoribus quinto quoquo anno fieri solet.

2. De

PARATIT. IVR. CIVIL.

2. *De prædijs & omnibus rebus nauiculariorum, vt ad quemcunque peruenierint functioni nauiculariæ subiecta maneant.*
3. *De nauibus nō excusandis, quo minus species publicas transportandas suscipiant.*
4. *Ne quid oneri publico sarcinæ priuatæ imponatur: Quod si fiat grauiter coercetur.*
5. *De naufragijs, quæ qui publicas species transuehunt se passos dicunt, vt apud præsidem prouinciæ legitima fiat probatio intra annum.*
6. *De metallarijs, & metallis, & procuratoribus metallorum, ad domum principis pertinētibus, vt ijs in locis maneant quibus sunt astricti, eoq; si auferint reducantur.*
7. *De murilegulis, qui murices, cōchas ad purpuram tingendam piscantur ac legunt, & gyneciarijs & procuratoribus gynecij, qui vestibus & alijs rebus muliebribus curandis in aula præsunt, & de monetarijs, qui monetam cudunt, & bastagiarijs, qui supradictis & alijs rebus deportandis feruiunt, eiq; rei quemadmodū, & supradicti suis rebus sunt addicti.*
8. *De vestibus holoberis, id est holosericis & auratis, & de tinctione sacri muricis*

muricis, extra principis aulam prohibita.

9. *De fabricensibus, qui stigmatibus notati, armis cudendis in aula & alubi principi seruiunt.*

10. *De veteris numismatis potestate, eadē qua nouum, dummodo iusti ponderis & speciei sit.*

11. *Nulli licere in frenis, & equestribus sellis, & in baltheis margaritas, smaragdos, & de hyacinthos aptare: & de artificibus palatinis, vt multam ab ijs qui contrā fecerint exigant.*

12. *De classicis militibus, qui mari & fluminibus piratis purgandis, & alijs necessitatibus seruiunt.*

De personis urbicis ad res patrimoniales pertinentibus.

Cap. lxj.

F. Dehinc personæ urbicæ, quæ ad rem patrimonialem principis pertinent quænam sunt? P. Enimuero hæ vel vtramq; urbem Româ & Constantinopolim spectant, vel alias vrbes ac ciuitates, vel ludos & spectacula. Qui quidem ad patrimonium principis pertinere dicuntur, tum quidem quia nonnulli ex ijs ei rei procurandæ seruiunt, tum autem quod ipsa vtriusque vrbis & aliarum ciuitatum descriptio quasi de patri-

O monio

monio est ipsius principis, cum earum ipse sit pater. F. Qui sunt primi generis? P. Decuriales vtriusque urbis, nec non corporati, & collegiati, qui omnes sua habent priuilegia, canonesque frumentarios: ut produnt tituli

13. *De decurialibus urbis Rome*, qui actis senatus conciliendis seruiunt, & quasi minorem quendam ordinem constituunt.

14. *De priuilegijs corporatorum urbis Rome*, ut illæsa seruentur, ipsique secundum titulos sequentes officium faciant.

15. *De pistoribus*, qui panibus ciuilibus & alijs coquendis sunt addicti.

16. *De suarijs*, qui porcina carnem populo præstant, & *susceptoribus vini*, qui vinum, & *cæteris corporatis*, ut suis fruantur priuilegijs.

17. *De collegiatis* varij generis, & *chartopratis*, qui chartas tractant, & *nummularijs*, qui nummos: qui ita demum collegiorum suorum priuilegijs fruuntur, si ordinarij sunt, non autem si extraordinarij.

18. *De studijs liberalibus urbis Rome & Constantinopolitane*, ut in locis publicè ad hoc destinatis, & ab ijs quos oportet, non autem aliter tractentur.

19. *De honoratorum vehiculis*, ut ijs intra urbem vtantur.

20. *De*

20. *De priuilegijs urbis Constantinopolitane*, quæ sunt vt veteris Romæ prærogatiua lætetur.
21. *De metropoli Beryto*, vt quemadmodum Tyrus, quæ eiusdem prouinciae est, metropolitana dignitate gaudeat.
22. *De canone frumentario urbis Romæ*, qui ad frumentum quod è prouincia Romam mittitur, ibiq; certa regula distribuitur, pertinet.
23. *De frumẽto urbis Constantinopolitane*, vt eius canon diligenter quoq; seruetur, & ne pecunia ei rei destinata in alios vsus conuertatur.

F. Quisecundi? P. Primates & administratores aliarum ciuitatum, qui rerum patrimonialium curam gerunt, nec non nauæ Tyberini, qui pleriq; omnes suos canones habent ciuiles, & alia pro cura reipublicæ quam subeunt, cuius varia sunt iura & priuilegia: vt demonstrant tituli

24. *De annoribus ciuilibus*, quæ ijs qui bene meriti sunt, ad certum modum tessararum, singulis annis vel mensibus de publico dantur.
25. *De mendicantibus validis*, ne annoribus illis dentur, sed vt qui tales inuenti sunt, ijs qui eos prodiderint addicantur.
26. *De nautis Tyberinis*, vt onera publica sine vlla excusatione obeant.

PARATIT. IUR. CIVIL,

27. *De frumento Alexandrino*, dimetiendo, & bene in singulos dies distribuendo.
28. *De Alexandria primatibus*, vt immunes sint ab onere repurgandi fluminis.
29. *De iure reipublicæ*, quod est, vt tanquam pupilla extra ordinem iuuetur & si indefensa condemnata est, pro nullo habeatur.
30. *De administratione rerū publicarum*, vt qui negligētius circa eā rē versantur, ad id quod interest teneantur.
31. *De vendendis rebus ciuitatis Constantinopolitanę* authoritate principis, & aliarum ciuitatum prouincialis vni authoritate præsidis, siquidem ita expedire videatur, & vt pecunia inde redacta in opera publica conferatur.
32. *De debitoribus ciuitatum*, ad honores non admittendis, nisi solutione prius facta, vel re certa & cauta.
33. *De periculo nominatorum*, si qui per eos ad certa munera nominati sunt, soluendo non esse reperiantur.
34. *De periculo eorum qui pro magistratibus interuenerunt*, vt de eo quod rei publicæ interest, non autem de pœnis inflictis teneantur.
35. *Quo quisq; ordine conueniatur*: nemo

pe primumis qui gessit magistratū,
tum fideiussor, tum nominator, tū
collega.

36. *Ne quis liber inuitus actum respub-
lica gerere cogatur, qui seruilis
fit.*
37. *Sumptus iniuncti muneris ad omnes
collegas pertinere.*
38. *De his qui ex officio quod administra-
runt conueniuntur, vt ad sortem eius
quod sine culpa eorum perditum
est, non autem vsuras teneantur.*
39. *De solutionibus & liberationibus de-
bitorum ciuitatis, si ipsorum curato-
rum, non autem seruorum cautio-
nes ea de re habeant.*

F. Qui tertij? P. Qui rebus scenicis, gladiato-
ribus, venationi, & alijs eiusmodi ad volupta-
tem populi pertinentibus præsumt: De quibus
sunt rubricæ

40. *De spectaculis gymnycis restituēdis,
& scenicis ac pantomimis prohi-
bendis, ne circa statuas principum
viles ludos exhibeant, & lenonibus
filiarum vel ancillarum suarum, ip-
sorum dominio priuandis.*
41. *De expensis publicorum ludorum in
refectionem murorum si ita res po-
stulat ad tempus conferendis.*
42. *De aqueductu publico diligēter re-
parando, curādo, & repurgādo, eti-
am ex pecunijs vectigalium, & ad
O 3 priua-*

priuatatos vsus minime diuertendo.

43. *De gladiatoribus prohibitis.*

44. *De venatione ferarum,* quantum ad leones occidendos permiffa.

45. *De Maiuma eiusq; lztitia* prouincialibus restituenda, ita vt honestas & verecundia feruetur.

46. *Vt armorum vsus infcio principe interdicitur fit.*

De personis rusticis ad res patrimoniales pertinentibus.

Cap. lxiij.

F. Personæ rusticæ ad res patrimoniales pertinentes quænam sunt? P. Primum generaliter agricolæ & coloni, qui censiti, hoc est, in censum redacti sunt: ad quos pertinent tituli

47. *De agricolis* in genere, & speciatim de censitis, qui capite censi & glebæ adscripti sunt, & coloni q sunt liberi.

48. *De capitatione ciuium,* qui in vrbi- bus degunt censibus eximēda, ne aut capitis censum præstent, aut capite censi glebæ adscribantur.

49. *In quibus causis coloni capite censiti dominos,* quorum quodâmodo serui sunt, accusare possunt, nēpe si plus ab ijs quam oportet exigant, & iniuriz sibi per crimen publicum illatæ vindictam prosequantur.

F. Recte.

F. Rectè. P. Deinde specialiter variarum provinciarum coloni, alijsq; rusticani, ad quos pertinent censitores, qui censum agunt: inspectores, qui quantum agri valeant inspiciunt: & peræquatores, qui vnos cum alijs exæquant: vt ostendunt tituli

50. *De colonis palestinis*, ne à terris suis recedant.
51. *De colonis Thracencibus*, vt non capitationes, sed terræ tributa præstet.
52. *De colonis Illyricanis*, ne terras suas deserant.
53. *Vt nemo ad suum patrociniū suscipiat rusticanos vel vicos eorum*, vt hoc modo per suscipientium potentiā tributa publica fraudentur.
54. *Ne rusticani ad vllum obsequium*, quod præstationes eorum excedat denocentur, & si cōtrà quis facit, grauius punitur.
55. *Non licere habitatoribus metrocomie*, quæ quemadmodum metropolis vrbium, ita vicorum aliquot est caput, loca sua ad extraneum, qui non sit eiusdem metrocomiæ vicaneus, per quemlibet contractū transferre.
56. *Vt nullus ex vicaneis pro alienis vicaneorum debitis teneatur*.
57. *De censibus, & censoribus, & peræquatoribus, & inspectoribus*, vt officium faciant, nec quenquam
- O 4 amplius

amplius quam oportet grauent. Ac sunt quidem census descriptiones iugerum & capitum: Censitores, qui census agunt: Peræquatores q̄ ad æqualitatem rem redigunt: Inspeciores, qui prædia & eorum valorem inspiciunt.

De agris, domibus, gregibus, & alijs ad res patrimoniales pertinentibus.

Cap. lxiij.

F. Nunc de agris, domibus, & gregibus patrimonialibus quid dicis? P. Circa hanc rem primū de ijs agris, fundis, pascuis, & eorum colonis, & priuilegijs agitur, qui propriè patrimoniales dicuntur, & ad milites limitaneos, aut eos qui in Castellis degunt alendos pertinent: De quibus sunt tituli

58. *De omni agro à possessoribus deserto ordini decurionum ciuitatis, sub qua est assignando, cum immunitate triennali, & onere soluendo tributa post triennium, & quando steriles fertilibus, qui eiusdem territorij sunt, imponatur: ne damnū principis sentiat, nepe cum agri illi deserti ad tributa soluēda minus sunt idonei.*

59. *De fundis limitrophis, vnde milites*
limita

limitanei aluntur, & terris & paludibus & pascuis limitaneis, & castellorum, quæ militum limitaneorū & Castellanorum sunt propria, & à tributis quamdiu ab ijs possidentur sunt immunia.

60. De pascuis publicis & privatis, ne militum molestia fatigentur, vel pensione vltra solitum grauentur.
61. De fundis patrimonialibus principis & saltuensibus, qui pecoribus per nemora pascendis seruiunt, & emphyteuticis, qui in emphyteusim dantur, & eorum conductoribus, ne eos deserant, aut ad ius priuatū transferant.
62. De mancipijs & colonis patrimonialium & saltuensium, & emphyteuticorum fundorum, vt si aliò aufugerint, vel ad militiam aliquam conuolarint, ad pristinam conditionē reuocentur.
63. De fugitiuis colonis patrimonialibus, saltuensibus, & emphyteuticis, ad pristinam conditionem reuocandis.
64. De collatione ordinaria fundorum patrimonialium, & emphyteuticiorū, non autem extraordinaria, ad quā non tenentur.

F. Audio. P. Deinde de ijs fundis, & eorum conductoribus, procuratoribus, priuilegijs, & alijs, quæ rei priuatæ siue dominicæ, quoniam

priuatis principis vsibus destinatae sunt: & tamiacae, quoniam ad cellarium eius pertinent, proprie dicuntur: De quibus sunt rubricae

65. *De fundis rei priuatae, & salibus diuinae domus, vt si venditi sint non auferantur ab emptore.*

66. *De fundis & salibus rei dominicae: ne greges aliorum sub poena confiscationis in eos immittantur.*

67. *De agricolis & mancipijs dominicis, vel fiscalibus rei publicae vel priuatae: ne ad vlla munera ciuilia euocetur, sed agris colendis incumbant.*

68. *De praedijs tamiacis venditis non retrahendis, & his qui ex colonis tamiacis alijsq; liberae conditionis procreantur, vt non in liberis, sed tamiacis habeantur.*

69. *De diuersis praedijs urbanis & rusticis templorum, & ciuitatum, & omnib; redditu ciuili, qui ex alio prouentu est quam praediorum, vt non minus templorum sint & ciuitatum, quam ea quae sunt singulorum, etiam si a principe sint comparata.*

70. *De locatione praediorum ciuilium vel fiscalium, siue templorum, siue rei priuatae, vel dominicae, vt per formam auctionis fiat, acceptis fideiussoribus idoneis.*

71. *De conductoribus & procuratoribus siue exactoribus praediorum fiscalium.*

&

& domus Augustæ: vt si quid dubitationis emerferit, non aliter quam ex legum ordine (quibus similiter omne genus humanū tenetur) procedant.

72. *Quibus ad conductionem prædiorum fiscalium accedere non licet: Palatinis scilicet, qui in officio rei priuatæ militant.*

73. *De collatione fundorū fiscalium, vel rei priuatæ, vel dominicæ, vel civitatis, vel templorum: vt recte atq; ordine fiat, & ad oēs species annonarias aliq; teneantur.*

F.Intelligo. P. Tum de domo augusta & eius priuilegijs, alijsq; palatijs, nec non de grege dominico, & cupressis: De quibus sunt tituli

74. *De priuilegijs domus augustæ, vel rei priuatæ, et quarum collationum excusationem habent: fordidarum nempe & extraordinariarum, cuiusmodi sunt superindicta.*

75. *De grege dominico non violando, sic vt si quis equos inde occuparit, singulas auri libras, p singulis equis fisco inferat.*

76. *De palatijs et domibus dominicis, vt ab omni priuatorum vsu & cōmuni habitatione excipiantur.*

77. *De cupressis ex luco Daphnēsi in Syria vel Perseis per Aegyptum non excindendis vel vendendis.*

Do

*De rebus palatinis.**Cap. lxiij.*

F. Superest de rebus palatinis uti sit tractandum. P. Hæ autem vel ad dignitates palatinas pertinent, vel ad officia, scholasq; & scrinia palatina, vel ad militiam palatinam, vel deniq; ad ministros palatinos varij generis.

*De dignitatibus palatinis.**Cap. lxxv.*

F. Quæ sunt quæ ad dignitates pertinent palatinas? P. Quæ magistratus palatinos spectant, tum quidem ciuiles, cuiusmodi sunt consules, prætores, patricij: tum autem militares, ut magistri militum: tum vero tamiaci, ut comites sacrarum largitionum & rei priuatæ: ultra quos sunt, qui rem domesticam principis tractant, ut magistri officiorum, præpositi sacri cubiculi, cubicularij, & alij de quibus sunt tituli

Lib. 12. 1. De dignitatibus, & earum priuilegijs, & ne infamia notati ad eas admittantur.

2. De Prætoribus & honore præture, & collatione glebe ex fundis & alijs rebus immobilibus eorum, & folli nummo quæ pro rebus mobilibus pendere solent, & septem solidorum functione, quæ personarum erat, sublata.

3. De consulibus, & non spargendis ab his pecu-

pecunijs, vt olim, sed vt in opera publica conferantur, & de præfectis, prætorio, & magistris militum, & patricijs, quorum sublimis honor cæteris omnibus anteponitur, & non nisi alijs prius gestis conferatur.

4. *De præfectis prætorio siue vrbi, & magistris militum in dignitatibus exæquandis, sic vt qui tempore adepti honoris prior est præcedat.*

5. *De præpositis vtriusque sacri cubiculi Augusti & Augustæ, vt præfectis prætorio & vrbi dignitate exæquetur, & de omnibus cubicularijs & privilegijs eorum, quæ sunt, vt ab extraordinarijs munerib. immunes sint, & solum magistrum officiorum iudicem agnoscant.*

6. *De questoribus & magistris officiorum, & comitibus sacrarum largitionum, & rei priuatae, vt acclamatione populi honoris causa excipiantur.*

7. *De primicerio, qui primum in quoque officio ordinem tenet, secundicerio, qui secundum, & notarijs, qui secreta principis notis scribunt, vt ordinem præscriptum seruent, nec villo modo eum perturbent.*

8. *Vt dignitatum ordo seruetur, cuius perturbatio sacrilegij instar habetur.*

De

De officijs, scholis, & scrinijs palatinis. Cap. lxvj.

F. De officijs & scholis scrinijsq; palatinis qd dicitur? P. De his tria tractantur. F. Quod est primum? P. De magistris sacrorum scriniorum, vbi arcana principis adseruantur, & varijs comitibus qui eum sequuntur, vel ad prouincias mittuntur; de quibus sunt tituli

9. *De magistris sacrorum scriniorum,* vt etiam deposito officio ab omnibus oneribus sint immunes.
10. *De comitibus confistorianis,* qui in confistorio principis militantes multis gaudent priuilegijs.
11. *De comitibus et tribunis alijsq; pæfectis scholarum* varij generis, vt absoluta militia inter eos q; duces prouinciarum sunt numerentur.
12. *De comitibus rei militaris,* vt si exercitum in prouincijs duxerint, earum rectoribus comparentur.
13. *De comitibus et archiatis,* siue pto-mediceis sacri palatii, vt vicarijs prouinciarum honore æquiparentur.
14. *De comitibus qui prouincias regunt,* vt vicariæ dignitatis post depositam administrationem priuilegijs fruuntur.
15. *De professoribus qui in vrbe Constantinopoli-*

tinopolitana docentes ex lege mervnerunt comitiuam: vt his qui sunt ex vicaria dignitate post viginti annos conuenerentur.

F. Quod secundum? P. De varijs officijs palatinis: Ex quibus alij ad custodiam corporis nocturnam & diurnam pertinent, vt silentiarij, protectores, domestici, & præpositi laberi, alij agentes sunt in rebus, alij alia varia officia obeunt: ad quos pertinent tituli

16. *De silentarijs et decurionibus eorum,* qui nocte silenti excubias ante principis cubiculum agunt, vt à præbitione tyronum & equorum sint immunes, & ex magistro officiorum vel comiti domesticorum dignitate sint æquales.

17. *De domesticis et protectoribus,* qui domi & belli, equitesq; & pedites, corpori principis protegendo seruiunt, vt spectabili dignitate fruuntur.

18. *De præpositis laborum,* siue laberi, qui magnum vexillum ante principem gestant, vt consulari clarissima dignitate fruuntur.

19. *De proximis post magistros sacrorum seruiorum,* ac potissimum quidem memorie, epistolarum, libellorum, & dispositionum, ceterisque, qui in sacris scrinijs militant: vt tam tempore officij quam post varijs priuilegijs fruuntur,

20. *De*

20. *De agentibus in rebus principis, siue domi, siue in prouincijs, vt soli magistro officiorum subsint, varijsq; priuilegijs fruantur.*
21. *De prepositis agentium in rebus quorum in litibus tractandis & alijs varia sunt priuilegia.*
22. *De principibus agentium in rebus: vt proconsulari dignitate decorentur.*
23. *De curiosis & stationarijs, qui de numero agentium in rebus, ad prouincias mittuntur, vt quomodo euectiones cursus publici, eiusq; stationes per singula loca se habeant curiosè obseruent, & si quid non recte fiat deferant.*
24. *De ministris palatinis sub comitibus sacrarum largitionum, & rerum priuatarum, quodnam eorum sit officium, & quæ habeant priuilegia.*
25. *De stratoribus, qui equum principis vel magistratus freno tenentes, cõscendentemq; adiuuantes, certi aliquid eo nomine à prouincialibus recipiunt.*
26. *De castrensiarijs & ministerianis, qui varia ministeria in palatio principis, quod instar castrorum est, obeunt, magistroq; officiorum subsunt.*

27. *De decanis*, qui sunt ministeriales, per contubernia, quæ singula decem capitum sunt, distincti, nec ad aliū in ius vocantur, quàm ad magistrū officiorum.
28. *De mensuris*, qui sunt ministeriales, ad quos mensurarum apud principem cura, & hospitiorum præparatio pertinet.

F. Quod tertium? P. De priuilegijs eorum, & castrensi peculio, dignitateq; equestri, & perfectissimatus: secundum titulos

29. *De priuilegijs eorum qui in sacro palatio militant*: nempe vt ab omnibus sordidis & personalibus muneribus sint immunes.
30. *De priuilegijs scholarum militum palatinorum* nimirum, vt non alium iudicem, quàm magistrum officiorum agnoscant, & in iudicijs tractandis nonnulla præcipua habeant.
31. *De castrensi omniū palatinorū peculio*, vt quod ibi acquisierint, tanquam in castris partum, pro castrensi peculio habeatur.
32. *De equestri dignitate*: quæ est secunda post senatoriam.
33. *De perfectissimatus dignitate*. quæ ob merita defertur liberis hominibus q ad res viles se nō demiserunt, nec honorem venali suffragio emerūt.

P De

Deijs qua ad militiam palatinam pertinent.

Cap. lxxvij.

F. De militia palatina sequitur vt dicas: P. Ad militiam palatinam & aliam (nam propter affinitatem confunduntur) primum pertinet, vt scias qui militare possint nec ne, & qua sit res militaris, & quod peculium castrense: qua de re sunt tituli

34. *Qui militare possunt vel non, vt adscripti glebæ, & curialis, aut cohortalis fortunæ homines, & de seruis ad militia dignitatem aspirantibus, vt si ignorantibus dominis id faciant, ab ijs retrahi possint, si scientibus, non possint, & vt nemo duplici militia, ciuili scilicet & armata, vel dignitate & militia, simul utatur.*

35. *Negotiatores ne militent, neque in ciuili neque armata militia, nisi distractores argenti in ciuili.*

36. *De re militari.*

37. *De castrensi peculio militum, & prefectis annonæ militaris vel præfectionis, qui præfecto prætorio seruiunt.*

F. Rectè. P. Deinde, qua sint stipendia militaria,

ria, quæ non solum in pecunia, sed & in annoni, veste, hospitio, & salgamo consistunt: vt docent rubricæ

38. *De erogatione militaris annonæ*, nempe vt certis diebus buccellatim, panis, vinum, acetum, laridum, caro veruecina illis detur.
39. *De excoctione & translatione militaris annonæ*: vt nullus ab ea se excuset, ne domus quidē ipsius principis.
40. *De militari veste*, vt quemadmodū oportet ijs præstetur.
41. *De metatu*, hoc est hospitij militū & epidemeticis, nempe pecunijs quibus ab eo onere se redimunt, prohibitis.
42. *De salgamo hospitibus non præstando*, sic vt salgami gratia culcitræ, lignū, & oleum milites ab hospitibus suis exigere non possint.

F. Probè. P. Tum, quænam circa milites tam tyrones quam veteranos & eorum liberos, fere contingunt, vt commeatus, custodia, desertio, vota, & his similia: quæ produntur subtilis

43. *De commeatu ad tempus discedendi tempore expeditionis militibus non dando.*
44. *De tyronibus posteriore loco in scholis semper ponendis.*
45. *De litorum & itinerum custodia*, ne merces illicitæ ad barbaros deferantur. P 2 46. De

46. *De desertoribus militiæ, & occultatoribus desertorum, vt grauitè puniantur.*
47. *De veteranis, vt ab omnibus muneribus ciuilibus sint immunes, cum multis alijs priuilegijs.*
48. *De filijs officialium militarium qui in bello moriuntur. vt in parentum locum succedant.*
49. *De oblatione votorum, quæ in eunte anno pro salute principis à militibus fiunt, oblata illi auri libra.*

De varijs ministris palatinis.

Cap. lxxvij.

F. Restat de varijs officijs palatinis vt dicas.
 P. De his tria dicam. F. Quod est vnum? P. De varijs generibus scribarum, & ijs qui ad cursum publicum pertinent, De quibus sunt tituli

50. *De numerarijs qui rationes tractant, actuarijs qui acta iudicialia conficiunt, chartularijs qui chartas, & adiutoribus sine scrinarijs, qui scrinia seruant, & exceptoribus dictatorum sedis excelsæ prætorianæ, cæterorumque iudicum tam militarium quam ciuilium.*

51. *De cursu publico principis, qui per certas stationes constituitur, & angarijs, quæ sunt ordinariâ onera p-
 uincia-*

uincialium, deportandi res principis per stationes ordinarias, & *per angarijs*, quæ sunt onera extraordinaria deportandi per vias extraordinarias.

52. *De tractatorijs* literis siue diplomatis, quæ dantur ijs quibus publico cursu uti conceditur addictis, & *statiis* siue stationibus, per quas transeundum illis est, ut ibi necessaria ijs gratis præbeantur.

F. Quod alterum? P. De varijs generibus apparitorum: De quibus tractant tituli

53. *De apparitoribus prefectorum pretorio, & privilegys eorum.*

54. *De apparitoribus prefecti urbi.*

55. *De apparitoribus magistrorum militum, & privilegys eorum.*

56. *De apparitoribus proconsulis & legati.*

57. *De apparitoribus comitis orientis.*

58. *De cohortalibus* militibus, qui cohortem alicuius magistratus constituunt, & *principibus*, hoc est, ductoribus *cornicularijs*, scribis, ac *primiliarijs*, eorum qui sunt primi pili centuriones, & annonam inter milites distribuunt.

59. *De apparitoribus prefecti annonæ.*

F. Quod est reliquum? P. De diuersis alijs generibus eorum qui seruiunt, ad quos pertinent tituli

PARATIT. IVR. CIVIL.

60. *De diuersis officijs & apparitoribus indicum, & probatorijs eorum quæ sunt literæ officij collati à principe, & non nisi catholicis hominibus conceduntur.*
61. *De executoribus litium, & exactoribus tributorum, vt officium faciât, nec quemquam iniuria afficiant.*
62. *De lucris aduocatorum fisci, indebitis, & concussionibus officiorum seu apparitorum coercendis.*
63. *De primipilo: hoc est primi pili centurione inter cohortales milites, ad quæ annonæ militaris distributio & alia munera pertinent: vt officium faciat, eoq; nomine filij etiam, non heredes teneantur.*
64. *Publicæ lætitiæ vel consulû creatorû enunciatores, vel insinuatōres constitutionum, & aliarum sacrarum & iudicialium literarum principis ex descriptione, sic vt ipsimet quantum velint prescribant: vel ab iniustis, ne quid accipiant immodicum ultra quàm iure concessum est.*

LIBER

LIBER

QVARTVS.

De libro Nouellarum.

Caput I.



Post libros Isagogicos expostos, & item principales, restat ad accessorium vt veniamus. P. Hic aut est liber nouellarum constitutionum Domini Iustiniani Imperatoris, ad præcedentes supplendos, interpretandos, & corrigendos factus, vt in legibus inferioribus sæpe fieri solet, vulgo autem volumen authenticorum, quibus plena in republica authoritas est, vocatur, ad differentiam epitomes Iuliani patricij, quæ ex constitutionibus imperialibus collecta non habet vllam in republica authoritatem.

De diuisione libri Nouellarum.

Caput II.

F. Quomodo diuiditur hic liber? P. Enimvero non diuiditur vllis partibus ac membris, vt superiores, sed prout constitutiones aliæ alijs prius ac posterius editæ fuere, ita ordine sine vlla methodo sunt positæ. Quas quidē iuriscōsulti posteriores, nō oēs quidē sed plerasq; in vnū vo-

P 4 lumen

lumen colligentes, nouem collationibus, quas vocant distinxerunt. Secundum quas nos progredientes, eundem ordinem titulorum seruabimus, & si quę eorum alia est noua, differens ab antiqua, versio, vtramq; ponemus, & quę in nouis editionibus plures inueniuntur constitutiones, suis locis aspergemus. Postq; nouem collationes absolutas decimam adijciemus, vbi quo pacto summa diuinarum & humanarum rerum capita titulis iuris continentur (quod nos facturos initio pręmissimus) & constitutiones istę nouellę nullo ordine positę certa ratione digerı possint, ostēdemus. F. Ergo qui sub quaq; collatione tituli comprehenduntur commemorata. P. Ij autem sunt qui sequuntur.

Collatio prima.

Cap. III.

1. *De heredibus & Falcidia, & si heres legata soluere noluerit: vt omni commodo hereditario priuetur.*
2. *De non eligendo secundo nubentes mulieres, & de alienatione & lucro antenuptialis donationis, & de successionibus earum & filiis suis.*
sive:
 „ *Ne mulieres quę nuptias iterant electionem habeant, in quem filiorum donationem ante nuptias conferant, deq; alijs capitulis.*
3. *Vt determinatus sit numerus clericorum sanctissima maioris ecclesie & ceterarum ecclesiarum huius augustissima urbis.*

4. De

4. De fideiussoribus & mandatoribus & sponsoribus, & solutionibus, seu. ut creditores primum aggrediantur principales debitores, mox illis soluendo non existentibus, secundo loco mandatores etiam, aut constituta pecunia reos, aut fideiussores.
5. De monachis, seu: De monasterijs quomodo edificari debeant, & monachis, & eorum antistitibus, quomodo eos viuere & se gerere oporteat.
6. Quomodo oporteat episcopos & ceteros clericos ad ordinationem perducere, & de expensis ecclesiarum, ne modum antiquum excedant.

Collatio secunda.

Cap. IIII.

7. De non alienandis aut permutandis rebus ecclesiasticis immobilibus, aut in specialem hypothecam dandis, creditoribus, sed sufficere generales hypothecas.
8. Ut indices siue magistratus, sine quoquo suffragio fiant, vel: Ut praesides absq; ulla datione pecuniae ad officia mittantur. Iudex consuetudinum pro officio soluendarum.
9. Ius iurandum quod praestatur ab his qui ad administrationem siue officia suscipiunt.
10. Ut ecclesia Romana centum annorum gaudeat praescriptione.
11. De referendarijs sacri palatii.

12. „*Vt quae circa Vinnuacium sunt sub Roma-
nis ciuitates sub proprio archiepiscopo sint,
non autem sub Thessalonica.*
13. „*De priuilegijs archiepiscopi Iustiniana pri-
ma, & sede PP. Illyrico in Pannoniam se-
cundam, id est, Iustinianam primam trans-
ferenda.*
14. *De incestis & nefarijs nuptijs.*
15. „*De plebeis pratoribus, qui mialis homini-
bus ciuitatem purgant.*

Collatio tertia.

Cap. V.

16. „*De lenonibus, vel: ne quo in loco per imperiũ
Romanum lenones sint.*
17. *De defensoribus ciuitatum, vt boni & hone-
sti, & sui quicq; ordine eligantur.*
18. *De mensura ordinandorum clericorum, vel:
vt clerici ex vna ecclesia in aliam transferan-
tur, ad supplendum deficientium statutum
numerum.*
19. *De mandatis principum, siue. praecepta pra-
sidum, nempe quo pacto in munere suo
obeundo gerere se debeant.*
20. *De triente & semisse, & successionibus filio-
rum & nepotum, & naturalium: & colla-
tionibus vel distributionibus, nec non & lite-
rarum annumeratione, atq; rerum, ex qui-
bus detinent inficationibus. vel: vt si plures
filij non sint quam quatuor, legitima portio
cense-*

„censeatur triens, si ultra quatuor semis. Et
 „ut naturales liberi nulla existente prole legiti-
 „tima una cum matre ab intestato sextanciam
 „accipiant, & ut collatio tam ab intestato
 „quam ex testamento competat, nisi expressis
 „verbis testator id prohibeat. Et de divisione
 „bonorum in liberos facta à parentibus, & de
 „eo qui proprium chirographum inficiatur,
 „deq; alys capitulis.

21. De filijs ante dotalia instrumenta natis.
 22. De administrantibus officia, siue: de officijs
 „que ministrant in sacris appellationibus.
 23. „De Armenijs, & ut ipsi per omnia Romanas
 „sequantur leges.

Collatio quarta.

Cap. VI.

24. „De nuptijs, siue: De his qui nuptias iterant.
 25. De appellationibus, & intra que tempora
 debeat appellari.
 26. „De praside Pisidia.
 27. „De pretore Lycaonia.
 28. „De pretore Thracia.
 29. „De comite Isauria.
 30. „De moderatore Helleponti.
 31. „De pretore Paphlagonia.
 32. „De proconsule Cappadocia.
 33. „De descriptione quatuor prasidum Arme-
 „nense.
 34. „De consulisbus.

35. *Ut nullus muslimans agricolæ, teneat eius terram.*
36. *Nullum credentē agricola tenere illius terrā: & quantam debeat usuram dare.*
37. *De adiutoribus quæstoris.*
38. *De successoribus eorum qui in Aphrica degunt.*
39. *De ecclesiis constitutis in Aphrica.*
40. *De decurionibus, ut filijs suis decurionibus dodrantem relinquunt.*
41. *De restitutionibus dotalium rerum, & ad donationem ante nuptias pertinentium. Itē: de ea qua parit undecimo mense post mortē viri.*
42. *Apud quem oporteat appellationes in quinque que provincijs Caria, Cypro, Cicladibus, insulis, Mysia, & Schytia interpositas examinari.*
43. *Ut Anthimus, Seuerus, Petrus Zoaras, et reliqui heretici ecclesiastico gradu detrahantur.*
44. *De officinis siue tabernis Constantinopolitanae urbis, & ut mille tantum & centum officinae sacrosanctæ maioris Ecclesie excusetur, omnes reliquæ ad quemcung; dominum pertineant consueta obeant munia.*
45. *De tabellionibus, & ut protocolla relinquāt in chartis.*
46. *Ne Iudei Samaritani & heretici per causam religionis & cultus sui curialis fortuna liberentur, sed cum curialibus muneribus sub-*

subdantur, privilegij eorum non perfruantur. Item ut idem possint contra orthodoxos, quincuriali fortuna subditi sunt, testimonium dicere, ut qui preclare pro orthodoxa republica testimonium perhibeant.

Collatio quinta.

Cap. VII.

47. De ecclesiasticarum rerum immobilium alienatione & solutione.
48. De iuramento à moriente præstito propter mensuram suæ substantiæ, siue de modo sui patrimonij ab heredibus seruando, sed ne noceat creditoribus.
49. Ut præponatur nomen Imperatoris documentis, siue in instrumentis & actis publicis, et ut latinis literis apertius ipsa inscribantur.
50. Scenicæ non solum, si fideiussores præstent, sed & si insurādum dent, sine periculo discedere, vel ne à mulieribus quæ se prostituunt fideiussor aut insurandum exigatur, quod hoc genus vitæ deserturæ non sint.
51. Ut non fiant pignorationes pro alijs personis, & ut sicut principum donationes non egunt gestis monumentorum, sic nec à priuatis Imperatoribus factæ donationes indigeant. vel: Ne persona vel rei, vel auri alienius pro alio oppignorationes fiant, per repræsalia quæ vocant, sed oppignoratione oblatio eius quadruplum restituatur. Item, ne pro eo qui per-

„percussit, vel alioqui damnum irrogavit, al-
 „ter percussatur aut qualitercunque damnum
 „sentiat: Et ne donati, priuata in Imperato-
 „rem facta indigeat actorum publicorum
 „confectione.

52. De exhibendis & introducendis reis, & ut
 y qui conueniuntur post vicesimum diē pra-
 sententur iudicibus, & de ijs qui iurato-
 riam cautionem opponunt, & ante litem con-
 testationem absentes sunt, & de hypothecis
 militiarum, quae appellantur ex casu, &
 quae personae, & quando hoc ius habent:
 & de indotatis vxoribus, ut habeant quar-
 tam partem in sestam viri, & ipse vir in se-
 stam vxoris quando inops, & cui relin-
 „quitur. vel: Ut qui prouincialem hominem,
 „extra territorium suum in ius producit,
 „cautionem praebeat, quod nisi litem obtine-
 „neat praestaturus sit, quantum iudex eum
 „qui calumnia tentatus est, accipere stitue-
 „rit. Item qui libellum suscipit ad delibe-
 „randum, an iudicio disceptare velit, aut da-
 „tum tolerare iudicem, viginti dierum spatium
 „habeat. Praeterea qui post iuratoriam cau-
 „tionem in iudicio non comparet, ante litem im-
 „pensam habeat auctori per soluere, et deinceps
 „causam dicere, datis fideiussoribus.

53. Constitutionem quae ex adscriptio et libe-
 ranatos liberos esse vult, non ijs qui ante con-
 stitutionem nati sunt, sed qui post constitu-
 tionem, prodesse. et ut venerabiles domus si-
 ne ca-

„*ue earum œconomi commutationes faciant, adiectione immobilium rerum ecclesiasticarum decreto prius interpositio, excepta hac maiore ecclesia.*

54. *Ut de cetero commutationes ecclesiasticarum rerum non fictè fiant, ad piissimum Imperatorem, et hoc modo ad alias personas, sed hæc tantummodo fiant ad Imperialem domum, et ut liceat perpetuas emphyteuses agi ab oratoris in oratoria, decreto videlicet interposito, excepta hac maiore ecclesia, nec tamen in priuatam personam transeat emphyteusis.*

55. *Ut ea qua vocantur insinuatina super clericis in maiori ecclesia quidem dentur, in alijs autem ecclesijs penitus non dentur.*

56. *Ut clerici qui precedunt, alijs pro eis subrogatis præbeant emolumenta: recedentes autem remeare volentes non suscipiant. Et ut si quis adificans Ecclesiam, aut aliter in eadem seruientibus ministrans emolumenta, voluerit aliquos clericos instituere, non fortuito eos sed probatione sanctissimi Patriarchæ suscipiat, vel: De clericis qui à suis destiterunt ecclesijs. Item de his qui oratoria adificant.*

57. *De exequijs, quas fieri oporteat in defunctorum funerationibus.*

58. *De his qui ingrediuntur ad appellationes, et quando per scripturam manus proprie, fiat*

- fiat collatio literarum, & de iuramento dilationis, & ut coniungatur iureiurando calumniam, quod semel tantum pro omni probatione præstari soles.
59. *Ut in privatis domibus sacra mysteria non fiant.*
60. *„ Ut defuncti seu funera & reliquia eorum, non iniurientur, aut cõtumelia afficiantur à creditoribus, & ut consiliarij, siue assessores, non suscipiant cognitiones absque iudicibus.*
61. *Ut immobilia antenuptialis donationis neq; hypotheca dentur neq; omnino alienentur à viro, nec consentiente uxore, nisi postea satisfieri possit uxori, hacq; etiam in dote valere.*
62. *„ De consultationibus.*
63. *De novi operis nunciatione maritimi aspectus, vel: de novis operibus contra prospectus, in mare prohibitis.*
64. *„ De hortulanis circa hortorum locationem et conductionem, & alia quedam.*
65. *„ De his quæ relicta sunt Ecclesie Mysie.*
66. *Ut factæ novæ constitutiones post insinuationes earum post duos menses valeant, pariter autem non custodientibus subtilitatem constitutionum super testamentis, & relinquendo quadrante, aut non subscribendo nomine heredis, aut non dicendo*
67. *Ut nullus fabricet oratorij domos præter voluntatem Episcopi, & ut depuget prius quæ*
circa

circa diligentiam & statum in fabricando oratorio sufficient: & ut Episcopi non desint suis ecclesiis: & de alienatione rerum ecclesiasticarum immobilium.

68. „*Ut constitutio pientissimi principis, quae in successione nuptialium lucrorum, ex patre SI LIBERI NON EXISTENT lucra introduxit, in facti speciebus quae post constitutionem inciderint obtineat, in illis vero quae ante illam incidissent Leonis constitutio locum habeat.*

69. *Ut ab illustribus & qui supra eam dignitatem sunt omnimodo super pecuniariis causis, sed & iniuriarum criminaliter per procuratorem dicantur: Clarissimis autem in pecuniariis licere eis & per procuratorem & per se litigare.*

70. *Ut ordinaria praefectura, & urbana & praetoriana duae, & praefectura quae in cingulo, & quae in actu sunt, sola, non etiam honoraria liberent à curiali fortuna.*

71. *Ut omnes obediant iudicibus provinciarum, & in criminalibus & in pecuniariis causis, & ibi negotia examinentur, nullo excepto per privilegium, nec huc coniuncti deducantur, cum sacra pragmatica forma exhiberi quempiam iusserit.*

Q Colla-

*Collatio sexta.**Cap. VIII.*

72. *Quibus modis naturales efficiantur legitimi & sui, supra illos modos qui in superioribus constitutionibus continentur, & de indotatis nuptiis.*
73. *Ut qui se res minorum obligatas habere perhibent, aut eis obligati sunt, ad eorum gubernationem & tutelam penitus non accedant: & ut curatores nullo modo suscipiant cessiones aduersus eos, quorum curam gerunt, gesseruntve: Et ut hac generaliter in omni curatione valeant, in quibus casibus leges curatores dari precipiunt. Item de administratione pecuniarum illis competentium, & quando eas deponi oporteat, aut redditus ex eis comparari.*
74. *De instrumentorum cautela & fide, & primum de deposito, & mutuo, & alijs documentis private quidem scriptis, habentibus autem testes, & de non habentibus, & de instrumentis publice confectis, & de collationibus manus propria scriptura, & de expositis instrumentis ab illiteratis, aut paucas literas scientibus, & de non scriptis contractibus, et de contractibus usq, ad unam libram auri, & de contractibus qui in agris fiunt, et ut in documentis et contractibus futuris locū habeat lex.*

75. Hec

75. *Hac constitutio interpretatur priorem constitutionem de ijs qui ingrediuntur monasterium, et de substantijs eorum, ex quo tempore oporteat eam valere.*
76. *Ut non luxurientur homines cōtra naturā, nec iurēt per capillos Dei, aut aliquid huiusmodi, neq; blasphemetur in Deum.*
77. *Ut liberti de catero aureo non indigeant annulo, et ut pristinis restituantur natalibus, et de celebratione dotalium instrumentorū in libertis mulieribus facta, et hoc ipso etiā nuptias legitimas fieri, et filios suos, si nuper etiā ancilla fuerit, et ipsam liberam esse celebratione dotis, et nuptias legitimas, et qui ex ea processerint filios suos.*
78. *Apud quos oporteat causas dicere monachos et ascetrias: apud Episcopū nempe.*
79. *De quastore.*
80. *Constitutio qua dignitatibus et episcopatu filium liberat à patria potestate.*
81. *De iudicibus, et ut nullatenus cum iureiurando eligatur aliquis iudex, quod permaneat ei, et ut appellationem accipiant modis omnibus iudices, et ut in media lite facte forma quomodo oporteat decidi cognitionem, nō attendant iudices.*
82. *Ut clerici apud proprios Episcopos primū cōueniant, et post apud civiles iudices.*
83. *De consanguineis et uterinis fratribus, quomodo inter se succedant.*

*Collatio sexta.**Cap. VIII.*

72. *Quibus modis naturales efficiantur legitimi & sui, supra illos modos qui in superioribus constitutionibus continentur, & de indotatis nuptijs.*
73. *Ut qui se res minorum obligatas habere prohibent, aut eis obligati sunt, ad eorum gubernationem & tutelam penitus non accedant: & ut curatores nullo modo suscipiant cessiones aduersus eos, quorum curam gerunt, gesseruntve: Et ut hac generaliter in omni curatione valeant, in quibus casibus leges curatores dari precipiunt. Item de administratione pecuniarum illis competentium, & quando eas deponi oporteat, aut redditus ex eis comparari.*
74. *De instrumentorum cautela & fide, & primum de deposito, & mutuo, & alijs documentis private quidem scriptis, habentibus autem testes, & de non habentibus, & de instrumentis publice confectis, & de collationibus manus propriae scripturae, & de expositis instrumentis ab illiteratis, aut paucas literas scientibus, & de non scriptis contractibus, et de contractibus usque ad unam libram auri, & de contractibus qui in agris sunt, et ut in documentis et contractibus futuris locum habeat lex.*

75. *Hec*

75. *Hæc constitutio interpretatur priorem constitutionem de ijs qui ingrediuntur monasterium, et de substantijs eorum, ex quo tempore oporteat eam valere.*
76. *Ut non luxurientur homines cõtra naturã, nec iurèt per capillos Dei, aut aliquid huiusmodi, neq; blasphemetur in Deum.*
77. *Ut liberti de cetero aureo non indigeant annulo, et ut pristinis restituantur natalibus, et de celebratione dotalium instrumentorũ in libertis mulieribus facta, et hoc ipso etiã nuptias legitimas fieri, et filios suos, si nuper etiã ancilla fuerit, et ipsam liberam esse celebratione dotis, et nuptias legitimas, et qui ex ea processerint filios suos.*
78. *Apud quos oporteat causas dicere monachos et ascetrias: apud Episcopũ nempe.*
79. *De quaestore.*
80. *Constitutio qua dignitatibus et episcopatu filium liberat à patria potestate.*
81. *De iudicibus, et ut nullatenus cum iureiurando eligatur aliquis iudex, quod permaneat ei, et ut appellationem accipiant modis omnibus iudices, et ut in media lite facte forma quomodo oporteat decidi cognitionem, nõ attendant iudices.*
82. *Ut clerici apud proprios Episcopos primũ cõueniant, et post apud civiles iudices.*
83. *De consanguineis et uterinis fratribus, quomodo inter se succedant.*

Q 2

84. De

84. *De armis, ne priuatim sed publica auctoritate cudantur.*
85. *De donatione mortis causa facta à decurionibus, ne ultra quadrantem valeat.*
86. *De deposito & denūciationibus inquilinorū, & de suspendenda administratione panum ciuiliū. De quibus statuitur, vt si denunciatur, ne depositū restituatur, vel merces domus conductæ soluatur, aut ne alimenta de publica annona eroganda præstentur: nullam esse eiusmodi denuntiationem.*

Collatio septima.

Cap. IX.

87. *Quibus modis naturales efficiuntur sui, & de eorum ex testamento, siue ab intestato successione.*
88. *De testibus.*
89. *De immensis donationibus collatis in filios.*
90. *De appellationibus, vt si mota apud appellationis iudicem causa, litigatores ad arbitros deueniant, intereaq; temporis biennium decurrat, & contingat denuo causam redire ad appellationis iudicem, ne biennij cursus obiciatur.*
91. *Vt sine prohibitione ulloq; impedimento, matres debitorum & creditorum tutelam gerant minorum, neque insurandum præsent, quod non venient ad secunda vota.*
92. *De magistratu à deposita administratione*
quin-

- „quingenta dies commorentur in sua pro-
 „uincijs, siue civilem, siue militarem functio-
 „nem gesserint.
93. *Ut prima & secunda dotis exactioe instan-
 te, nempe viro ad secundas digresso nuptias,
 prior uxor aut ex priori matrimonio susce-
 pti liberi preferatur, utq; si uxor aut is qui
 dotem pro ea conscripsit, in dotem conscripta
 tradere voluerit, & maritus eam suscipere
 differat: soluto matrimonio nihilominus ab
 eo per ipsum conscripta exigatur donatio an-
 te nuptias: Et ne donationem ante nuptias
 praestet, quo minus dotem acciperet in cau-
 sa non fuit.*
94. *De administratoribus.*
95. *De executoribus, & de ijs qui conueniuntur
 & reconueniuntur.*
96. *De equalitate dotis & propter nuptias do-
 nationis, & de argumento dotis & propter
 nuptias donationis, & de priuilegijs dotis,
 quod alijs preponitur priuilegijs, & ut exci-
 piantur in hoc priuilegio creditores in empti-
 one militie, & de dote remeante ad patrem,
 & rursus data pro eadem filia secundo viro,
 & de dotis collatione inops marito mori-
 ente.*
97. „De duobus reis promittenti, qui vice mutua
 „fideiussores accepti sunt.
98. *De tempore non soluta pecunie super dote.*
99. „De decurionibus.
100. „De moderatore Arabia.

101. „De proconsule Palestina.
 102. „De pretore Sicilia.
 103. „De consulibus.

Collatio octava.

Cap. X.

104. *Neque virum quod ex dote est, neq³ mulie-
 rem ex sponsalitia largitate lucrum propriū
 habere, sed servare dominium suis filijs, vel si
 ad secundas nuptias non veniant usu solo in
 lucro consistente, & ut repudio transigentes
 nuptias lucrantes aut dotē. aut ante nuptias
 donationem, & ipsis similiter dominium ser-
 vari filijs, usum habente persona cogenda fi-
 lios alere: si vero bona gratia solvantur nu-
 ptiae, & videantur occasione damni detineri
 quaedam, & hac arte perimēda que detinē-
 tur, & filijs serventur.*
105. *De testamentis imperfectis à parentibus in
 filios factis, & de divisione rerum filijs corā
 parente, & de eius facultatibus facta & sub-
 scripta.*
106. *De restitutionibus.*
107. *De privilegijs dotis haereticis mulieribus non
 prestandis.*
108. *De nauticis usuris.*
109. *Hec constitutio innovat constitutionem, quae
 praescriptionem centum annorum venerabi-
 libus locis dederat.*
110. *De litigiosis, & de decima parte litis ab acto-
 re cau-*

- „re cautela praestanda, & quando actor privi-
 „legio uti nequeat, quod inuitus agere nō com-
 „pellatur.
111. *Ut neq³ miles, neq³ foederatus obseruetur do-
 „mii privata aut possessioni alicuius.*
112. *Ut divina iussiones subscriptionē habeant glo-
 „riofissimi quaestoris.*
113. *In mediolulis non fieri sacras formas, aut sa-
 „cras iussiones, sed secundum antiquas leges
 „generales lites decidi.*
114. *Ut cum de appellatione cognoscitur, secun-
 „dum illas leges debeat iudicari, quae tempore
 „late sententiae obtinebant, non secundum eas
 „quae postea promulgatae sunt, & de alijs ca-
 „pitis.*
 „Renunciationes allegationum ingratiitudinis
 „inter parentes & liberos lugentium intra no-
 „num diem: & constituta pecuniae.
 De militibus non detinendis.
115. *Ut liceat matri & auia, & alijs parentibus,
 „post legitimam partem liberis derelictam,
 „quomodo voluerint r. si suam facultatem suā
 „disponere, & alia capitula plura.*

Collatio nona.

Cap. XI.

116. *De heredibus ab intestato venientibus, & de
 „agnatorum iure sublato.*
117. *Ut sponsalitia largitas specialis sit cōtractus,
 „& de diuersis capitulis.*

L 4

118. De

248 PARATIT. IVR. CIVIL.

118. *De alienatione & emphyteusi, & alijs diuersis contractibus in vniuersis locis rerum sacrarum.*
119. *„ Ut particulares usurarum solutiones in duplum computentur.*
120. *„ Edictum de formula artificum.*
121. *Ut iudices non expectēt sacras iussiones, sed quæ videntur eis decernant.*
122. *Ut litigantes iurent in exordio litis, quod neque promiserunt dare iudicibus, neq; dabūt, & de sportulis, & ut quæ iubentur referendarij compleant, & non misceant semetipfos causa, & per se exequantur.*
123. *De ecclesiasticis titulis, & privilegijs alijsq; capitulis.*
124. *Exemplum sacrae formæ de appellationibus.*
125. *Ut fratrum filij succedant pariter ad imitationem fratrum etiam ascendentibus extantibus, & ut mulieres non insinuatione antenuptiali donatione non ledantur: non insinuans autem vir, vel si competat nuptiale lucrum, eo non fruatur. Et rursus ut mulieres non secundo nubentes dominae sint partis spōsalitatis largitatis quantum pars facit vnius filij: Et ut similes sint pœnae utriusq; sexus, dū sine causa rationabili repudium mittitur.*
126. *Ut nulli iudicum liceat habere loci seruatores: nisi certis ex causis diuina concesserit iussio.*
127. *Ut praesides, qui interpellatis allegata audire differunt, cōpellantur id facere ab Episcopis,*

Et ut si quis praesidem suspectum habet, in cognitionem litis adhibeat societq, eiusam civitatis Episcopum. Item ut qui à praeside offensionem patiuntur & iniuriam, adeant ea de re Episcopum, deq, alia cautela, quae ab Episcopis corroborari, fieri vero debet à Praesidibus.

128. De usuris nauticis.
 129. De interdictis collegijs hereticorum.
 130. De raptis mulieribus, quae raptoribus nubunt.
 131. De collatoribus & alijs capitulis.
 132. De sanctissimis Episcopis, & Deo amabilibus & reuerendissimis clericis, & monachis.
 133. „De publicis tributis expediendis & solvendis, neq, non alijs capitulis.
 134. „De transitu militum.
 135. „De ecclesiasticis canonibus, & privilegijs, quae sacrosanctas respiciunt ecclesias.
 136. „Edictum de fide Constantinopolitanis.
 137. „De monachis, & ascetis, & eorum consuetudine.
 138. „De vicarijs seu locum tenentibus, item de mulieribus adulterium committentibus, & alijs capitulis.
 139. „Ne quis cogatur bonis cedere.
 140. „De argentariorum contractibus.
 141. „De interpretatione à principe facta, et ut usurae particulatim soluta duplum sortis non excedant.

Q 5

142. Remissio

101. „De proconsule Palestina.

102. „De pratore Sicilia.

103. „De consulibus.

Collatio octava.

Cap. X.

104. *Neque virum quod ex dote est, neq, mulierem ex sponsalitia largitate lucrum propriū habere, sed servare dominium suis filijs, vel si ad secundas nuptias non veniant usu solo in lucro consistente, & ut repudio transigentes nuptias lucrantes aut dotē. aut ante nuptias donationem, & ipsis similiter dominium servari filijs, usum habente persona cogenda filios alere: si vero bona gratis solvantur nuptie, & videantur occasione damni detineri quadam, & hac arte perimēda que desinētur, & filijs serventur.*
105. *De testamentis imperfectis à parentibus in filios factis, & de divisione rerum filijs corā parente, & de eius facultatibus facta & subscripta.*
106. *De restitutionibus.*
107. *De privilegijs dotis hereticis mulieribus non prestandis.*
108. *De nauticis usuris.*
109. *Hec constitutio innouat constitutionem, qua prescriptionem centum annorum venerabilibus locis dederat.*
110. *De litigiosis, & de decima parte litis ab actore*

RE CASU-

- re cautela praestanda, & quando actor primi-
lego uti nequeat, quod inuitus agere nō com-
pellatur.
111. *Ut neq; miles, neq; foederatus obseruetur do-
mum priuata aut possessioni alicuius.*
112. *Ut diuina iussiones subscriptionē habeant glo-
riosissimi quaestoris.*
113. *In medio litis non fieri sacras formas, aut sa-
cras iussiones, sed secundam antiquas leges
generales lites decidi.*
114. *Ut cum de appellatione cognoscitur, secun-
dum illas leges debeat iudicari, qua tempore
late sententia obinebant, non secundum eas
qua postea promulgata sunt, & de alijs ca-
pitulis.*
*Renunciationes allegationum ingratiitudinis
inter parentes & liberos lugentium intra no-
num diem: & constituta pecuniae.*
115. *De militibus non detinendis.*
*Ut liceat matri & auia, & alijs parentibus,
post legitimam partem liberis derelictam,
quomodo voluerint r. siluam facultatem suā
disponere, & alia capitula plura.*

Collatio nona.

Cap. XI.

116. *De heredibus ab intestato venientibus, & de
agnatorum iure sublato.*
117. *Ut sponsalitia largitas specialis sit cōtractus,
& de diuersis capitulis.*

248 PARATIT. IUR. CIVIL.

118. *De alienatione & emphytensi, & alijs diuersis contractibus in vniuersis locis rerum sacrarum.*
119. *„ Ut particulares usurarum solutiones in duplum computentur.*
120. *„ Edictum de formula artificum.*
121. *Ut iudices non expectēt sacras iussiones, sed quæ videntur eis decernant.*
122. *Ut litigantes iurent in exordio litis, quod neque promiserunt dare iudicibus, neq; dabūt, & de sportulis, & ut quæ iubentur referendarij compleant, & non misceant semetipsum causa, & per se exequantur.*
123. *De ecclesiasticis titulis, & priuilegijs alijsq; capitulis.*
124. *Exemplum sacrae formæ de appellationibus.*
125. *Ut fratrum filij succedant pariter ad imitationem fratrum etiam ascendentibus extantibus, & ut mulieres non insinuatione antenuptiali donatione non ledantur: non insinuans autem vir, vel si competat nuptiale lucrum, eo non fruatur. Et rursum ut mulieres non secundo nubentes domina sint partis spōsalitiæ largitatis, quantum pars facit vnius filij: Et ut similes sint pœna utriusq; sexus, dñe sine causa rationabili repudium mittitur.*
126. *Ut nulli iudicum liceat habere loci seruatores: nisi certis ex causis diuina concesserit iussio.*
127. *Ut praesides, qui interpellatis allegata audire differunt, cōpellantur id facere ab Episcopis.*

- & ut si quis praesidem suspectum habet, in
 cognitionem litis adhibeat societq₃ etiam ci-
 vitatis Episcopum. Item ut qui à praeside of-
 fensionem patiuntur & iniuriam, adeant ea
 de re Episcopum, deq₃ alia cautela, qua ab
 Episcopis corroborari, fieri vero debet à
 Praesidibus.
128. De usuris nauticis.
129. De interdictis collegijs hereticorum.
130. De raptis mulieribus, quae raptoribus nu-
 bunt.
131. De collatoribus & alijs capitulis.
132. De sanctissimis Episcopis, & Deo amabili-
 bus & reuerendissimis clericis, & mona-
 chis.
133. „De publicis tributis expediendis & soluen-
 „dis, neq₃ non alijs capitulis.
134. „De transitu militum.
135. „De ecclesiasticis canonibus, & privilegijs,
 „quae sacrosanctas respiciunt ecclesias.
136. „Edictum de fide Constantinopolitanis.
137. „De monachis, & ascetrijs, & eorum consue-
 „tudine.
138. „De vicarijs seu locum tenentibus, item de mu-
 „lieribus adulterium committentibus, & alijs
 „capitulis.
139. „Ne quis cogatur bonis cedere.
140. „De argentariorum contractibus.
141. „De interpretatione à principe facta, et ut
 „usura particulatim soluta duplum sortis nō
 „excedant.

248 PARATIT. IVR. CIVIL.

118. *De alienatione & emphyteusi, & alijs diuersis contractibus in uniuersis locis rerum sacrarum.*
119. *„ Ut particulares usurarum solutiones in duplum computentur.*
120. *„ Edictum de formula artificum.*
121. *Ut iudices non expectēt sacras iussiones, sed quæ uidentur eis decernant.*
122. *Ut litigantes iurent in exordio litis, quod neque promiserunt dare iudicibus, neq; dabūt, & de sportulis, & ut quæ iubentur referendarij compleant, & non misceant semetipsum causa, & per se exequantur.*
123. *De ecclesiasticis titulis, & priuilegijs alijsq; capitulis.*
124. *Exemplum sacrae formæ de appellationibus.*
125. *Ut fratrum filij succedant pariter ad inuentionem fratrum etiam ascendentibus extantibus, & ut mulieres non insinuatione antenuptiali donatione non ledantur: non insinuans autem uir, uel si competat nuptiale luctum, eo non fruatur. Et rursum ut mulieres non secundo nubentes domina sint partis spōsalitiæ largitatis quantum pars facit unius filij: Et ut similes sint poena utriusq; sexus, dñs sine causa rationabili repudium mittitur.*
126. *Ut nulli iudicum liceat habere loci seruatores: nisi certis ex causis diuina concesserit iussio.*
127. *Ut praesides, qui interpellatis allegata audire differunt, cōpellantur id facere ab Episcopis,*

Et ut si quis praesidem suspectum habet, in cognitionem litis adhibeat societq; etiam civitatis Episcopum. Item ut qui a praeside offensionem patiuntur & iniuriam, adeant ea de re Episcopum, deq; alia cautela, quae ab Episcopis corroborari, fieri vero debet a Praesidibus.

128. De usuris nauticis.
 129. De interdictis collegijs hereticorum.
 130. De raptis mulieribus, quae raptoribus nubunt.
 131. De collatoribus & alijs capitulis.
 132. De sanctissimis Episcopis, & Deo amabilibus & reuerendissimis clericis, & monachis.
 133. „De publicis tributis expediendis & solvendis, neq; non alijs capitulis.
 134. „De transitu militum.
 135. „De ecclesiasticis canonibus, & priuilegijs, quae sacrosanctas respiciunt ecclesias.
 136. „Edictum de fide Constantinopolitanis.
 137. „De monachis, & ascetrijs, & eorum consuetudine.
 138. „De vicarijs seu locum tenentibus, item de mulieribus adulterium committentibus, & alijs capitulis.
 139. „Ne quis cogatur bonis cedere.
 140. „De argentariorum contractibus.
 141. „De interpretatione a principe facta, et ut usurae particulatim soluta duplum sortis non excedant.

Q 5

142. Remissio

142. „Remissio pœne illicita cõtractarum nuptia-
rum.
143. „Edictum de his qui luxuriantur contra na-
turam.
144. „De his qui eunuchos faciunt.
145. „De muliere raptum passa.
146. „De Samaritanis.
147. „Vt nullam de cetero licentiam dux aliquis,
aut cohibendis violentijs prepositus, habeat
ad utramq; Phrygiam accedendi aut aliquos
ipsi iniunctos eò dirigendi, ut quosdã cõpre-
hendant, sed neq; earum provinciarum inco-
le ad eos, qui talõ magistratũ in Lycaonia,
& item in Lydia gerunt, decurrant, apudq;
ipsos contra aliquos querelã instituant, cũ ci-
viles magistratus abundẽ sufficient ad eius-
modi emergentes casus persequendos.
148. „De Hebræis, quomodo oporteat eos scriptu-
ras legere.
149. „Vt ea que prefectis, aut largitionibus, aut
rebus privatis, aut sacro patrimonio debentur,
in reliquis in quacunq; specie usque ad
preteritam septimam indictionem & ipsam
indulgeantur.
150. „De indulgentia tributariorum reliquo-
rum.
151. „De ea que raptori suo nubit.
152. „Ne decurio aut cohortalis perducatur in ius
sistaturve iudicio, citra iussionem principis,
qua insinuetur prefectis.
153. „Ne sacre forme que de causis procedunt pu-
blicis,

- „blicitis, aliter robur accipiant, quam si glorio-
 „sissimis pratoriorum praefectis insinuata sint
 „vel fuerint, illisq; habeantur rata.
154. „De infantibus expositis, ut pro liberis homi-
 „nibus habeantur.
155. „De his qui in osdroenna illicitas contrahunt
 „nuptias.
156. „Ut matres etiam tutela rationibus obnoxiae
 „sint.
157. „De prole partienda inter rusticos adscri-
 „ptios.
158. „De rusticis qui in alienis praedijs nuptias cō-
 „trahunt.
159. „Ut deliberandi ius etiam ad impuberes trās-
 „mittatur.
160. „Ut restitutiones fideicommissi usq; ad unum
 „gradum consistant.
161. „Exemplum sacrae pragmaticae formae de v-
 „suris.
162. „De prouinciarum praesidibus.
163. „Sacra forma transmissa Dominico pratorio-
 „rum Illyricorum praefecto, de diuersis ca-
 „pitulis.
164. „De releuatione tributorum publicorum.
165. „De heredibus.
166. „Generalis forma de prospectu in mare, non
 „impediendo intra certum loci spacium.

Colla-

*Collatio decima.**Cap. XII.*

H.F. Superest post titulos iuris ciuilibus omnes decurfos, vt quonam modo summa diuinarum & humanarum rerum capita, ijs contineantur oftendas. H.P. Enimuero tamen fi alijs commentarijs nostris, ea de re latius tractetur, & res quoque ipsa per se satis pateat, è re tamè erit, vt summis diuinarum & humanarum rerum capitibus, breuiter strictimq; propofitis, viam ac rationem oftendamus, qua omnes fupradicti tituli eò reuocari, & in vnam summam redigi poffint. H.F. Id quanam autem re potiffimum conftat? H.P. Vt quænam res diuinæ, quæ humanæ fint intelligas, & ab ijs per genera & fpecies diuidendo defcendas, & qui, quòd, tituli pertineant demonftrares. H.F. Quas vocas autem res diuinas? H.P. Omnes publicas, quæ tum quidem ad Deum eiusq; cultum pertinent, tum autem ad facerdotes, magiftratus & alios, qui Dei vices in hac terra obtinent. H.F. Quas humanas? H.P. Priuatas quæ ad hominum vitam & conuictum tuendū ac conferuandum pertinent. H.F. Quid, has res omnes quomodo autem partiris? H.P. Aio res alias publicas effe, quæ tum quidem sacræ funt, tum autem prophanæ: alias priuatas, quæ partim ad personas, partim ad res pertinent: quasdam mixtas, quæ in iudicijs confiftunt. Adco vt summa diuinarum & humanarum publicarumq; & priuatarum rerum capita, his quinque generibus

ribus contineantur: de quibus singulis est dicendum.

De sacris. Cap. XIII.

H.F. Sacra autem quæ dicis? H.P. Quæ ad Deum & ecclesiam Christi catholicam & apostolicam pertinent, consistuntque in Hierarchia Ecclesiastica. H.F. Hierarchiam Ecclesiasticam quam vocas? H.P. Descriptionem hominum ecclesiasticorum, qui vel clerici sunt, vel monachi, vel leſticarij. H.F. Qui sunt clerici? H.P. Qui Deum sortem hæreditatis suæ nacti, illi rite cõsecrati sunt. Ac sunt tum quidem summi ordinis, vt põtifex maximus Romanus, qui caput est omnium totiusque adeo Ecclesiæ, item Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi: Tum autem medij, vt ijdem Episcopi diuerso respectu, Presbyteri, Diaconi, & subdiaconi, tũ vero infimi, vt Acolythi, Exorcistæ, Lectores, & Ostiarij. H.F. Qui monachi? Qui religionis colendæ causa vitam solitariam profitentur, suosque habent Antistites quibus parent, & regulam sub qua viuunt. Et sunt eiusdem instituti fœminæ, quæ ascetriæ à virtutis exercitatione vocantur. H.F. Qui leſticarij? H.P. Qui mortuorum curam habentes in leſticis eos efferrunt, vnde nomen habent. Ac vocantur quidem etiam decani, quoniam per contubernia distincti, deni simul in certis officinis viuunt. H.F. Optimè. H.P. Atque hi autem omnes, tum quidem certas legum præscriptiones habent, secundum quas viuunt, tum autem adiutores, quorum opera in rebus externis vtuntur, cuiusmodi sunt œconomi: tum vero ministros, qui illis seruiunt,

vt

ut actores, syndici, & apocriuarij, & alij id genus.
 H.F. Iam instituta ecclesiastica quæ nã aut sunt?
 H.P. Quæ ad vitam conformandam pertinent,
 quod tum quidem recta doctrina fit, tum autẽ
 pijs exercitijs, quibus vtrisque piæ seruiunt le-
 ctiones. H.F. Rectam doctrinam quam vocas? H.
 P. Quæ sacrosanctam fidem catholicam & apo-
 stolicam continet. H.F. Pia autẽ exercitia? H. P.
 Quæ tum quidem Deum spectant, eiusq; perso-
 nas sacras, de quibus supra dictum est, nec non
 res sacras, quæ in sacramentis & lyturgijs confi-
 stunt, & loca sacra siue templa & Ecclesiæ, & de-
 niq; tẽpora sacra varij generis, cũ varijs priuile-
 gijs ad omnia ea pertinentibus: tũ autẽ homines,
 vt eos beneficijs & eleemosynis nostris iuue-
 mus, cuius rei causa Orphanotrophia, Geronto-
 comia, Xenodochia, & alia eiusmodi pia loca æ-
 dificatur: tum autẽ mortuos, vt ijs iusta sua & ex-
 equias, monumentaq; pietatis causa faciamus,
 Sanctosq; dignis laudibus & honoribus prose-
 quamur. H.F. Pias deniq; lectiones? H. P. Quæ in
 sacris scripturis & alijs inde dependentibus, cu-
 iusmodi sunt decreta Pontificum, Canones con-
 ciliarum, & scriptis patrum ita vt oportet legen-
 dis consistũt. H. F. Dehinc disciplinam ecclesia-
 sticam quam vocas? H. P. Per quam ad officium
 ecclesiasticum homines compelluntur, idq; tri-
 bus modis. H. F. Quis est primus? H. P. Per admo-
 nitionem canonicam siue fraternam. H.F. Quis
 secundus? H. P. Per synodos & alios conuentus
 ecclesiasticos, H.F. Quis tertius? H. P. Per iudicia
 ecclesiastica partim ciuilia, quæ in audientia e-
 piscopali exercentur, partim criminalia, quibus
 variz

variaz pœnz circa delicta ecclesiastica proponuntur. Ac sunt quidem delicta ecclesiastica alia eorum qui sacrosanctam Christi religionem nunquam susceperunt, vt pagani, Iudæi, Coelicolz, Samaritani : alia eorum qui susceptam Christi religionem diuersis vitijs inquinant , vt Mathematici , Blasphemi , Apostatz , Hæretici. H. F. Intellego. H. P. Atque hæc quidem cum sacrorum summa sint capita , haud sane difficile est , titulos iuris ad ea applicare, qui tum quidem libro primo Codicis , tum autem in Nouellis pleritq omnes existunt.

De prophanis.

Cap. XIII.

H. F. Deinceps de prophanis cupio audire. H. P. Hæc sunt quæ ad rempublicam externam regendam ac moderandam pertinent : Consistuntque in eo quod præest , qui est Imperator: in eo quod paret , qui est orbis Romanus : & quod medium est inter vtrumque, qui sunt varij magistratus. H. F. De Imperatore quid ais? H. P. Hic summum totius reipublicæ externæ est caput, cuius primum munus est , vt iustitiam in rempublicam , per iura legesque & iudicia inducat , alterum vt libertatem eius armis tueatur , & tertium vt vitæ necessaria ei procuret. Quarum rerum causa varij tituli , honores , insignia , prærogatiuz , & alia eiusmodi , ipsi & vxori Augustæ applicantur. H. F. De orbe Romano autem?

H. P. Hic

H.P. Hic est qui Imperatori Romano paret, con-
 silitq; tum quidem in vtraq; vrbe Roma, veteri
 & noua, quæ est Constantinopolis, cuiusq; vtri-
 usq; ordines sunt, senatorius, equestris, plébei-
 us, qui in curiales, corporatos, & collegiatos de-
 inceps distinguitur: tum autem in Italia cum su-
 is insulis & colonijs latinis, tum vero in prouin-
 cijs, quæ suas metropoles habent, vrbesq; & vi-
 cos. Ultra quos qui alij sunt populi, vel fœderati
 sunt, vel hostes, vel peregrini siue barbari. H.F.
 De magistratibus denique? H.P. Hi sunt, qui in-
 ter Imperatorem & populum medij interiecti,
 rebus gerendis præsumunt. Idq; sub diuersis nomi-
 nibus, officij, magistratus, muneris, scholæ, mili-
 tiæ, ordinis, dignitatis, cum similibus, nec non
 sub diuersis titulis honorum, secundum quos a-
 lij illustrissimi, alij clarissimi, alij perfectissimi,
 alij aliter vocantur. Ac diuiduntur autem in duo
 summa genera, sic vt omnes magistratus vel pa-
 latini sint, vel publici, quibus tertio loco quasi
 magistratus, & scribæ, ministriq; magistratum
 accedunt. H. F. Palatinos magistratus quos vo-
 cas? H.P. Qui in palatio principis seruiunt. Ac
 sunt quidem alij superiores, vt patricij senato-
 res, amici, qui omnium consiliorum principis
 sunt participes: alij inferiores, qui minora offi-
 cia in palatio obeunt, cuiusmodi sunt magisteri-
 ani pleriq; omnes, qui sub magistro officiorum
 constituti, tum quidem protectores corporis
 principis sunt, archiatriq; & cubicularij, vestia-
 rij, & alij varij ministeriani, tum autem in scho-
 lis degunt, tam armariorum quam agentium in
 rebus, ad quos cursus publici cura spectat: tum
 vero

vero in sacris scrinijs, memoria, dispositionū, epistolarum, & libellorum: alij medij, qui partim in consistorio principis versantur, vbi alij præfident, vt quæstor sacri palatij & præfectus prætorio: alij assident, vt iudices consistoriani, alij ministrant vt libellenses, referendarij, & similes: partim, ad palatinam militiam pertinent vt magistri equitum & peditum, partim ad rem Tamiacam siue pecuniariam, vt Comites sacrarum largitionum, & rei priuatæ, quibus subsunt negociatores palatini, & monetarij. H.F. Quos publicos? H.P. Qui reipublicæ regendæ ac gubernandæ præfunt. Ex quibus nonnulli ciuiles, sunt, tam vrbici, vt varij Romæ magistratus ac iudices, quàm prouinciales, vt præfides, & alij rectores prouinciarum, quàm municipales, vt decuriones & reliqui qui ad municipia pertinent: nonnulli militares, qui rem bellicam tractant: nonnulli fiscales, qui patrimonij & fisci principis curam gerunt. H.F. Quos denique reliquos? H.P. Primum professores, & artium liberalium magistros, ludorumq; præfectos, qui quasi magistratus sunt: deinde notarios, exceptores, logographos ac similes, qui scribæ sunt magistratuum, tum viatores, apparitores, coruicularios, & alij qui magistratuum sunt ministri. H.F. H.P. Ad quos quidem omnes qui pertinent tituli, tum quidem libro primo & vltimo Pandectarum extant, tum autem primo & tribus vltimis Codicis, tum vero in Nouellis, vnde facile peti, & his capitibus accommodari possunt.

R De

*De personis.**Cap. xv.*

H. F. De personis deinceps expecto vt dicas. H. P. Harum tres sunt diuisiones. H. F. Quæ est vna? H. P. Quod omnes homines aut liberi sunt, aut serui. H. F. Quæ altera? H. P. Quod omnes homines vel sui iuris sunt, vel alieni. H. F. Quæ reliqua? H. P. Quod inter homines, tum quidem de coniunctione maris & foeminae liberorumque procreatione & tutela agitur, tum autem de successione ex testamento vel ab intestato. H. F. Verum. H. P. De quibus quidem quinam sint tituli tam in libris Institutionum quam in Pandectis, & Codice, ex ijs quæ supra dicta sunt, lucet, quibus titulos Nouellarum eodem pertinentes applicare minime est difficile.

Derebus. Cap. xvj.

H. F. Ad res nunc transito. H. P. Harum prima diuisio est, quod vel in patrimonio sunt, vel extra patrimonium habentur. H. F. Bene habet. H. P. Sequens, quod vel corporales sunt, vel incorporales. H. F. Recte. H. P. Tertio quod omnes res vel vendicamus tanquam nostras, vel condicimus tanquam nobis debitas. H. F. Probe. H. P. Ac de his quidem quomodo in Institutionibus & Pandectis Codiceque tractentur, iam vidimus, nec est quicquam facilius, quam rubricas Nouellarum ad id accommodare.

De

*De iudicijs.**Cap. xvij.*

H.F. Reliquum est de iudicijs vt dicas. H. P. Circa hæc tum quidem personę spectantur, tum autem ordo, tum vero diuisio. H. F. Quę sunt personę ad iudicia pertinentes? H. P. Actor, reus, & iudex, quibus tanquam principalibus pro accessione sunt aduocati, procuratores, scribę, & similes, de quibus primis libris Pandectarum & Codicis, & per nonnullos titulos Nouellarum luculenter traditur. H. F. Quis est ordo iudiciorum? H. P. Hic tum quidem in prioribus cōsistit, cuiusmodi sunt in ius vocatio, editio, & alia quę in iudicia sæpe incidunt, tum autē in principalibus, quę sunt litis contestatio coram iudice cōpetenti, probatio, & similia: tum vero in posterioribus, cuiusmodi sunt appellationes. Cui quidem ordini, Pandectarum & Codicis ordinem respondere iā ostendimus, suntq; nonnulli tituli Nouellarum, qui quibusdam ex ijs conueniunt. H. F. Quę diuisio? H. P. Quod omnia iudicia vel ciuilia sunt, vel prætorialia, vel criminalia, prout tum quidem in Institutionibus demonstratum est, tum autem Pandectarum & Codicis methodus ostendit, suntq; & tituli aliquot Nouellarum, qui cum eodem instituto congruunt. H. F. Optime. H. P. Atque hoc autem modo apparet, quoniam pacto summa diuinarum & humanarū rerum capita, his iuris ciuilis titulis contineantur. Quorum quidem cognitio quātum

R 2 nisq;

260 PARATIT. IUR. CIVIL.

nistꝫ reipublicæ , vsum habeat, tu volente Deo
suo tempore percipies. Quem vt hic noster quã
tuluscunque labor , partim ope & auxilio do-
ctissimorum hominum: qui idem argumentum
tractarunt, partim Marte quod dicitur proprio,
susceptus , ad gloriam & honorem ipsius,
communemqꝫ hominum vtilitatem
esse possit, etiam atque
etiam oro.



FINIS PARATITLON
iuris Ciuilis.

ELEMEN

ELEMEN- TORVM IVRIS, SIVE PRINCIPIORVM IVSTI ET INIVSTI, D. IOACHI-

*mo Hoppero I. C.
Authore.*

LIBER PRIMVS.



F. Sacris vti mandaras procuratis accedo ad te mi pater : vt post primã iurisprudentiã partem, quæ pro corpore est, superiore anno abs te cognitam, nunc de secunda audiam, quam pro anima esse dicebas. H. P.

Bene meministi mi fili. Et quidem vt hoc melius etiam intelligas, scito tria omnino studij iuris esse genera. H. F. Ac quænam autem illa ? H. P. Inchoatum quod pro vmbra est, vulgare quod pro corpore, & perfectum quod pro anima. H. F. Quod vocas inchoatum? H. P. Quod circa verba iuris ac legû alicuius populi, & antiquitates aliaq; eiusmodi versatur, elegans imprimis & fructuosum, & ad ingressum studiorum omnino necessarium, dummodo modus teneatur, & (vt vulgo dici solet) verborum quidem priorem, sed rerum potio-
R 3 gatur.

gatur. Alioqui si cæteris omiſſis in id genus ſolum quis incumbat, haud abſimilis illi erit, qui verba quidem Arithmeticę norit, ipſam autem Arithmeticã ignoret. H. F. Quod vulgare? H. P. Quod ad cõmunem popularemq; ſenſum ac cõmodatum, ſine vera iuris ac legũ cauſarumq; ex principijs ductarũ cognitione, in fori quaſtionibus & alijs cõquirendis conſiſtit, quibus tractandis nõ certo animi iudiciõ & arte, ſed auctoritate aliorũ, in qua ferè deliteſcit, & multarum rerũ accumulatione ac memoria, à qua vulgares Iuriſconſulti laudari ſolèt, nititur. Cuius quidẽ licet in rebus forenſibus inferioribus aliquis fit uſus (qui ſanè mœchanicus magis eſt quam liberalis) ſi qui tamen non longius progreſſi, ea ſola in re acquieſcunt, ijs fere ſimiles ſunt, qui quod poſitum eſt in vna cognitione in infinita diſpertientes, multos quidem numeros alios alijs additos, & in ſe multiplicatos, partim benè partim malè computatos, memoria tenent, multisq; voluminibus deſcriptos habent, ipſam vero addendi & multiplicandi artem, à quo vno capite omnia repeti debent, prorfus neſciunt. H. F. Quod perfectum? H. P. Quod certa via ac ratione conſtans, totumq; arte tinctum, circa veram iuris ac legum intelligentiam & uſum, veramque reipublicæ regendæ ac gubernandæ rationem verſatur, cuius ortum à primis principijs ac fontibus repetit, ex quibus reliqua omnia dependent. Adeo vt cum à primo genere legulei dicantur, qui non rerum, ſed verborum ſunt periti, à ſecundo autem

autem pragmatici, qui non tam iuris & iustitiae quam litigandi vias norunt, ab hoc veridemum ac perfecti Iurisconsulti politicis philosophi existant, qui arte ipsa civili imbuti, non vaga & incerta opinione, ut illi quorum vatum & incertum nullisque terminis circumclusum est studium: sed certa firmaque scientia, quae finita & certis limitibus circumscripta, quasi pro norma quadam est & mensura, in omnibus procedunt. H. F. Recte. H. P. Nobis autem ad secundam principemque iurisprudenticae partem accedentibus, de perfecti huius generis elementis ac principiis Deo adiuvante approbanteque dicendum est. Quae quidem in vulgus haecenus haud satis cognita, ex maioribus commentariis nostris, quibus tota res omnibus suis partibus ac membris, duodecim iuris civilis libris descripta est, magna ex parte decerpemus, leuiter ac simplici via breuiter ac strictim, & quasi per puncta quaedam complectemur, ut eos qui primum ad haec studia ingrediuntur, ingenijque donum iis cognatum (ut Plato loquitur) habent, & artibus ad eam rem necessariis sunt instructi (nam veram iuris disciplinam penitus ex intima philosophia hauriendam esse constat) quantum in nobis est (quod sane quam exiguum sit ipsi facile perspicimus) iuueamus, & ad maiora capeffenda, accedente usu & exercitatione praeparemus. H. F. Intellego. H. P. Atque ut a capite ipso incipiamus, certoque ordine progrediamur, primum quidem iurispru-

R 4 dentia

264 ELEMENTOR. IVRIS
dentia fit dicemus , deinde quomodo diuida-
tur, vnde reliqua ordine nectentur.

De iurisprudencia.

Titul. I.

F. Igitur iurisprudencia quidnam est? P. Diui-
narum & humanarum rerum notitia, iusti & ini-
iusti scientia. Cuius definitionis duæ omnino
sunt partes. F. Quæ est prior? P. Quæ genus iuris-
prudenciæ ostendit, materiam complectens cir-
ca quam versatur, quam in rebus diuinis & hu-
manis consistere ait, & cum philosophia genera-
liter illi est communis. Cæterum specialiter au-
tem hoc interest, quod cum philosophia simpli-
citer & absolutè circa res diuinas & humanas
versetur, Iurisprudencia comparatè id facit,
quatenus in iuris & iniuriæ rationem incidit.
Nam quemadmodum in alijs artibus ac discipli-
nis eadem de re, vt de natura hominis, aliter Pla-
to tractat philosophus, aliter Hyppocrates me-
dicus, ita & hic vsu venit. F. Quæ altera? P. Quæ
veram ipsam formam ac differentiam, & pro-
prium munus iurisprudenciæ cõtinet, quod in
iusti & iniusti scientia spectatur, vt quid quæq; in
re æquum & iniquum, iustum & iniustum sit di-
scernat. Vnde apud Vlpianum, ius ars boni & æ-
qui dicitur, quod perinde est, atque si Iustitiæ di-
xeris, cuius nobilissima pars æquum est & bo-
num. F. Scitè. P. Et vero cum reipublicæ, quæ-
admodum hominis duæ sint partes, corpus & a-
nimus, res diuinæ & humanæ pro corpore, iustū
autem & æquum pro animo sunt, vt iam ante à
me

me audiuisti. F. Ita memini. P. Atque de his quidem tractans vera perfectaque iurisprudētia, princeps est omnium artium ac disciplinarum, quibus regina præfidet, iubens ea quæ faciēda sunt, & prohibens contraria: vnde & ars regia vocatur, cuius finis est, vt quemadmodum Medicina sanitatem in corpus per medicamenta, ita ipsa iustitiam in rempublicam per leges inducat.

De diuisione Iurisprudentia.

Titul. II.

F. Quomodo autem diuiditur Iurisprudentia? P. Pro definitionis ipsius partibus ac membris, in materialem (vt ita dicam) & formalem. F. Quæ est materialis? P. Quæ circa res diuinas & humanas tanquam materiam iuri & iustitiæ subiectam, versatur, cuius non scientia, sed notitia est, quæ opinione continetur. F. Quæ formalis? P. Quæ circa iustum & iniustum, tanquā propriam suam formam, cuius non notitia sed scientia est, quæ ratione & intelligentia constat. F. Recte. P. Ac cum de materiali quidem parte superiori sermone actum sit, quem quatuor libris paratitlon iuris ciuilis complexi sumus, quibus rerum diuinarum & humanarum summa capita contineri demonstrauius, quæ vt faciliora, & in communi vitæ vsu posita, prius cognosci ac percipi debent: Hic autem de ijs agemus, quæ ad formalem partem eiusque principia & elementa pertinent, quibus iusti & iniusti summa genera comprehenduntur, ad quæ vti ad ea, quibus

R 5 princeps

princeps huius disciplinæ pars continetur, secundo loco est veniendum. F. Probe. P. Ac quoniam autem omnis formatum quidem simpliciter & per se spectatur, tum autem coniunctè cum materia: primum de principijs iusti & iniusti simpliciter & per se dicemus, quod cognitionis est, quam Theoriticen vocant, deinde coniunctè, quatenus rebus diuinis & humanis tanquam materiæ immiscentur, eamq; regunt ac dirigunt, quod actionis, quæ practice dicitur. F. Scitè. P. Et vero duas has partes, ambas cognitæ, & perceptas habere oportet, quoniã haud satis est, principia iuris & Iustitiæ generalitèr nosse, nisi & quo pacto rebus speciatim accommodentur, & ad vsum transferantur intelligas. Et è contrario parum est, res legibus specialiter descriptas memoria tenere, nisi & quibus principijs generalibus nitantur cognoscas. Nam scire leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem. F. Verum. P. Atque his quidem tractandis tria omnino consequemur, quibus vera perfectaq; iurisprudencia continetur: Vnũ vt quæ rerum diuinarum & humanarum summa capita sint intelligatur, quod materialis partis esse diximus: Alterum, vt quæ iusti & iniusti principia, quod formalis: Et tertium, vt quo pacto iusti & iniusti principia, & res diuinæ & humanæ se habeant inter se, quod vtriusque. Nunc autem ad institutum ipsum accedamus.

De

*De principijs Iusti & Iniusti.**Tit. III.*

F. Ergo de principijs iusti & iniusti quid ais?
 P. Circa hæc duo sunt quæ spectantur. Descrip-
 tio eorum & vsus, de quo utroque separatim
 ac distinctè dicemus. F. Intelligo. P. Ac quantum
 quidem ad descriptionem attinet, ut quoad e-
 ius fieri potest, quam optime præuisa, & diligen-
 ter explorata principia ponantur: primum quæ
 nam sint principia dicemus, deinde quomo-
 do diuidantur, post, quæ eorum sint qua-
 litates.

*Quæ sint principia iusti & iniusti.**Titul. III.*

F. Quænam autem sunt iusti & iniusti princi-
 pia? P. Prima illa Dei & naturæ semina, quæ à Iu-
 stitia profluentia, ex prima & inchoata intelli-
 gentia animis nostris sunt insita: vnde quicquid
 toto orbe iuris est, ac legum enascitur, & quo
 tanquam ad sua capita certis generibus notata
 ac distincta, & ad certum numerum paucitatemq;
 reuocata, referuntur. A quibus quidem cum ab-
 erratur, ac receditur, & ad hominum errores
 & opiniones vagas & incertas, eorumque am-
 bitionem, libidinem, auaritiam, aliasque turpi-
 ficati animi labe, per quas multa pestiferè sci-
 fici solent, in populis leges accommodantur,
 non veræ leges sunt, sed falsæ & tyrannicæ,
 quales Scribarum & Phariseorum, aliorumq;
 hypo

hypocritarum (quo nomine & tyranni in sacris literis significantur) fuisse, in Euangelio proditum est. De quibus quoniam non ex seminibus principiorum diuinæ legis, sed aliundè nascebantur, Dominus ait: Omnis plantatio quâ non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur.

De diuisione principiorum.

Titul. V.

F. Quomodo diuiduntur? P. In ordinaria, quæ certa iuris ratione cōstant: extraordinaria, quæ in certam iuris rationem non cadunt: & media, quæ ratione constant singulari. F. Audio. P. De quibus quidem vt separatè distinctèq; dicamus, ordinaria rursus alia interna sunt, quæ rebus ipsis inhaerent, alia externa quæ foris assumuntur, alia media, quæ inter ea sunt interiecta. F. Intelligo. P. Ex quibus cum interna vel naturalia sint, quæ in natura ipsa quæ per omnia patet sunt insita, vel ciuilia, quæ propria sunt cuiusque ciuitatis, vel mixta: Naturalia rursus sic diuiduntur, vt vel à reipublicæ descriptione ac natura manent, quæ fere vniuersalia sunt, vel Iustitiæ, quæ generalia, vel legis quæ specialia. Nam cum huius facultatis opus & officium esse suprâ dictum fit, Iustitiam in rempublicam per legem inducere, à singulis singulari principiorum genera oriuntur. F. Teneo. P. Et quidem quoniam respublica ex pluribus familijs iungitur, familia autem ex pluribus hominibus sequitur, principia reipublicæ, à familiæ & hominis repetenda esse natura. F. Probè. P. Quinimo cum homo ex mundo de-

cerptus

ceptus ac delibatus fit, mūdus autem quemadmodum & homo, ad Dei imaginem ac similitudinem factus, consequens est, ad hominis naturam penitus cognoscendam, à Deo principè agenda esse primordia, à quo ad mundum, hominem, familiam, & rem publicam, quæ omnia diuinitus reguntur, deinde descenditur. F. Optime. P. Nos autem de singulis ordine explicabimus: vnde quanta rerum pulcherrimarum series fit, & quo pacto ex alijs alia nectantur, perspicietur.

De Deo & principijs ab eo manantibus.

Tit. VI.

F. De Deo autem quid habes dicere? P. Enimvero cum Deus opifex & quasi parens sit omnium, cuius ditone ac numine cuncta geruntur: is solus principium principiorum est, & causa causarum, & lex legum, trinus & vnus, pater, filius, & spiritus sanctus, à quo ducere omnia, ad quem referre omnia, & per quem facere omnia oportet. Sic vt ab illo tanquam summa lege, omnis iuris constituendi exordium capiatur, quod caput, medium & finis est omnium. F. Præclare sanè dictum. P. Quæ autem proximè ab eo promanant, principia sunt, quod (quanquam omnia sint omnium) patri propriè potentia tribuitur eius quod est per constants, filio scientia veri per perpetuum, spiritui sancto amor boni per pulchrum, quibus accedens vnum omnia connectit,

neſcit, & ex toto trinum vnum efficit. Et qui-
dem cum ex vno de tribus iſtis principijs vnde
omnia profluunt ſubſtantia rei conſtituitur, vt
ſit, reliqua duo pro adminiculis ei accedunt, vt
plenè perfectèq; ſit. F. Optime. P. Atque vt au-
tem omnes affirmationes hinc habent exordi-
um, nam pater Deus eſt, filius Deus, ſpiritus ſan-
ctus Deus, non plures dij, ſed vnus eſt Deus: ita
habent & negotiationes: nam pater non eſt fili-
us, nec filius ſpiritus ſanctus, nec ſpiritus ſanctus
pater, & econtra. F. Verum. P. Adeo vt quæcun-
que ſunt, hinc ortus ſui principatum ducant,
quæ pauca quidem numero, ſed re omni pon-
dere grauiora: tu ob oculos ſemper habe, cer-
toq; tibi perſuade, veram rerum omnium ſcien-
tiam ac cognitionem non aliunde, quàm ab his
ſolis dependere.

*De mundo & principijs ab
eo manantibus.*

Tit. VII.

F. Iam mundum autem quem vocas? P. Vni-
uerſum hanc rerum, quas Deus perpetuum
exemplar, hoc eſt ſeipſum imitatus condidit. F.
Intellego. P. Ac conſtat autem hic tribus regio-
nibus ſubſtantia vna inſpectabili, vbi beatarum
mentium eſt ſedes: altera media inſpectabili, que
coelo & terra continetur, vbi homines ad quo-
rum commoditates & vſus tantam rerum vberta-
tem natura largita eſt, in hac vita degunt: & tertia
intima ſub terra, vbi ymbrarum eſt locus. F.
Rectè.

Rectè. P. Et vero vti principia à Deo profluentia diuina dicuntur, ab homine autem humana, ita quæ hinc manant, naturalia vocantur, à quibus secundo loco post Deum stirps omnis iuris repetitur, ne quidquam quod cum natura quæ legis norma est, eiusque fundamentis non sit consentaneum, iure statuatur. **F. Probè. P.** Ac constant quidem omnia vel certa veraque ratione: quod supremæ regionis est, vel verisimili quod mediæ, vel apparèti (visum latine dicitur) quod infimæ. Cui accedit, quod quædam ipsius pulchri sunt, quæ à prima regione ducuntur, quædam necessitatis, quæ ab vltima, quædam mixta, quæ à media. Pertinentque huc, motus, quies, generatio, corruptio, causa materialis, formâlis, efficiens, finalis, & alia eiusmodi.

*De homine & principijs ab
eo manantibus.*

Tit. VIII.

F. Dehinc de homine quid habes dicere? **P.** Homo diuinum hoc est animal, quod præclara quadam conditione à summo Deo generatum, ex tot animantium generibus & naturis solum ex mundo desumptum, & ad Dei imaginem ac similitudinem factum est, à quo principia humana quæ manant, ex igniculis diuinis & naturalibus deducta, tertium post ea locum obtinent. **F.** Quæ autem ex mundo habet homo? **P.** Hæc sunt, anima, corpus, & vmbra: vnde bona animi,

animi, corporis, & externa originem trahunt. Ac sunt quidem animi iustum, pulchrum, bonū: corporis, sanitas, robur, forma externa, diuitiæ, nobilitas, honor, siue existimatio, cuius causa, pecuniæ, secundum regulas iuris præponitur. Et quidem ordo qui in his seruari debet est: vt bona externa ad bona corporis, bona corporis ad bona animi, & bona animi ad Deum referatur. F. Quæ sunt quæ Dei imaginem ac similitudinē in homine referunt? P. Mens, in qua memoria, intelligentia, voluntas, & eorum contraria insunt: animus, cuius sunt, ratio, ex candescencia, cupiditas: & spiritus, cuius sunt cogitata, dicta, facta. F. Rectè. P. Atque in illis quidē omnibus quæ extant passiones, diuinæ, mundanæ, & vtrique parti communes, sunt, voluptas, vnde spes & lætitia oriūtur: dolor, vnde metus & tristitia: & mixta, quæ tum quidē plus voluptatis habent, tum autem plus doloris, tum vero æquas vtriusque portiones. F. Probè. P. Adeo vt tota hominis descriptio ter nouē omnino partibus constet, quibus vel ad virtutis habitum vti potest, vel vitij, vel medij: Proficisciturq; hinc, q̄ alia sponte ab homine fieri dicuntur, in quibus dolus inest, cum consulte & meditate quid fit: alia inuite, in quibus casus fortuitus cum fato & vi maiore: alia medio quodam modo, in quibus culpa lata, leuis, & leuissima, cum per negligentiam aut inscitiam, iramq; aut cupiditatem, nec non dolorem aut voluptatem, & alia quę inde dependent, secundum tres illos gradus quid committitur. F. Scite. P. Atque ab his quidem omnibus, quæ deductæ fuere iuris regulæ, ad homi-

hominis diuersas potentias ac facultates pertinentes sunt : Eius est nolle, qui potest & velle. Velle non creditur qui obsequitur imperio patris vel domini. Furiosus absentis loco est. Vbi non voce sed præsentia opus est, mutus & surdus si intellectum habent, possunt videri respondere. Furiosi nulla est voluntas. Inuito beneficium non datur. Nihil consensui tam contrarium quàm error. Si librarius in transcribendis stipulationis verbis errauerit, nihil nocet quominus & reus & fideiussor teneantur. Non potest videri improbus, qui ignorat quatum soluere debeat. Cuius per errorem dati repetitio est, eius consulto dati donatio est. Quod quis si velit, habere non potest, id repudiare non potest. Qui tacet consentire videtur. Præsumitur ignorantia vbi scientia non probatur. Qui in ius alterius succedit, iustam habet ignorantiae causam. Quod semel placuit amplius displicere non potest. Scienti & consentienti non fit iniuria neque dolus. Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum. Imperitia culpæ adnumeratur. Culpa caret qui scit, sed prohibere non potest. Culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti. Non potest dolo carere qui imperio magistratus non obtemperat. Quod quis culpa sua dænum sentit, sentire non videtur. Vani timoris nulla excusatio est. Qui ex timore facit, aliter quam debet facit, & ideo hoc quod debet non facit. Ignorantia facti non iuris excusat. Lata culpa est nescire quod omnes intelligunt. Magna negligentia culpa est, magna culpa dolus est.

est. Qui non prohibet pro se interuenire, mandare creditur. Qui ratum habet quod gestum est, mandati actione obstringitur. Quod iussu alterius soluitur, pro eo est quasi ipse soluisset, vel ipsi solutum esset. Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur sentire, sibiq; debet non alij imputare. Qui tacet, non utique fatetur, sed tamen verum est, eum non negare. Eius est denegare, qui potest & dare. Quicquid calore iracundiæ vel fit vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseuerantia apparuerit, iudicium animi fuisse. Vi factum videtur, quod quis cum prohiberetur fecit. Clam, quod quis cum controuersiam haberet, habiturumve se speraret, fecit. Qui non facit, quod facere debet, videtur facere aduersus ea quæ non facit: & qui facit quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere iussus est. Qui potest facere ut possit conditioni parere, iam posse videtur. Qui potest inuitis aliquibus alienare, & ignorantibus & absentibus potest. Qui dolo deserit possidere, pro possidente damnatur, quia pro possessione dolus est. Nemo videtur dolo facere, qui ignorat causam cur non debeat parere. Qui cum alio contrahit, vel est, vel esse debet non ignarus conditionis eius. Pupillum, cum proximus pubertati sit, capacem esse & furandi, & iniuriæ faciendæ constat. Pupillus nec velle nec nolle in ea ætate, nisi appõsita tutoris autoritate creditur. Nullus videtur dolo facere, qui suo iure utitur. Nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere

hibere non potest. Aliud est vendere, aliud vendenti consentire. Consilij non fructuulenti nulla obligatio est. Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt, quidam & dolum & culpam. Creditor qui permittit rem vānare, pignus dimittit. Cū quis possit alienare, poterit & consentire alienationi. Factum suum cuique non aduersario nocere debet. Non videtur vim facere, qui iure suo utitur, & ordinaria actione experitur. Ferē in pœnalibus iudicijs & ætati & imprudentiæ succurritur. Fraudis interpretatio semper in iure ciuili non ex euentu duntaxat, sed ex consilio quoque consideratur. Furiosi, vel eius cui bonis interdicitur, nulla est voluntas. Generaliter cum de fraude disputatur, non quid habeat actor, sed quid per aduersarium habere non potuit, considerandum est. Quicquid per vim fit, aut in vis publicæ, aut priuatæ crimen incidit. Deiecit is, qui vel iussit, vel mandauit, vel ratum habuit. Rati habitio enim mandato comparatur. Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. Vnicuique sua mora nocet. Dolo facit, qui petit quod restitutus est. Pupillus pati nō posse intelligitur. Mulieribus tum succurrendū est, cū defraudantur, non vt facilius calumnientur. In negotijs contrahendis, alia causa habita est furiosorū, alia eorū qui fari possunt, quāuis actū rei non intelligant: nam furiosus nullū negotium contrahere potest, pupillus omnia negotia tutore authore agere potest. In omnibus causis, p facto accipitur id, in quo quis aliū perhorrescit, quo

minus fiat. Omnia que animi destinatione peragenda sunt, non nisi vera & certa scientia perfici possunt. Is damnū dat, qui iubet dare. Eius nulla culpa, cui parere necesse sit. Nemo damnū facit nisi qui id facit quod facere ius non habet. Nemo potest mutare consilium suum in alterius iniuriam. Nemo videtur fraudare eos qui sciunt & consentiunt. Nihil consensui tam contrarium est, quam vis atque metus, quem comprobare contra bonos mores est. Non capitur qui ius publicum sequitur. Non videtur consentire qui errat. Nihil dolo creditor facit qui suū recipit. Qui iussu iudicis aliquid facit non videtur dolo malo facere, quia parere necesse habet. Non vult hæres esse qui ad alium transferre voluit hæreditatem. Cum non stat per eum ad quem pertinet quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta esset. Dolo facit qui petit quod restituere oportet eundem. Eum qui certus est, certiorari amplius non oportet. Ex eo non debet quis fructum cōsequi quod ausus est impugnare. Frustra quis fidem sibi postulat ab eo seruari, cui fidem à se præstitam seruare recusat. Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine nō est gestum: & alia eiusmodi quæ quisque per se haud difficile perspicere potest, dummodo origines eorum norit, quas tanquam intento in fontem digito commōstrare duntaxat huius est instituti. Nam summis illis benè positis, quibus quid homini à natura tributum sit, eiusque muneris colendi & efficiendi causa in lucem fit editus, & quantam vim rerum optimarum mens hu-

mana

mana possideat perspicitur: innumerabilia nascuntur, quibus vulgarium Iurisperitorum libri implentur.

*De familia & principijs
inde manantibus.*

Tit. IX.

F. De familia nunc sequitur ut dicas. P. Familia est, quæ marito & uxore constat, tum quidē prolis procreandę causa, sic ut pater familias imperet, parentem autem filij familias, partim imperet partim pareat mater familias: tum vero communis opis gratia ad vitę necessaria commoditatesque parandas, unde principia Oeconomica, quę profluunt, partim ad communem viri & mulieris conuictum pertinent, partim ad liberorum procreationem & educationem, partim ad rem varijs artibus querendam & conseruandam, frugaliterque ea utendum. In quibus omnibus serui & ancillę animantesque omnis generis, quibus homo naturaliter imperat, suam nobis operam præstant.

*De republica & principijs
inde manantibus.*

Tit. X.

F. Nunc de republica si placet reddito. P. Respublica est ordinata hominum multitudo iisdem imperijs parentium, & iisdem rebus com-

S 3

muniter

muniter utentiū. Cōstatq; primū ijs q; p̄sunt, per quos geritur respublica, qui sunt Principes, qui imperio & auctoritate p̄stant: Sacerdotes, qui vitæ sanctimonia: & Prophetæ, qui doctrina & scientia. Idq; siue vnus dominatu respublica teneatur, quod monarchiæ est, cui contraria est tyrannis: siue plurium, quod aristocratix, cui oligarchia opponitur: siue omnium quod reipublicæ, cui democratia ex aduerso posita est. Deinde ijs qui parēt, qui sunt agricolæ, opifices, mercatores: Tū ijs qui partim p̄sunt, partim parēt, q; sunt magistratus, iudices, & milites, medij inter superiores & inferiores constituti. F. Audio. P. A quibus omnibus principia politica, quæ promanāt, sunt tres fines reipublicæ, nempe, ut vitæ commoda habeat, quod infimi ordinis est: ut libera & tranquilla sit, quod medij: & quod virtute p̄dita, quod primi & summi, absq; quo reliquorū neq; accessione melior fit vita, neq; decessione peior. F. Intellego. P. Et quidē cū malē cōstitutæ respublicæ vel primū duntaxat spectent, quod opū est ac diuitiarū: vel secundū, quod potentix armorū, bene constitutæ ac fundatæ ad tertium omnia dirigunt, quibus alia pro accessione sunt. Nā primū (inquit Dominus) quærite regnum Dei, & iustitiæ eius, reliqua autē adijciētur vobis. F. Teneo. P. Porrò quemadmodū homo ad imaginem ac similitudinem Dei factus est, & ex mundo decerptus ac delibatus, ut suprā demonstratū est, ita domus & respublica ex hominis ductæ sunt natura. Nam quod in homine sunt, ratio quæ imperat, cupiditas quæ paret, & excandescētia, quæ

quæ partim paret, partim imperat : hoc in domo siue familia sunt, paterfamilias, filijfamilias & materfamilias, & in republica primus ordo; infimus, & medius.

*De Iustitia, & principijs
inde manantibus.*

Tit. XI.

F. Absolutis principijs à descriptione reipublicæ ductis : iam de iustitia & principijs inde manantibus quæso exponito. P. Iustitia, inquit Iustinianus Imperator, est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi. Dicitur autem voluntas, quia cum tria sint principia à Deo profluentia, ut dictum est, id quod est, verum, bonum, Iustitia substantiam suam in bona habet voluntate, cui pro adminiculis accedunt potentia, quæ per verbum constans significatur : & scientia, quæ per verbum perpetua. Nam parum est velle aliquid, nisi idem & possis & scias. Ac dicitur quidem voluntas, non autem habitus voluntatis: quoniam habitus de humana Iustitia intelligitur: hic autem ipsa Iustitia per se spectatur, quæ in actione consistit. Et quod additur, ius suum cuique tribuendi, vis & effectus est bonæ voluntatis, cum scientia & potentia coniunctæ, cuius hoc proprium est opus, ut ius suum cuique tribuat, siue dando rem, siue faciêdo opus, siue imperando inferiori, siue parêdo superiori, siue permutando æqualiter, siue donando

liberaliter: Estque res perinde atque si dicas: quoniam iustitiam bonam voluntatem esse ais, cedo qualisnam tandem est voluntas? & respondeatur, tribuēdi, quod in omni actione est prestantissimum. At quidnam autē? Ius, quod omnium eorum quæ tribuuntur est optimū. Quale nam vero? suum, quod ei cui tribuitur est cōuenientissimum. Et cui denique? Vnicuique, quod omnium est latissimum, sic vt neminem penitus excludat, sed per omnia supera, infera, & medioxima pertineat. Vnde apud Græcos nomen Iustitiæ inde deductum dicitur, quod per cuncta transeat, cum apud Latinos inde deriuetur, quod ius ponat ac statuat, in quo propria vis eius & natura consistit. Nam id proprie ius est, quod iustitiæ quæ voluntatis est, per legem quæ rationis, iubet ac mandat quod auctoritatis. F. Principia hinc manantia quænam autem sunt? P. Ea partim substātialia sunt, partim formalia. Substantialia sunt quæ substantiam legis spectant, ad iustum & iniustum quæque in re dijudicandum. Formalia, quæ formam legis ad iusti & iniusti amorem & odium in animos hominum inducendum. F. Rectè. P. Ac sunt autem substantialia, alia ipsius iustitiæ, alia iniustitiæ, quæ iustitiæ est contraria: alia eorum quæ inter iustitiam & iniustitiam media sunt interposita. F. Probe. P. Et quidem quæ à Iustitia promanant, vel à definitione eius ducuntur, & sunt partim ethica, quæ bonæ voluntatis sunt, partim physica quæ potentia, partim logica quæ scientia, partim Mathematica quæ ad ius suum cuique tribuendum pertinent: vel à di-

uisio-

uisione in genera, partes, gradus, & formas: vel à vi & effectu. de quibus singulis explicabimus.

De principijs Ethicis.

Titul. XII.

F. Principia ethica quænam sunt? P. Quæ à bona voluntate vt dico proficiscencia circa vitam & mores versantur, siue vnum hominem spectes, quod Ethicæ est, siue domum & familiam, quod Oeconomicæ, siue ciuitatem & rempublicam quod Politicæ. Quæ quonam autem modo à supradictis dependeant, per se nisi fallor lucet. F. Verum. P. Ac sunt quidem omnia principia ethica alia vniuersalia, alia generalia, alia specialia. Vniuersalia sunt, Iustitiam quæ mater pacis est colere, à malo recedere, & facere bonum, vnde Dauid: recede à malo inquit & fac bonum, inquire pacem & persequere eam. Generalia, honestè viuere quantum ad nos, refrenando cupiditatem corporis, quod temperantiæ est: alterum non lædere quantum ad alios coërcendo iram animi, ne alteri per alterum iniqua conditio inferatur, quod fortitudinis: ius suum cuiq; tribuere quantum ad nos & alios, cohibendo auaritiam circa res externas, vnde iure naturæ æquum esse dicitur, neminem cum alterius detrimento & iniuria fieri locupletiolem, quod iustitiæ specialis, quibus tribus virtutibus, prudentia præsidet, vt post demonstrabitur. Specialia, Deum qui supra est, supra omnia amare, eiq; parere, animantibus que

§ 5 infra

infra sunt moderatè vti & præesse, & in proximum non minus atq; in se esse animatum, ad communem vitam conseruandam, propagandam ac tuendam, & pari iure inter homines degendum, sic vt quod quisque iuris in alium statuit, ipse eodem iure vtatur: & qua mèsura mensus fuerit, eadem ei remetiat, nec alter alterius odio prægrauetur, vnde innumera cõstãter honesteq; viuèdi præcepta inferiora ducuntur.

De principijs Physicis.

Tit. XIII.

F. Physica principia quænam sunt? P. Quæ ab eo quod est originem ducunt, siue metaphysicæ spectes, quæ supremæ partis mûdi sunt, & ad Dei vim ac naturã proximè accedunt: siue physica, quæ ad vniuersum hoc quod tuentur pertinent: siue inferiora, quæ infimæ partis mundi sunt propria, non in casu quidem, qui cùm incertus sit, nullum principium constituit, sed in re ipsa, licet tenui, constituta. Intelligis? F. Maximè. P. Atque ab his quidem physicis principijs deductæ sunt variæ iuris regulæ, quæ sunt: Accessorium naturam sequitur sui principalis. Cùm principalis causa non subsistit, plerumq; nec ea quidè, quæ sequuntur locũ habet. Impossibile nulla obligatio. Secundum naturam est, commoda cuiusque rei sequi eũ, quæ sequuntur incommoda. Nemo plus iuris in alium transferre potest, quàm ipse habet. Qui prior est tempore, potior est iure. Non potest videri desisse habere, qui nunquam habuit. Vni duo

duo in solidum hæredes esse nō possunt. Nihil tam naturale est, quàm eodē modo quodq; dissolui, quo colligatum est. Quæ rerū naturā prohibentur, nulla lege confirmata sunt. Quod initio inutile vel vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere. Verū est, neq; pacta neque stipulationes factū posse tollere: quod enim impossibile est, neq; pacto neq; stipulatione potest comprehendi, vt vtilem actionem aut pactum efficere possit. Cū quid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo. Quod nullius esse potest, id vt alicuius fiat nulla obligatio valet efficere. Nulla censetur mora ibi fieri, vbi nulla petitio est. Non videtur perfectè eius esse, quod ex causa auferri possit. Cuius effectus omnibus prodest, eius & partes ad omnes pertinent. Ea quæ ad dandum impossibilia sunt, vel quæ in rerum natura non sunt, pro nō adiectis habentur. Ea quæ in partes diuidi non possunt, solida à singulis debentur. Quod pendet, non est pro eo quasi sit. Ius nouum nō patitur eundem in paganis testato & intestato decedere, earumq; rerum naturaliter in se pugna est, testatus & intestatus. Nemo plus commodi hæredi suo relinquit, quàm ipse habuit. Non debet quis melioris, nec deterioris conditionis esse, quàm author eius à quo in ipsum transijt, sed eiusdem. Nemo qui condemnare non potest, absoluerè potest. Nihil peti post ante id tempus, quo per rerū naturā solui possit. Nō solēt quæ abūdant vitare scripturas. Nō potest quisquā id capere, qđ ei necesse est alij restituere. Nō videtur ré amittere, cuius ppria nō fuit.

Non

Non videntur data, quæ eo tempore quo datur accipientis non fiunt. Quod euincitur in bonis non est. Eius est actionem denegare qui possit & dare. Omnis res per quasunque causas nascitur, per easdem dissoluitur. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo. Cum quid vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti. Is qui in ius succedit alterius, eo iure quo ille uti debebit. Potest quis per alium quod potest facere per seipsum. Qui facit per alium, perinde est atque si faciat per seipsum. Qui sentit onus, sentire debet & commodum, & contrà. Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit. Utile non debet per inutile vitari, cum alijs eiusdem exempli, quorum pleni sunt libri iuris ciuili. F. Bene habet. P. Pertinentque huc quæ de materia & forma causisque & effectis alijsque rebus physicis passim se offerunt. Circa quæ generalis regula est, iura constitui oportere ex his quæ ut plurimum & facile accidunt, non autem quæ ex inopinato, & perrarò. Nam ea quæ rarò accidunt, non temere in rebus agendis computantur. F. Recte. P. Ac debent quidem principia physica æstimari vel secundum naturam vniuersi, vel secundum naturam hominis, vel secundum naturam rei qua de agitur.

De principijs Logicis.

Tit. XIII.

F. Logica principia quæ vocas? P. Quæ à scientia veri ortus sui principatum ducunt, idque siue

siue animi sensa explicanda & verborum significationes enodandæ sunt, quod Grammaticæ est, & late patet per vniuersum ius: siue fusâ latius oratione affectus mouendi, quod Rethoricæ: Siue ratio & intelligentia informanda quod Dialecticæ. Atque ab his quidem disciplinis cū multa passim in iure ac legibus ducantur, tum & regulæ quædam manarunt, quæ sunt: In toto iure civili generi per speciem derogatur, & illud potissimum habetur quod ad speciem directum est. In alternatiuis sufficit alterum adimpleri. Pluralis locutio duorum numero est contenta. In generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus. Expressa nocent, non expressa non nocent. Ea est natura cauillationis quam Græci sophisma appellant, vt ab euidenter veris per breuissimas mutationes disputatio ad ea quæ euidenter falsa sunt deducatur. Semper generalibus specialia insunt. Vbi verba coniuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum. Exceptionem obijciens non videtur de intentione aduersarij confiteri. In alternatiuis debitoris est electio, & si quæ sunt alia de genere eodem, è medio iure civili. F. Optime. P. Ac pertinent quoque huc quæ de causæ, modi, & conditionis natura in oratione se offerunt. Ac est quidè causâ quæ quid ad agendum impulerit significat, modus qui finem ostendit ad quem tenditur, conditio quæ in certum aliquem euentum rem suspendit, siue ea à casu dependeat, siue in hominis sit potestate.

De

*De principijs Mathematicis.**Tit. XV.*

F. Principia Mathematica quæ dicis? P. Quæ arithmetiis, geometricis, astronomicis, & musicis præceptionibus continentur: quæ tū quidē ad substantiā rebus dandā pertinent, qd' monadis est: tum autē ad confusā distinguenda, qd' binarij numeri: tū vero ad inordinata in ordinem cogenda, quod ternarij: tum deniq; ad dissona consona reddenda, quod quaternarij: quibus quatuor omnia cōtinentur, per quæ ius suū cuiq; secundū numerū, pondus, & mēsurā, quorū etiā hinc origo est, tribuitur. F. Pulchrè. P. Ac hinc quidē hinc deductæ regulæ iuris, quæ dicunt: In toto & pars cōtinetur. Plus semper cōtinet, quod est minus: siue, In eo qd' plus sit, semper inest minus. Cui quod plus est licet, non debet quod minus est non licere: vnde cui damus actionē, eidē exceptionē cōpetere multo magis quis dixerit: cū similibus, quorū quantū ad iusti & iniusti rationem attinet, Iurisconsultus minime debet esse ignarus.

De principijs à generibus Iustitiæ ductis. Titul. XVI.

F. De principijs à generibus iustitiæ & alijs sequentibus, deinceps expecto vt dicas. P. Genera Iustitiæ sunt, vniuersalis iustitia, particularis, & media siue generalis. F. Quæ est vniuersalis? P. Quæ sola in sese virtutem continet omnem,
vt

vt habet vetus Orphei dictum ab Aristotele etiam proditum. F. Quæ particularis? Quæ quarta pars est virtutis. Nam cum Prudentia sapiat, Fortitudo dolores animi cohibeat, Temperantia voluptates corporis refrenet, Iustitia est, quæ res externas moderatur. Idcirco tum quidem secundum proportionem arithmeticam, æqualia æqualibus tribuendo, quod commutatiuæ Iustitiæ est, quæ circa rerum commercia & commutationes versatur: tum verò secundum proportionem Geometricam, inæqualia dando inæqualibus, quod distributiua, quæ in honorum & pœnarum distributionibus spectatur, vnde sæpe in re simili alia pœna honestis & liberis, alia humilibus & seruis irrogatur. F. Quæ media? P. Quæ altera pars est virtutis, sic vt cum prudentiæ nomine omnes virtutes comprehendantur, quæ in ratiocinatrice animi parte versantur, Iustitiæ nomine illæ veniant, quæ in appetitrice parte insunt. Vnde philosophia amor boni dicitur, quod Iustitiæ est: & scientia veri, quod prudentiæ.

De principijs à partibus Iustitiæ.

Titul. XVII.

F. Partes Iustitiæ quænam autem sunt? P. virtutes theologicæ, morales, & ciuiles, quæ quidem licet per se à Iustitia sint diuersæ, sub ea tamen comprehenduntur, vt caput, manus, pedes sub corpore. F. Quæ sunt virtutes theologicæ? P. Fides, quæ in intelligentia fedem

dem habet, spes quæ in memoria, charitas quæ in voluntate. F. Quæ morales? P. Prudentia in ratione, Fortitudo in parte irascibili, Téperantia in concupiscibili. F. Quæ ciuiles? P. Legislatio, quæ verbi est: iudicium, quod facti: & iustitia minor, quæ animi, & secundum legem per iudicium exercetur. F. Bene habet. P. Atque his quidem omnibus iustitia vniuersalis præfidēs, quam omnium virtutum chorum continere diximus, tum quidem singulas ternas sub se cōprehendit, secundum quaternarium numerum: tum autem cunctas simul nouem inter se colligatas & implicatas secundum denarium. F. Scite. P. Planè præter has partes iustitiæ heterogenias, sunt aliæ homogeniæ, quæ natura cum iustitia eadem non nisi nomine secundum diuersas eius functiones ab ea differunt, vt sanctitas erga Deum, pietas erga parentes, gratitudo erga bene merentes, liberalitas erga egenos, obedientia erga maiores, comitas erga minores, amicitia erga æquales, humilitas erga omnes, veritas in dictis, constantia in factis, fides in vtrisque, pœnitentia vt à malo recedatur, beneficentia vt bonum exerceatur, vindicta vt ob bonum malū puniatur, & alia eiusmodi quæ hinc deducuntur.

*De principijs à gradibus Iustitiæ.
Titul. XVIII.*

F. Gradus Iustitiæ quot & quinam sunt? P. Tres. Infimus, cum metu pœnæ quid sit, qui vel seruilis est, de quo dicitur: qui ex timore facit præce-

præceptum aliter quàm debeat facit, & ideo iã non facit: vel filialis (quem vocant) de quo dicitur, principium sapientiæ timor Domini: vel mixtus ex seruili & filiali. Medius cum spe præmij, quæ vel mercenaria est, vel liberalis, vel mixta. Et summus cum desiderio ipsius veri & recti, quod quidem vel in dilectione iusti consistit qui primus est motus: vel in amore pulchri, qui superior concitator: vel in charitate siue eudocia boni, quæ plena est, & summa, absolutaque perfectio, in qua tandem acquiescitur. F. Præclarè. P. Ac differunt quidem iustum, pulchrũ, & bonum hoc loco: quod iustum est, veluti cũ vestis habilis & ad corpus apta est: pulchrum, cùm eadem ornata: bonum, cùm ad corpus tuendum idonea. Vnde dicimus, non omne quod licet, nempe iustum siue non iniustum est, honestum esse, quod ad pulchrum pertinet: aut expedire, quod ad bonum. Differuntq; haud parum, secundum iustine gradum quid fiat, quod necessitatis est: an pulchri, quod honestatis, & æquitatis: an boni, quod perfectionis. Et verò qui metu pœnæ quid faciunt, sub lege viuere dicuntur, quod imperfectiorũ est: qui spe præmij, in lege, quod mediocrium: qui desiderio ipsius veri & recti, supra legem, quod perfectiorum. Quo quidem modo accipiendũ est, quod princeps legibus solutum se esse ait: nam bonis non est posita lex, sed legibus tamẽ viuere: quoniam perfecti non propter legem, sed ob rem ipsam quod legis est faciunt. F. Pulchrè. P. Porro pertinet huc quoque, quod iustitia alia solida & expressa est, quæ ex diuinis principijs fer-

T tur:

tur: alia effigies eius & simulachrum, quæ ex naturalibus: alia umbra & imago, quæ ex humanis: Vnde virtutes omnes tum quidem civiles dicuntur, quæ infimi sunt ordinis: tum autem purgatoriarum, quæ mediæ: tum verò purgati animi, quæ supremæ: ultra quas exemplares, quæ dicuntur, in solo Deo reperiuntur.

De principijs à formis Iustitiæ.

Tit. XIX.

F. Quid iam? Formæ autem iustitiæ quænam sunt? P. Recta iustitia, restricta, & moderata. F. Quæ est recta? P. Cùm voluntas nulla re incitata, ad id recta via fertur, quod recta ratio dicitur, cui totam se accommodat, vnde ius rectum existit. F. Restricta autem? P. Cùm voluntas odio mali accensa, quàm strictissimè quoad eius per rationem fieri potest, (nam alioqui iustitia non esset) rem tractat: vnde ius durum, summum, scrupulosum, strictum oritur, quod ad viuum omnia refecat. F. Moderata vero? P. Cùm voluntas amore boni inflammata, quàm moderatissimè quatenus ratio patitur rem accipit, vnde ius benignum, humanum, æquum, bonum, simplex, item gratia, clementia, misericordia existit, cùm solutius ac pinguius, & de plano quod dicitur res spectatur. F. Optimè sane. P. Planè omnium autem trium meminerunt Constantius & Licinius Imperatores, cùm dicunt: Placuit in omnibus rebus, præcipuam esse iustitiæ æquitatisque, quàm stricti iuris rationem, & Martianus Iurisconsultus: **Perspi-**

Perspiciendum est inquit, iudicanti, ne quid aut remissius constituatur, aut durius quàm causa deposcit: nec enim aut seueritatis, aut clementiæ gloria affectanda est, sed perpenso iudicio prout quæq; res postulat statuendum. Planè in leuioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse debent, in grauioribus seueritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. Denique Iustinianus simplicitatem magis quàm difficultatem in legibus sibi placere ait: & Paulus in pœnalibus causis benigniùs interpretandum esse, & in omnibus quidem, maximè tamen in iure, æquitatè spectandam esse, cuius nomen latissimè manare Cicero scribit. F. Ita memini. P. Quàm autem forma, quæq; in re potissimum vtendum sit, ex rationibus ordinarijs, extraordinarijs, singularibus, item internis, externis, medijs, ad hæc naturalibus, ciuilibus, mixtis, secundum varias causarum figuras statui debet: quod & circa genera partesq; & gradus, eodem modo est accipiendum.

De principijs à vi & effectu Iustitiæ.

Tit. XX.

F. Nunc vis & effectus Iustitiæ quinam sunt? P. Primùm concordia, ob bonam voluntatem, quæ in ea inest: & pax, quia ius suum cuique tribuit. Quod ostendit Dauid,

T 2 cum

cum ait: Iustitia & pax osculatæ sunt. Suscipient montes pacem, & colles iustitiam. Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis. Deinde ex pace & concordia rerum omnium copia & abundantia cum gloria & honore coniuncta, quod & ipsum demonstrat David, cum dicit: fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te. Gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in seculum seculi. Tum ex gloria & diuitijs (dummodo non vulgariter sed verè accipiuntur) ipsa summa felicitas ac beatitudo, de qua Dominus in Euangelio: Beati inquit qui esuriunt & sitiunt iustitiã, quoniam ipsi saturabuntur. Et David: Iustus vt palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur. F. Optimè P. Quænam autem ab his effectibus iuris & legum principia ducantur, per se nisi fallor perspicitur: quoniam quæcunque iure ac legibus in republica constituuntur, ad hæc ferè referuntur, nempe vt quæ ad vitam tuendam pertinent ciuitas habeat, quod copiarum & abundantiarum est: vt libera sit, quod gloriarum & honoris: vt sibi amica, quod pacis & concordiarum: quibus tribus summa eius beatitudo ac felicitas, vt antè tactum est, continetur, dummodo non seorsim per se (in quo grauitè ferè errari solet) sed tanquam cum iustitia coniuncta, & ab ea manantia spectentur.

De

*De principijs ab iniustitia.**Titul. XXI.*

F. Sequitur de iniustitia vt reddas. P. Iniustitiam vocamus, quæ vaga & incerta, iustitiæ per omnia genera sua, partes, gradus, & formas, est contraria: partim priuatine, veluti cum voluntate constanti & perpetua ius suum cuiq; tribuendi quis caret: partim positiue, cum peruersam habet voluntatem cum peruersa potentia, vnde vis existit: & scientia, vnde dolus, (inter quæ culpa media est) coniuncta ius suum cuiq; auferendi, vel nemini tribuendi, vel iniuriam vniciq; inferendi: omnia enim eodem redeunt: partim simulate, cum sub vmbra specieq; iustitiæ, iniustitiam, quæ imitatrix iustitiæ est, quis exercet, vnde hypocritæ, sycophantæ, & alij id genus existunt. Estq; totius iniustitiæ nulla capitalior, quàm eorum, qui tum cum maxime fallunt, id agunt, vt viri boni esse videantur. Ac cum ex priuatiuis ea proprie nascantur, quæ nõ iusta dicuntur, & ex positiuis ea quæ iniusta, facit hypocrisis, vt ea quæ reuera iusta sunt, non iusta fiant: & quæ reuera sunt iniusta, iusta videantur. F. Intelligo. P. Quæ autem hinc ducuntur principia, sunt: primum vt malum & iniustum quoad eius fieri potest fugiamus, proq; nullis & perperam factis pœnaq; dignis ea quæ inde procedunt, ducamus: vnde dicitur, Neminem ex suo delicto meliorem suam conditionem facere posse: &, Quod latèter aut per vim vel alias illicitè introductum est, nulla debet

stabilitate subsistere : item, Desleat peccator, quia offendens in vno factus est omnium reus. Deindè si ob naturæ corruptæ imbecillitatem id subinde fieri nequit, toleremus, & minima de malis eligamus : tum vt ne noceat, cautionem contra malum adhibeamus, qua ratione plus cautionis in rem esse dicimus, quàm in personam: & satius esse pignori incumbere, quàm in personam agere: minusq; esse, actionem habere quàm rem: cū similibus, quæ principia cautionalia non malè quis vocauerit. F. Ita videtur. P. Nam cum alia sint, quæ rei qua de agitur nature seruiunt, alia quæ ad bonum aliquod adsciscendum pertinent, hæc in cautione contra malum consistunt.

De principijs medijs inter iustitiam & iniustitiam.
Titul. XXII.

F. De medijs inter iustitiam & iniustitiã nũc pergito tradere. P. Hæc sunt, quæ ex vtriusq; quodammodò miscètur & existunt. Ac sunt quidè fauor, qui à bono existit, vnde libertas omnibus rebus fauorabilior dicitur, & fauorabiliores rei quàm actores: odium, quod à malo, vnde odia restringi, fauores autem ampliari iubètur, diuoriorq; habetur in lucro petendo causâ petitoris, quàm eius à quo petitur: & mixtū, quod in tribus spectatur. F. Quibus autem illis? P. Vnum est vrgens necessitas, & econtra, de qua dicitur multa in lege non esse licita, quæ necessi-

tas facit licita, Alterum euidens vtilitas, & quod ei est contrarium inutile, nullum frustraneum, siue generalis illa sit, siue specialis eius quo de agitur, ob quam & ipsam multa fieri constat, vt passim iure ciuili proditur: nam quod pupillus sibi stipulari potest, non naturali ratione, quoniam intellectum non habet, sed ob vtilitatem receptum est. Tertium, publica honestas siue decencia, cuius contraria sunt, indecentia, absurdum, ridiculum, inhumanū, & quod contra bonos est mores, de qua re dicitur: Semper in coniunctionibus non id modò spectandū esse, quod licitum est, sed & id quod honestū. Absurdum esse, plus iuris habere cum cui fundus legatus sit, quàm hæredem, aut ipsum testatorē si viueret. Non esse obligatorium, contra bonos mores præstitum iuramentum: cum similibus. F. Probè sanè. P. Et quidem vti ea que necessaria, vtilia, decencia sunt appetimus, ita eorum contraria fugimus, & ab ijs quantum fieri potest nobis cauemus. F. Sic est. P. Ac cum principia iusti & iniusti in rebus ipsis insint, hæc media foris quodam modò accedunt, vnde & externa non malè vocantur, sitq; haud parum sæpe, vt non tam quid optimum sit, quidve iustum vel iniustum, quàm quid fauorabile, quid odiosum, quid necessarium, quid vtile, quid decens sit, videndum. Nam quanquam quidem ea iustum ipsum & iniustum nunquam superent (id enim minimè ferendum est, nec oportet res à natura copulatas errore diuellere) frequenter tamen comiter ad se trahunt & alliciunt, cùm non repugnante iu-

stitia in rationem necessitatis, aut utilitatis, vel aliorum res cadit, vt apud iuris authores sæpe videre licet. Vnde aliud strictam iuris rationē, hoc est internam: aliud utilitatem, hoc est externam, frequenter suadere, & strictam rationē ad se trahere videmus. Quamquam communiter vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. F. Verūm. P. Planè præter ista sunt alia quædam media inter iustitiam & iniustitiam, quæ non quidem ex vtrisque miscentur, sed neutrius omnino sunt principia. Hæc autem sunt quæ indifferentia vocantur, circa quæ nulla alia versantur principia, quam quoddam affectio & voluntas legislatoris pro ratione & lege in illis habetur, dum penitus non refert, quid nā statuatur, quod perrarè accidit.

De principijs formalibus à iustitia manantibus.

Tit. XXIII.

F. Dehinc principia formalia à iustitia profluentia quæ vocas? P. Quæ circa formam legis versantur, ad id quod iustum est certa ratione ac via, vt antè tactum est, in rem publicam inducendum. Nam quemadmodum in arte medica minimè sufficit medicamentum bonum esse, nisi ita præparatum sit, vt ab ægro non illibenter recipiatur: ita & in republica haud satis est, leges iustas esse, nisi & ea forma sint descriptæ, vt à populo recipiantur. F. Reuera dicis. P. Profluunt autem hæc principia tum quidem à prima

ma parte definitionis Iustitiæ, quæ in bona voluntate cum scientia & potentia coniuncta consistit: tum autem à secunda, quæ in tribuendo suum cuiq;: tum verò ab vtraq; , per quæ superiora mandantur executioni. F. Quæ sunt primi generis? P. Disciplina, doctrina, & vsus, siue exercitatio. Ac est quidem disciplina, quæ circa appetitricem animi partem versans, voluntatem bonam in hominem & rempublicam, per præmia & pœnas, tam post mortem quàm in vita, sua autoritate inducit. Doctrina, quæ falsa refellendo, & vera asserendo, ratiocinatricem animi partem vera rectaq; scientia sua institutione imbuat. Vsus & exercitatio, quæ à malis abducendo, & bonis assuefaciendo, memoriæ & omnes vitæ actiones informat. F. Quæ secūdi? P. Distinctio, ordo, & harmonia, per quæ tum quidem ius suum cuiq; tribuitur, tum autem ad iustitiam suscipiendam respublica præparatur. Ac est quidem distinctio, quæ confusa separando vnum ab alio segregat, suisq; partibus, membris ac limitibus describit. Ordo, qui inordinata in ordinem cogendo certa serie omnia digerit, & suis gradibus disponit. Harmonia quæ dissidentia in certam consonantiam & concordiam redigendo, omnia conciliat, & quasi inter se colligat. F. Quæ tertij? P. Hæc alia maiora sunt, alia media, alia minima. Maiora sunt, magistratus, leges, & iudicia, per quæ magistratus leges ad effectum deducunt, ad disciplinam, doctrinam, & exercitationem iustitiæ in republica constituendam, eamq; distinguendam, ordinandam, & colligandam. Media,

T 5 conueni

conuentus hominum, ritus, & cerimoniarum, & oratio scripturarum verborum solennium, & aliorum, quibus ad magistratus, leges & iudicia constituenda, exercenda, & mutanda est opus. Minima, pictura, cantus, chorea siue ludus, quæ cum superioribus coniuncta iisque subseruientia, tum quidem per oculos virtutem in hominem inducunt, tum autem per aures, tum verò per totum corpus, dum nihil tam facile in animos teneros atque molles influit, quam pictura & ludus, & varij canendi soni, sic ut à republica abesse nulla ratione possint, vnde parua magna à veteribus sapientibus vocantur. Quæ quidem vti superstitione vacare debent, ne pluris fiant quàm quorum causa parantur, ita & inuiolata esse oportet: nam quæ admodum circulis solutis mox & vas dissoluitur, & vinum quod in eo inerat diffunditur: sic & minimis istis perruptis continuo & media laxantur, & maiora diffuunt. Vnde cantibus Musicorum mutatis, mutari ciuitatum status Plato ait. F. Ita res est. P. Vfus autem horum principiorum est, ut prout quæque res est qua agitur, vel persona aut populus cum quo agitur, ita hæc vel illæ formæ, secundum differentiam circumstantiarum, illis adhibeantur, ad iustitiam tanto facilius inducendam: nam non easdem omnibus rebus ac personis cõuenire, suis credo sensibus quisque percipit. Ac de principijs quæ à iustitia trahuntur diximus.

De

*De lege & principijs in-
de manantibus.*

Tit. xxiiij.

F. Ergo quantum ad legem & principia inde manantia attinet quid habes dicere? P. Lex est summa ratio, iubens ea quæ facienda sunt, & prohibens contraria, ad iustitiam in hominem & rempublicam inducendam. F. Cur dicis summa ratio? P. Quoniam quemadmodum respublica in eo quod est substantiam suam habet, Iustitia autem in voluntate, ita substantia legis in ratione consistit, unde lex & ratio inter se conuerti vulgo dicuntur. F. Cur addis, iubens ea quæ facienda sunt, & prohibens contraria? P. Ut vim eius propriam & officium ostendā, quod in iubendo vetandoque cernitur, ut post latius demonstrabitur. F. Cur denique subijcis, ad iustitiam in hominem & rempublicam inducendam? P. Ut finem legis declarem, qui est, ut iustitia in hominem & rempublicam inducatur, ad quam rem ipsa tanquam medium quoddam instrumentum est, per quod iustitia quæ pro forma est, in rempublicam quæ pro materia subiecta infunditur: conueniuntque cum hac definitione, quæ ex Chrysippo, Demosthene, & Papiniano, de legis descriptione traduntur, de quibus non est hic dicendi locus. F. Quid? principia quæ à lege proficiscuntur, quænam sunt? P. Alia formalia, alia substantialia. F. Quæ sunt formalia? P. Ea ipsa quæ iam descripsimus, quæ diuer-

diuerforum respectu, tum quidem ad iustitiã, tum autem ad legem referri possunt. F. Quæ substantialia? P. Quod lex aliæ primæ naturæ est bonæ, aliæ secūdæ malæ, aliæ tertiæ mixtæ. Quæ rursus tum quidem lex naturæ corruptæ est, in qua plus imperfecti, quàm perfecti inest: tum autem Mosaica, in qua secundum literam & communem interpretationem (nam de spiritu & perfecta interpretatione alia res est) æquæ quodammodo vtriusque sunt partes: tum verò gratiæ, vbi plus perfecti est quàm imperfecti: inò verò ipsa per se tota plena & perfecta, omnibusq; partibus absoluta est. Sed quoniam qui sub ea viuunt homines, aliquid semper mali in membris suis circumferunt, quamdiu in hac vita degunt, fit, vt cum ipsum rectum perfectumque semper obtineri non possit, mediocritate officiorum in quibusdam contenti esse cogamur. Dicendum autem est de principijs, quæ à singulis proficiscuntur.

*De principijs legis primæ
naturæ bonæ.*

Tit. xxv.

F. Legem primæ naturæ bonæ quam vocas?
P. Legem illam Dei principem & vltimam, sub qua homo initio in paradyso degebat, cuius no-
uem sunt principia sub denario comprehensa.
F. Quænam autem illa? P. Vnum, vt Deum qui
supra est super omnia amemus, à quo reliqua
cuncta dependent: alterum, vt animãtibus que
infra

infra sunt moderatè imperemus: & tertium, vt nos ipsos, familiam, & reliquos mortales ita vt oportet complectamur, humanæq; societati feruiamus. Ex quibus primū de amore nostri quatuor præcepta habet, duo diuina siue iurisgentium primarij, quod cum cœlestibus nobis est commune, vt nos propter Deum & proximū sicut nos ipsos diligamus: & duo naturalia, quæ cum beluis homini sunt communia, vt nos vitamq; tueamur, & genus propagemus: secundū de familia, duo, ab homine constituta, prius ex igniculis diuinis, vt cum vxore perpetuam & indiuiduam vitæ consuetudinem habeamus: & posterius ex naturalibus, vt liberis procreandis & educandis, & in locum nostrum substituendis operam demus: & tertium de reliquis mortalibus, vnum, nempe vt communem hominū societatem conuictumq; quo omnes inter se naturali quadam indulgentia & beneuolentia iurisq; societate continentur, diligenter colamus.

F. Præclarè. P. Atque ab his quidem nouè principijs omnia omnino iura legesq; quæ ad vitam & mores pertinent, præcipuè ducuntur. Estq; hæc lex illa naturalis, non quæ cum animantibus nobis est communis, sed quæ hominis est propria, quam iurisgentium primarij, quod ante peccatum à Deo, natura, & homine in paradiso constitutum est, appellat.

De

De principijs legis secundæ naturæ malæ.

Tit. xxvj.

F. Legem secundæ naturæ malæ quam dicist
 P. Legem Diaboli, cōtrariam legi Dei. Cui quidem cum suasu serpentis homo se subijceret, eueniebat, vt Dei amorem omittens, & animantibus malè vtens, & se magis quàm oportet cōplectens (vnde & societatis cōiugalis, & totius cōmunionis humanæ disruptio existeret) totā legē Dei peruerteret, eiusq; capita omnia violaret. Ex quibus quædā ita penitus in omni sensu implicata insident, vt euelli nulla ratione possint, sed tolerari, & conuiuentibus oculis dissimulari nonnunquam debeant.

De principijs legis naturæ corruptæ. Tit. xxvij.

F. Lex naturæ corruptæ quænam est? P. Que post peccatum, postquam è paradyso eiectus homo esset, orta est, & per quā ex agresti immaniq; vita, excultus aliquo modo ad humanitatem, & mitigatus est. Etenim hoc tēpore homines varias artes ad vitæ cōmoditates & vsus necessarias exercere, familias iungere, & respublicas moliri cœperunt, ad quas cōtinēdas leges cōstituebant, partim à prima natura bona deductas, vt etgā Deū religio, & vt parentibus & patriæ pareamus: partim à secunda malæ, vt vim vi repellere,

Iere, frangēti fidē, fidē nō seruare: partim medias, quæ ad vitæ necessitates commoditatesq̃ pertinent, vt distinctiones dominiorū, cōmercia, iudicia, & alia eiusmodi. Quæ quidē homo tanquā minor quidam Deus, ex igniculis diuinitūs inſitis ē natura arripuit, & in republica collocauit, sic vt parua quēdā natura in maiore cōstituta eſſe videatur, vt ſub titulo Codicis de rei vxoriz actione, & natura dotibus data, videre licet. Eſtq̃ frequentiffimum, vt quibuſdam ab homine poſitis ac conſtitutis, mox natura intret, ad ea dirigenda.

De principijs legis Moſaica.

Tit. xxviij.

F. Moſaica autem lex quænam eſt? P. Quam poſt legem naturæ corruptæ per Moſem Deus generi humano, & præcipuè genti Iudaicæ, contulit. Et quidem conſtat partim lege ceremoniali, circa reſ diuinas: partim iudiciali, circa humanas: partim morali, circa vtraſque, cuius decem ſunt præcepta. Ex quibus quinque priora ad verum Deum, reiectis falſis, cogitato, dicto, facto colendum, eiſque vicarios parentes honorandos pertinent: poſteriora autem ad proximum, neque facto (ſiue ipſum ſpectes, ſiue vxorem, ſiue reſ eiſ) neque dicto neque cogitato lædendum.

De

*De principijs legis gratia.**Tit. xxix.*

F. Legem denique gratiæ quam appellas? P. Quam plenam, & in se perfectam, & ad summū perductā, Dominus noster Iesus Christus Dei filius, in hunc mundum iutulit, à qua reliquæ duæ omnino dependere, & perfectionem suā, (quatenus fragilitas humana patitur, cui sæpe indulgendum esse diximus, ne si nimium emungas sanguinem elicias) accipere debent, sic ut caput & princeps sit omnium, cuius fermento reliqua cuncta fermentantur. F. Optimè profecto. P. Quæ autem in ea traduntur sunt, regnum Dei iustitia eius, & sacramēta, media inter vtrumq; interiecta. F. De regno Dei quid ais? P. Eius caput est ipse Christus verus Rex, sacerdos, & Propheta, cuius vicarius est Pontifex maximus Romanus, successor Petri principis Apostolorum: corpus autem Ecclesia suis partibus ac membris descripta, nerui verò sacrosancti ritus & cerimoniarum, quæ personarum, locorum, temporum, rerum descriptione continentur. F. De iustitia eius autem? P. Illa tū quidem fide constat, cuius duodecim sunt articuli, symbolo apostolico prodiiti: tum autem spe, cuius sex sunt capita oratione dominica comprehensa: tum tum verò charitate, cuius novē sunt mandata, tria nempe præcepta necessaria ad salutem, amoris Dei, sui, & proximi: tria consilia laudabilia ad perfectionem, voluntarię paupertatis, castitatis, & obedientiæ: & tria opera

opera pia vtrisque congruentia, oratio mentis ad Deum, ieiunium quod corporis est erga seipsum, & elemosyna, quæ bonorum externorum erga proximum. In quibus omnibus diuina quædam vis inest ad superiora in hominem inducenda. F. De sacramentis verò? P. Ea sunt quibus regnum Dei & iustitia eius admirabili & penitus recondita quadam ratione inter se continentur. Et quidem cum septem sint numero, duo ex ijs ad totam Ecclesiam pertinent, Ordo nempe, ad eam regendam & moderandam: & Matrimonium, ad eam sancta prole augendam: quinque autem ad singulos homines, nempe Baptismus, ad renascendum in Christo: Confirmatio, ad adulescendum: Eucharistia, ad viuendum: Pœnitentia, ad se reficiendum: & Extrema vnctio, ad piè moriendum. F. Præclare. P. Atque ad hæc quidem principia legis gratiæ pertinent, quæcunque Euangelicis, apostolicis, & sanctorum pontificum, conciliorumq̃, & patrum scriptis inde deductis, nec non pijs ecclesiæ traditionibus per manus acceptis continentur. Hactenus de principijs naturalibus.

De principijs civilibus.

Tit. xxx.

F. Ad ciuilia igitur principia nunc transito.
 P. Hæc sunt quæ ingenio humano constituta, cuiusque propria sunt ciuitatis, cuius respectu sæpe alia omnia, quæ iuris gentium primarij, & secundarij sunt, vel cum beluis nobis commu-

V nia,

ria, naturalia dicuntur. F. Rectè. P. Quæ autem hac in re spectantur, sunt præterita, futura, præsentia. F. Quomodo præterita? P. Veluti cum in memoriam alicuius rei gestæ in ciuitate quid constituitur, vt Pascha apud Iudæos, quod inter cætera in memoriam exitus de Ægypto fuit introductum. F. Futura autem? P. Veluti quod apud eosdem Iudæos multa in signum venturi Christi, lege erant constituta. F. Præsentia denique? P. Cùm ad formam reipublicæ leges accommodantur, partim eius conseruandæ causâ, vnde leges monarchicæ, aristocraticæ, & democraticæ apud Aristotelem dicuntur, quoniâ ad formas illas conseruandas pertinēt: partim vt vna consentanea sint cum alijs, qua ratione qui nūcupatio testamento testes adhibentur, numero sunt quinque, quoniam quinque veteres tribus populi Romani, coram quo testamenta nuncupari solebant, & in cuius locum testes succedere, repræsentât: partim quia sic hominibus, rebus, moribus aut alijs circumstantijs ciuitatis speciatim videtur conuenire.

De principijs mixtis ex naturalibus & civilibus.

Tit. xxxj.

F. Principia mixta ex naturalibus & civilibus quæ nâ sunt? P. Quæ iuris gentiû secundarij dicuntur, vnde distinctiones dominiorum, rerû cõmercia, testamenta, & alia eiusmodi sunt profecta, quæ post peccatum extitero. F. Audio. P.

Ac

Ac habent quidem hoc commune cū naturalibus, quod per totū genus humanum sunt diffusa, & quasi in natura (quatenus corrupta est) insita, vnde & naturalia sæpe vocantur. Veluti quæcum natura debere dicimus, quæ iure gentium dare oportet. F. *Intelligo.* P. Cum ciuilibus autem, quod non nobiscū nata, sed ingenio & arte humana constituta sunt. Qua quidem ratione ciuilia nonnunquā nominantur, cum nimirum generali nomine id naturale dicitur, quod à Deo & natura est insitū: id autem ciuile, quod arte humana è natura arreptum, vel hominum operis ad naturæ imitationem & exemplū effectum est. Quo posito, mox intrat ipsa natura, & rem ex arte constitutā dirigit. F. *Teneo.* P. Atque ab ista quidem iuris quæ à lege ducitur diuisione, aliæ duæ proficiscuntur diuisiones. F. *Quæ est vna?* P. Quæ ad originē pertinet, quo modo omne ius vel diuinum est, quod à principe Deo manat: vel naturale, quod ex mundo trahitur: vel humanum, quod ab homine proficiscitur, bono, ante peccatum: malo, in peccato: & mixto, post peccatum, secundum legem naturæ corruptæ, mosaicā, & gratiæ. F. *Quæ altera?* P. Quæ amplitudinem & complexum legis spectat: qua ratione omne ius, vel naturale est, quod omnibus animantibus conuenit: vel gentium, quod omnibus hominibus: vel ciuile, quod singulis ciuitatibus. Ex quibus naturale, ante peccatū est, ciuile post peccatum: & gētium, tum quidē ante peccatum, quod primariū dicitur: tum vero post, quod secundarium.

V 2 De

*De principijs externis.**Tit. xxxij.*

F. Quoniam de internis principijs dixisti, nunc de externis reddito. P. Externa principia sunt, quæ non in rebus ipsis insunt, sed foris, ut dictum est, adueniunt, & sunt vel propria vel impropria, vel mixta. F. Quæ sunt propria? P. Quæ re ipsa extrinsecus hauriuntur: siue diuina, veluti si Deus viuz vocis oraculo quid præcipiat, cui omnino parendum est, etiam si ratio ignoretur: siue naturalia, si astrorum cõuersio, vel cœli marisve tempestas, quam vim maiorẽ Iurisconsulti vocant, ipsaq; necessitas quid exigat, cui resisti non potest: siue humana, si legislatoris vel populi affectio aliquo inclinēt: nam etiam error consuetudine approbatus facit ius, & ut lex valet, licet in alijs similibus non obtineat. F. Quæ impropria? P. Quæ non tam per se externa sunt, quàm à Iurisconsulto foris assumuntur: veluti cum aliena opera utitur, medicorum fortasse, mensorum, obstetricum, aut sententijs alienis, ut Homeri, Hypocrates, Demosthenis, Platonis, Aristotelis, & aliorum philosophorum: aut opera pariter & sententijs, veluti veterum legislatorum, Iurisconsultorum, magistratum, rerum iudicatarum, morum, consuetudinum, & similibum, quæ ex antiquitatis, & alijs iuris monumentis repetuntur. Nam sæpe vnam legem ad exemplum alterius constitui, aliasq; ex alijs duci constat. F. Quæ mixta? P. Quæ utroq; fere modo se habent, Et quidem sunt

sunt primùm probationes per testes, instrumēta, & mixta: Deinde coniecturæ ex indicatijs, antecedentibus, sequentibus, coniunctis. Tum præsumptiones ex ijs, quæ natura vt plurimū extrinsecus adesse, abesse, vel accidere solent: vel sine quibus res esse non potest. Vnde cūm tempus in testamento adijcitur, credendū est pro hærede adiectum: sicut in stipulatione pro promissore: & qui contra iura mercatur, bonā fidem non præsumitur habere: semelq; malus, semper præsumitur malus: cum similibus. F. R. e. cte. P. Tam probationes autem & coniecturæ, quàm præsumptiones aliæ alijs sunt vehementiores: & cūm probationes per testes & instrumenta sine arte sint, vt plerāq; alia sunt principia externa, quæ atechna dicuntur, per coniecturas autē artificiosæ, quæ entechna, præsumptiones mediam quodammodo rationem tenent. F. Probē. P. Ac cum reliqua principia plerāq; omnia iuris sint, ad iustum, æquum, & bonum quærendum, hæc tria propriè sunt facti, ad id quod dictum, cogitatum, factum est, indagandum: Seruaturq; ferè hic ordo, vt coniecturam præsumptio, præsumptionem probatio superet, licet contrà subindè accidat.

*De principijs medijs inter
interna & externa.*

Tit. xxxij.

F. Principia media inter interna & externa, quænam vocas? P. Quæ in circumstantijs rerum

consistunt, quæ numero sunt septem, ad quas reliquæ reuocantur, locus, tēpus, persona, quantitas, qualitas, causa, euentus. F. Ita memini me olim accepisse. P. Harū primo vis & effectus est, vt propensio rem faciant: nā armatam vim inferre grauius est, sine armis leuius: deinde vt rem de vno genere transferant in aliud: nam rem prophanam inuito domino contrectare, furtum est: sacram sacrōve cōmendatam, sacrilegium. Tum vt rem de bona malā, & econtra de mala bonam faciant: nam elemosyna per se bona, mala fit, si gloriæ captandæ causa fiat: homicidium per se malum, bonum, si ob iustitiæ vindictam. F. Sic planè videtur. P. Atq; huc quidem pertinet, quod Claudius Saturninus Iurisconsultus septem modis res considerādas esse ait: Causa, vt in verberibus, quæ impunita sunt, à magistro illata vel parente: puniuntur, cū quis per iram ab extraneo pulsatus est: Persona, nam aliter puniuntur ex iisdem facinoribus serui, aliter liberi: Loco, quia is facit, vt idem vel furtum fit, vel sacrilegium: Tempore, quo discernitur emanator à fugituo: Qualitate, qua factum vel atrocius est, vt grassatura latronum: vel leuius, vt rixa: Quantitate, quæ discernit furem, qui vnū forte suum surripuerit, ab abigeo qui gregem: Euentu, quo fit, vt in non atrocibus aliter conatus, aliter factum ipsum puniatur. Ac de ordinarijs principijs dictum est.

De

*De principijs extraordinarijs.**Tit. xxxiiij.*

F. Igitur de extraordinarijs principijs nunc sequitur vt exponas. P. Hæc sunt, quæ circa res versantur extraordinarias, quæ in certam iuris rationem non cadunt, quod tum quidem ob magnitudinem earum fit, tum autem ob exiguitatem, tum verò ob qualitatem. F. Quomodo ob magnitudinem? P. Si maior, nobilior, diuiniore res est, quàm vt ordinaria iuris ac iudiciorum via tractari debeat. Qua ratione Vlpianus negat, iuris ciuilis professoribus ius dicendum esse: nam cum sanctissima res sit ciuilis sapientia, non est prætio nummario æstimanda, nec dehonestanda, dum in iudicio honor petitur, qui in ingressu sacramenti offerri debuit: quædam enim tametsi honestè accipiuntur, inhonestè tamen petuntur. F. Ob exiguitatem autem? P. Si res minor, vilior, indignior est, quàm vt sacrosancta iustitia ei debeat accommodari, vnde de minimis prætorem non curare dicimus: veluti si intra duos menses quis venire iussus, sexagesimo primo die veniat: de alea & alex lusu ius non reddi. F. Ob qualitatem verò? P. Si res vel indifferens fit, sic vt nihil referat, in vtram partem propensiores simus: vel obscura & intricata, ita vt exitum non habeat: vel dubia & anceps, sic vt ambiguitate distractus animus, nesciat quid potissimum (ac maximè quidem si festinatione fortasse est opus) sit amplectendum. Ad quas quidem res

V 4 omnes

omnes explicandas, tres sunt viæ extraordinaria, Diuina, humana, mixta. F. Quæ est diuina? P. Cùm in re magna, & obscura, & perplexa ad sacrum oraculum itur, vt apud Moysen præcipitur, & apud Platonem in libris de legibus traditur. F. Quæ humana? P. Cùm vel extraordinario iudicio succurritur, aut ad iudices, arbitros transactoresq; res reijcitur, vel ex affectione latoris lex ponitur, vel medio quodam modo rei exitus inuenitur: siue totum reijciendo, vel ad tempus differendo, siue totum dando, siue per medium secando, siue quod minus, benignius, aptius, verisimilius est eligendo. Vnde proficiscitur, quòd cum in iudicijs familiaræ herciscundæ, communi diuidundo, & finium regundorum, res commodè diuidi non potest, adiudicatione vtimur, cum certæ quantitatis pecuniariae condemnatione. F. Quæ mixta? P. Cùm in re incerta ad iusiurandum, sortem, purgationem canonicam, certamen singulare, bellum, & alia eiusmodi peruenitur. Cuius generis poculum Zelotipix est apud Moysen, & factum Salomonis de puero, quo de agebatur in partes secando. F. Benè sanè. P. Atque ad has quidem vias extraordinarias pertinent regulæ iuris, quæ sequuntur: Capienda est occasio, quæ præbet benignius responsum. Quod factum est cùm in obscuro sit, ex affectione cuiusque capit interpretationem. Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerunque fieri consuevit. Ea quæ in partes diuidi non possunt, solida à singulis debentur. In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus iustius est quam

quàm vtilius. Quoties æquitatem desiderij naturalis ratio aut dubitatio iuris moratur, iustis decretis res temperanda est. In obscuris inspiciendum est, quod verius, melius, aut verifimilius est, aut quod plerunque fieri solet. Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum accipietur, quæ rei gerendæ aptior est. Quoties nihil sine captione inuestigari potest, eligendum est quod minimum habet iniquitatis. Semper in dubijs benigniora præferenda sunt. Semper in obscuris quod minimum est sequimur. Vbi repugnantia inter se reperiuntur in testamento, neutrum ratum est. Semper in stipulationibus id sequimur, quod actum est: si id non apparet, quod in regione frequentatur: si nec id, ad id quod minimum est redigenda summa est. Quoties dubia est interpretatio libertatis, secundum libertatem respondendum est. Quæ in testamento ita scripta sunt, vt intelligi non possint, perinde sunt ac si scripta non essent. Quæ dubitationis tollendæ causâ contractibus inseruntur, ius commune non lædunt. Cùm par delictum est duorum, semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris causa. In ambiguis orationibus, maximè spectanda est sententia eius qui eam protulit. In ambiguis, pro dotibus respondere melius est. In contrahenda venditione, ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est: ambigua autem intentio ita accipièda est, vt res salua actori sit. In obscura voluntate manumittentis, fauendum est libertati. In pari causâ possessor potior haberi debet. In testamentis pleniùs testantium

voluntates interpretamur. Cùm de lucro duorum queritur, melior est causa possidentis. In re obscura melius est faueri repetitioni, quàm aduentitio lucro. Ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretanda sunt. Contra eum qui legem potuit dicere apertius, est interpretatio facienda. Cùm sunt partium iura obscura, reo fauendū est potius quàm actori. In obscuris quod minimum est, sequendum est. In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis. In re communi potior est conditio prohibentis. In ambigua voce legis, ea potius accipiēda est significatio, quæ vitio caret, præsertim cum etiam voluntas legis ex hoc colligi possit.

De principijs singularibus.

Tit. xxxv.

F. Reliquum est, de principijs singularibus vt exponas. P. Hæc sunt, quæ non communi & generali, ordinaria vel extraordinaria, sed singulari ratione, quæ ex ordinaria & extraordinaria deducitur, constant, vnde ius singulare oritur. F. Audio. P. Quod quidem vel in præteritum est: veluti cum delicti venia datur, de qua re regula est, Peccatum non dimitti, nisi restituatur ablatum: peccatique veniam non dari, nisi correptis: Vel in futurum confertur, cum per dispensationem quam vocant legibus quis soluitur, eive quid indulgetur, aut quo modo parcitur: Vel in præsens

præfens, cum quibusdam derebus vel personis iura singularia siue priuilegia feruntur, quæ contra communem tenorem rationis propter aliquam vtilitatem, auctoritate constituentium introducuntur. Qua de re regulæ sunt: Decet concessum à principe beneficium esse mansurum. Indultum à iure beneficium non esse alicui auferendum, transmittique ad hæredem, siquidem causæ sit: si verò personæ, non transmitti. Quod ob gratiam alicuius conceditur, nõ esse in eius dispendium retorquendum. Cùm in præteritum quid indulgetur, in futurum vetatur: cùm similibus. Nam quanquam quidem secundum communem regulam iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur, subinde tamen expedit, vt ita fiat. F. Intellico. P. Planè. Horum autem principia partim diuina sunt: ve luti quod ob præsentiam numinis sacerdotes in templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt: partim naturalia à necessitate profecta, quo modo Dauid urgente fame panes propositionis comedebat: partim humana, quæ à rerum, personarum, & factorum qualitatibus ac circumstantijs proficiscuntur: qua ratione aliud est dolo occidere, quod capitale est: aliud fortuitu, quod impunitum: aliud calore iracundiz, siue repentino quodam quasi vento impetu animi, quod subinde veniam meretur. F. Rectè. P. Atque his quidem rebus fit, quod nulla constitui potest regula generalis siue definitio tã firma, quæ non vitietur ac subuerti possit, quantum ad res attinet: nec vllum describi ius generale tam certum & ratum, à quo nõ ali-

aliqua subinde irrogari debeāt priuilegia, quā-
tum ad personas. F. Probè. P. Quod tum quidē
ob præstantiam fit, vnde clericorum, militum,
& aliorum priuilegia originem trahunt : tum
autem ob imbecillitatem ex indulgentia, veluti
quod Paulus secundum indulgentiam, non
autem secundum imperium, quibusdam in re-
bus se procedere ait : & quod libellus repudiij
ob duritiam ceruicis concessus scribitur, cui
adde quod ferè in omnibus pœnalibus iudicijs
& ætati & imprudentiæ succurritur, & quod
errorius facere dicitur : tum verò ob vtrumq;
mixtum, veluti quod dicitur in Euangelio, mi-
sericordiam volo, & non sacrificium, nempe vt
dum maioribus rebus quis dat operam, à mino-
ribus tantisper excusetur, & interna externis
præferantur. F. Scitè. P. Manatq; ab his princi-
pijs singularibus, quòd quibusdam ob meritū
subinde indulgetur, quibusdam pœna irroga-
tur, quibusdam sine exēplo subuenitur, quod
personam non transgreditur : nam quod alicui
gratiòsè conceditur, inquit regula iuris, trahi
non debet ab alijs in exemplum : & quod contra
communem rationem iuris concessum est, non
est producendum ad consequentias : pertinet
que eodem regula iuris quæ dicit, Ad ea quæ nõ
habent atrocitatem facinoris vel sceleris, in his
ignoscitur seruis, si vel dominis, vel his, qui vice
dominorum sunt, obtemperauerint.

De

*De qualitatibus principiorum.**Tit. xxxvj.*

F. Quoniam quæ principia iusti & iniusti sine expositum est, & quomodo diuidantur, restat secundum propositum ordinem, ad rem hanc omnem cōcludendam, vt quænam eorum sine qualitates, exponas. P. Hæ autem partim primariæ sunt nouem numero, partim secundarię totidē, quæ omnes ante oculos ex ijs sunt, quæ iam dicta sunt, & ab ijs dependent. F. Quæ sunt primariæ? P. Primum, quod omnia principia vel diuina sunt, quæ à Deo eiusque diuino verbo proficiscuntur: vel humana, quæ ratione constant naturali, ex diuina ingenio humano deducta. Deinde, quod vel naturalia sunt, quæ à Deo & natura sunt profecta: vel ciuilia, quæ ingenio & arte humana continentur. Tum quod vel bona sunt naturæ perfectæ, & incorruptæ, vel mala naturæ corruptæ & peruersæ. Item, quod vel pulchra sunt honestatis, vel necessaria utilitatis. Ad hæc, quod vel moralia sunt, quod actionis est: vel naturalia, quod substantiæ. Præterea quod vel facti sunt, per quæ an aliquid sit indagatur: vel iuris, per quæ quale quid sit. Porro quod vel principalia sunt ad bonum ad sciendum, naturæque seruiendum, quæ fere affirmatiue rebus applicantur: vel cautionalia, ad malū & incommodū vitandū: quæ fere negatiue. Post, quod vel perfecta sunt, in quibus nulla mali labes inest: vel imperfecta, quæ semper aliquid mali secum trahunt. Et denique, quod

ea ipsa imperfecta, vel per se imperfecta sunt, quibus sua natura aliquid imperfectionis inest: vel ratione usus, quæ per se bona, usum suum inter homines ex imperfectione sumpserunt, ut iusiurandum. F. Quæ secundariæ? P. Primum, quod prout de singulis latius superius tractatum est, omnia principia vel ordinaria sunt, vel extraordinaria: item communia, vel singularia. Ad hæc interna, vnde iudicia Domini vera iustificata in semetipsa, in psalmis dicuntur: vel externa. Tum infinita vel definita per circumstantias: Porro substantialia vel formalia: Præterea entechna, vel atechna. Deinde vera vel verisimilia. Pòst primaria, quæ nulla alia habent ante se: vel secundaria, quæ ex primarijs per consequentias, vel exempla, de quibus mox dicemus, deducuntur. Et deniq; generalia, vel specialia. Ac sunt quidem generalia, quæ in genere suo perstant, & varijs rebus possunt accommodari, vnde & formalia non malè vocari possunt: ut, plus continet semper in se id quod est minus. Generi per speciem derogatur, cum similibus: specialia autem quæ ad certam speciem diriguntur, vnde & materialia ea quis dixerit: ut seruitutem mortalitati comparamus. In testamentis plenius voluntatem testantium interpretamur: In contractibus, in quibus dies non ponitur, præsentis die debetur: cum similibus. F. Teneo. P. Et quidem cum generalia ex primarijs fere principijs ducantur, per consequentias, quod secundariorum proprie principiorum est, specialia ex pluribus specialibus fere constituuntur, quod regularum. Nam cum prin-

principium fit quod præcedit, vt ex eo ius fiat, regula est quæ sequitur, dum rem quæ est breuiter enarrat, non vt ex regula ius sumatur, sed vt ex iure quod est regula fiat. F. Intellego. P. Quanquam si generaliter loquere, omnia etiã principia, & summæ rerum sententiæ, regulæ meritò vocantur, quoniam per ea iura legesq; diriguntur, & ad ea tanquam ad certam normã ac regulam, qua sola bonæ leges à malis diuisi solent, exiguntur. F. Probè narras. P. Et quidem cum qui principijs carent, ijs similes sint qui mensura destituti, de quantitate rei alicuius disputant, quos semper vagari errore, & inter se altercari, nec vnquam habere quod sequantur oportet: contrà qui ea tenent, ijs sunt similes, qui mensuram semper ad manum habent, ad quam rerum de quibus agitur quantitatem dimetiuntur, quos mox verum ipsum videre, & inter se concordare ac congruere vtique necesse est.

LIBER

LIBER SECUNDVS.



Quoniam de principijs iusti & iniusti dictum est, quoniam autem pacto ad vsum transferri debeant, age nunc videamus: nam hoc secūdo loco erat propositum. P. Sic est, & quidem tota ea res in hoc consistit, vt tum quidem omnia iura legesq; ex principijs tanquam fontibus deducantur, tum autem ad ea tāquam capita sua reuocentur, tum verò per ea explicentur ac enodentur. F. Optimè profecto. P. Ad quæ quidem tria recte præstanda, tria alia omnino sunt necessaria: vnum, vt quo pacto principia ad iura legesq; se habeant intelligatur: alterum, quo pacto e contrario iura legesq; ad principia: & tertium, quo pacto iura legesq; per principia exponere, & ad ea tanquam ad certam regulam ac mensuram dimetiri, certoq; iudicio ponderare oporteat, De singulis articulatim distincteque explicabimus.

Quo pacto se habeant principia ad iura & leges.

Titul. I.

F. Quomodo se habent autem principia ad iura & leges? P. Haud secus atque anima ad corpus.

pus. Nam cum ratio legis ex principijs dependeat, & constet, rationem legis esse animam, sic ut vbiunque eadem est ratio, eadem sit quoque iuris dispositio: utique & de principijs idem est dicendum. F. Non dubium id quidem. P. Atque est autem cuiusque legis vel vnum duntaxat principium, vel sunt plura diuersorum generum, vel vnius generis plura. Ex quibus plura vel eodem tendunt, vel ad diuersa, vel ad contraria. Singula separatim attingemus.

De vno legum principio.

Tit. II.

F. De vno principio quid ais? P. Vnum legum dicitur esse principium, cum non nisi vna ratione lex nititur. Nam quod vnam eandemque rem duo in solidum possidere non possunt, vna nititur ratione physica: quia vbi tu stas, ego simul stare non possum: Ac prout quidem hoc principium per se graue est aut leue, vel magis aut minus influit in rem subiectam, & ab ea recipitur: ita & legem ipsam maiorem aut minorem restrictionemque, aut remissionem esse oportet, ut post videbimus.

De pluribus legum principijs eodem tendentibus.

Tit. III.

F. Plura legum principia eodem tendentia quoniam sunt? P. Cum vna eandemque lex pluribus

nititur principijs , vnum finem spectantibus: quod duobus fit modis, æqualiter, & subordinatè. F. Quomodo æqualiter? P. Cùm vtrumq; principium per se consistit, idemq; vnum quod alterum efficit. Nam quòd in seruum supra modum scire non licet, & ethica ratione constat, quoniam contra humanitatem & hominum inter ipsos coniunctionem est: & externa politica & priuata, quoniam reipublicæ, atq; adeo ipsius domini interest, ne re sua quis male utatur. F. Quomodo subordinatè? P. Cū vnū principium adminiculatur, & subseruit alteri. Nā cum bonū publicū secundum principia politica suadeat, vt alter alteri ex re sua cōmodet, *subseruiens* ei ratio physica seruitutes vrbanoꝝ & rusticorū prædiorum induxit, quibus id efficitur. F. Rectè. P. Atque habent hæc locum non solū cum duo, sed & cū tria, quatuor, aut plura principia circa eandem rem legemq; concurrunt. Acciditq; nonnunquam, vt concurrentibus circa vnā & eandem rem duobus principijs, alterum non debeat allegari (licet verū sit) quādiu priori est locus. Nam si quæras, vtrum quis priuignam suam vxorem ducere possit, constante cum matre matrimonio: respondetur, non posse duabus rationibus: vna, quia idem duas vxores habere nō potest, quæ sola in hoc casu debet allegari: altera, quia pro filia est, cuius quamdiu matrimonium cum matre cōstat, nulla debet fieri per se mentio, quia contineret tacitam suppositionem priori rationi contrariam. Sed postquam dissoluto matrimonio, prima cessat, tum ei propriè fit locus.

De

*De pluribus legum principijs
ad diuersa tendentibus.*

Tit. III.

F. Quænam autem sunt plura principia ad diuersa tendentia? P. Cùm vna eademq; lex respectu diuersorum diuersis constat principijs. Nam quòd testamento nuncupatio testes adhiberi debent, ex naturalibus rei subiectæ principijs fertur, vt de vltima voluntate constet: quòd autem quinque debent esse numero, ex ciuilibus secundum reipublicæ Romanæ descriptionem, vt suprâ tactû est. Et quidê licet lex ipsa per se vno tantum cõstet principio, fit tamê nõnunquã, vt ad illius interpretationem pluribus sit opus, nempe Grâmaticis ad verba enodãda, & alijs ad mentem explicandam.

*De pluribus legum principijs ad
contraria tendentibus.*

Tit. V.

F. Plura principia ad contraria tendentia quæ vocas? P. Cùm circa vnam eandemq; rem vel legem plura principia contraria se offerunt, quæ tribus modis se habent. F. Quis primus? P. Cùm ex pluribus principijs vnum manifeste præualet. Nã si quærat, utrû in fraudem creditorum liceat manumittere, ratio externa suadet posse, ob fauorem libertatis: interna nõ posse,

ne alteri per alterum iniqua cōditio inferatur, quæ manifestè præualeat. Et si ab vna parte pauciores causæ & minores, ab altera autem plures & maiores se offerunt, eas plus ponderis habere debere, vtique certum est. F. Quis alter? P. Cùm plurium principiorum tam æqualia sunt pondera, vt cùm ab vna parte vnum stat principium, ex altera autem exoritur alterum, dubitatio accidat, quod cui præualeat. In qua re fit nonnunquam, vt si ordinaria sint vtraque: propter eorum æqualitatem ad extraordinaria trāseatur: veluti quòd Iustinianus, cum non satis conueniret, vtrum pubes statim manumittere posset, an verò ætas viginti quinque annorum esset expectanda, mediam viam elegit, vt decimum octauum ingressus possit manumittere. Nec aliunde manat, quod apud Vlpianum τὸ ἰσαζοῦ stipulationem & solutionem corrumpere dicitur. Et quidem hac principiorum pugnantium æqualitate, variæ sæpe Iurisconsultorum & scholarum sententiæ, & iura controuersa existunt, dum in ijs considerandis animi in diuersas sententias distrahuntur, & alijs sic, alijs secus videtur. Estq; magni iudicis causarum, ex vtraq; parte facta contentione statuere, quid cuiq; præferri debeat, vt i sæpe in iure ciuili videre licet, hoc aut illud præualuisse, obtinuisse, placuisse, receptum aut constitutum fuisse: cum similibus. Quanquam si verum dicendum est, sæpe re ipsa non multum refert, quantum ad iustum & iniustum attinet, quidnam de pluribus eligatur: quoniam diuersarum circumstantiarum, rationum, & motuum animi respectu,

vna

vna eademq; res multis modis recte habere se
 potest, aut certe non male. Quod quidem quia
 imperiti non intelligunt, ignorantes externa
 rerum transmutatione minime impediri, quo
 minus intus eadem maneant: haud aliter atq;
 in mari nihil opus est, vt ad eandem lineam om
 nes nauigent, dummodo verus scopus & cursus
 ad eum teneatur: magnas sæpe controuersias,
 paruis de rebus excitant, de quibus mirificè in
 ter se digladiari, & tragœdias in nugis quod di
 citur agere solent, vt immensa eorum scripta
 testantur. Cæterum rei totius veritas est, cum
 summæ leges, quæ ad Deum & proximum per
 tinent, eadem per totum mundum esse debeant
 tanquam diuinæ: infimæ autem quæ materiæ
 immiscentur secundum eius circumstantias ne
 cessariò variant, tanquam mundanæ: medias
 inter vtrasque esse eiusmodi, vt pro rationum
 ac circumstantiarum diuerso concursu, diuer
 sis modis ab hominibus pro cuiusq; animi mo
 tu minime vitioso constituentur, tanquam hu
 manæ, quæ inter diuinas, quæ ipsius pulchri
 sunt: & mundanas, quæ necessitatis, mediæ in
 teriectæ sunt, & ex vtrisque mixtæ. F. Quis ter
 tius est modus? P. Cùm neque æqualia omnino
 sunt contrariorum principiorum momenta,
 neque item vnum alij omnino præponderat,
 sed medio quodam modo minus ita obstat ma
 iori, vt vel vim ac virtutem eius nõnihil infrin
 gat ac minuat, vel ad circuitionem, aut aliam
 formam indirectam venire cogat, vt quod ve
 lit efficiat, vel etiam accidentia nonnihil immu
 tet. Qua quidem ratione tametsi filij defuncti

sponsam, vel vxoris repudiatæ ex alio marito
 filiam, vxorem ducere non prohibeatur, ratio-
 ne naturali interna, quoniam reuera nurus nõ
 fuit, nec est vlllo modo filia: dissuadetur tamen
 ob honestatem publicam externam. Ac quan-
 quam dolo circumuento succurrendum vide-
 atur, ex æquo & bono scilicet, ne ex alterius in-
 scitia alius prædetur, aut per errorem suum in
 fraudem quis illiciat: non fit tamen nisi per
 in integrum restitutionis circuitiõnem, vt stri-
 cto iuri satisfiat. F. Intelligo. P. Et quidẽ in om-
 ni principiorum contentione ac comparatio-
 ne regula est, vt generalia singularibus, ordina-
 ria extraordinarijs, interna externis, naturalia
 ciuilibus præferantur. Vnde dicitur, iura san-
 guinis nullo iure ciuili dirimi posse. A quibus
 autem cum ad singula descenditur, in princi-
 pijs à republica ductis, diuina humanis, sacra
 prophanis, publica priuatis: in principijs à Iu-
 stitia, moralia naturalibus, superiora inferiori-
 bus, iusta iniustis: in principijs à lege, perfecta
 imperfectis, bona malis, plena minus plenis
 præponuntur. F. Rectè. P. Quæ quidem omnia
 & alia magis specialia ita se habent, nisi perso-
 narum, rerum, & aliæ circumstantiæ aliud exi-
 gant, per quas sæpe fit, vt contra singularia ge-
 neralibus, extraordinaria ordinarijs, externa
 internis, ciuilia naturalibus, & sic deinceps præ-
 ferantur, nempe cum maiora eorum quàm ali-
 orum sunt pondera: quod non tam regulis cõ-
 prehendi, restrictèq; præfiniri, quàm lógo rerũ
 vsu percipi ac dijudicari potest. Nam quemad-
 modum in omnibus, ita & hic consuetudo ex-
 exercita-

ercitatioq; capiēda est. F. Probè. P. Et sane haud parum interest, in iure supputando in populari ne ratione versemur, an vero ad veritatem eā reuocemus, quod à gradibus & formis Iustitiæ dependet, quæ aliæ æquitatem laxius ac remissius sequuntur, aliæ in veritate nervosius limāda versantur, vt suprà demonstratum est.

De vnus generis pluribus principijs. Tit. VI.

F. Vnius generis plura principia quænam sunt? P. Veluti cum ex pluribus honestis quid honestius fit quæritur, ex pluribus necessarijs quid magis necessarium, & sic porrò de cæteris: nam haud raro accidit, vt vna utilitas alia conuellatur. F. Audio. P. Et quidem cum hæc principia vel eodem tendant, vel ad diuersa, vel ad contraria, fit vt quæ de pluribus diuersorū generum diximus, etiam hic seruentur. F. Teneo. P. Cæterùm, vnum autem notandum est, licet plerunq; principia ad iura legesq; tâquam anima vt dictum est se habeant, sic vt vitam & motum illis tribuant, subinde tamen fieri, vt non tam quid tribuant, quàm obstaculū quod vim rei impedit, auferant, sic vt eo sublato ad naturam & virtutem suam redeant. F. Intelligo. P. Quo igitur pacto principia ad leges se habeant, dictum est.

X 4

Quo-

Quo pacto iura & leges se habeant ad principia.

Tit. VII.

F. Ergo iam è contrario quonam modo iura & leges circa principia se habeant, reddito. P. Enimvero, vt id apte atque ordine tradatur: sciendum est, circa iura & leges, tum quidè substantiam earum spectari, tum autem naturam, tum verò accidentia, vt in plerisque rebus omnibus secundum principia physica accidit. F. Capiò quid velis. P. Per hæc igitur singula euntes, partim quænam, & qualia sint, ostendemus, partim quonam modo circa principia affecta sint, demonstrabimus.

De substantia legum.

Tit. VIII.

F. Circa substantiam igitur legum quænam spectantur? P. Hæc, alia substantiam ipsam continent, vt subiectum, prædicatum, & quod ex utroque existit: alia substantiæ inhærent, vt virtutes legis: alia circa substantiam versantur, vt formæ: de quibus singulis dicemus. F. Placet. P. Et quidem cum subiecta omnia vel in personis consistant, vel in rebus, vel in earum circumstantiis, prædicata aut in statu coniecturali, an sit, definitiuo quid sit, & iuridicali quale sit, primò singula explicabimus, deinde aut quomodo substantia legis ex ijs existat, ostendemus.

De

De personis, & earum differentijs. Tit. IX.

F. Ergo personæ, de quibus iura legesq; constituuntur, quónam modo se habent? P. Hæ partim coniunctè spectantur, partim separatè, partim medio quodam modo. F. Coniunctè quo pacto? P. Veluti cùm de toto aliquo populo, vel alia vniuersitate, corpore, aut collegio agitur. Nam secundum principia politica, aliter cum multitudine, aliter cum singulis agitur, vnde multitudini parcendum esse, vulgo dicitur: & cum singuli ætate maiores fiant, respublica pro pupilla semper habetur. Ducunturq; hinc, quæ de iure reipublicæ, corporibus illicitis, syndicis seruis, & libertis ciuitatum, priuilegijs, & alijs rebus vrbium passim in iure ciuili tractantur. F. Separatè autem? P. Veluti quod singuli homines alij ab alijs differunt: quod quidem tribus fit modis, secundum animi, corporis, & externa bona. F. Audio. P. Secundum animi bona, quæ à potentijs, passionibus, & habitibus ducuntur: primùm alij boni, alij mali, alij perfecti: alij imperfecti sunt, quorum diuersa ratio in iure ac legibus habetur. Nam cùm à perfectis plena perfectaq; exigantur, in imperfectis media officia sufficiunt: deinde alij docti & ingeniosi, alij contrà indocti & tardi, inter quos & ipsos iura legesq; frequenter distinguunt, cùm imperitiæ & rusticitati indulgent. Tum alij gnauis, acres, celeres, animosi, elati, duri, generosi: alij socordes, leues, parui animi, humilesq; & abie-

cti, quorum sæpe diuersissima est ratio, cùm de præmijs & pœnis, alijsq; huiusmodi rebus agitur. F. Intelligo. P. Secundum corporis bona, primùm sexu homines differunt: nam alij mares sunt, aliaæ fœminæ, inter quos multæ sunt iuris differentia: nam fœminæ ab omnibus ciuilibus officijs remotæ sunt, læsæq; restituntur in integrum propter fragilitatem sexus: deinde ætate, nam alij maiores, alij minores sunt. In qua re sæpe fit, vt ætati parcatur, vt in delictis puerorum videre licet: pōst valetudine & firmitate cōporis: nam alij sani sunt, alij ægri, qui fontico morbo laborant, quorum à bene valentibus diuersa in iure constituendo ratio habetur, vt in excusationibus tutorum & curatorum, restitutionibus in integrum, & alijs videre licet. F. Verùm. P. Secundum externa bona homines vel diuites ac beati sunt, vel pauperes & miserabiles, vt pupilli, egeni, viduæ, aduenæ, quorum magnam vbique leges & Imperatores habent rationem: Deinde partim, nobiles, potentes, liberi, partim ignobiles, viles, serui, quos aliter atque aliter in eodem facto habendos esse, iam antè dictum est. Tum alij magistratus & cum imperio, alij autem priuati sine autoritate publica, inter quos & ipsos magna in iure computando est differentia. F. Iam media ratio inter coniunctam & separatam, qua personæ spectantur, quænam est? P. Quæ per relationem fit ynus ad alium, vt mariti ad vxorem, patris ad filium, fratris ad sororem, cognati ad cognatam, ciuis ad ciuem, alieni ad alienum, amici ad amicum,

cum, domini ad seruum, magistri ad discipulum, & sic porrò de alijs. In qua quidem re magna sæpe vis inest: nam aliter ab alieno dotem mulier repetit, aliter à marito, qui non nisi in quantum facere potest tenetur: aliter externi hominis testamentum expugnatur, aliter patris, quòd in officiosum duntaxat dicitur: aliter parricida, aliter sicarius punitur, & sic deinceps: vnde & de satisfactionibus scribitur, pro qualitate personæ, vel suæ nudæ promissioni, quem committi, vel ad iusiurandum teneri, vel ad plenam cautionem. Pertinetq; eodem, quòd cum ea quæ vxor fuit, non furti, sed rerum amotarum agitur: quodq; patrem vel patronum nõ aliter, quàm si prætor id permittat, in ius vocare licet: cum alijs infinitis.

De rebus & earum differentijs.

Tit. X.

F. Rerum iuri subiectarum differentia, quomodo se habent? P. Ex tribus omnino modis spectantur, secundum genera, substantiam, & formam. F. Secundum genera quo pacto? P. Secundum illa, eadem planè rerum quæ principiorum est diuisio, quod & in personis contingit. Nam omnes res vel ordinariæ sunt, vel extraordinariæ, vel singulares. Ex quibus ordinariæ rursus aut internæ, sunt, aut externæ, aut mediæ: & internæ denique, aliæ naturales, aliæ ciuiles, aliæ mixtæ, adeo vt nouem generibus tota hæc partitio contineatur: idque siue
facta

facta quæ personarum sunt, siue res quæ dominorum, spectemus. Circa quæ regula est generalis, prout quæ res est, ita per eiusdem generis principia dirigi debere. F. Secundum substantiam autem? P. Secundum hanc noué sunt quoque rerum differentia. Nam omnes res vel principales sunt, vel accessoria, vt signa & alia, ipsæ vel quasi, siue in causam effectumque earum cadentes, totæ vel earum partes, perfectæ vel imperfectæ, conceptæ spe, vel natæ re, substantiales vel formales, integræ quæ nondum ceptæ sunt, vel non integræ quæ ceptæ, vniuersitatis vel singulæ, corporales facti vel incorporales iuris. Quæ quidem differentia cum ex Physicis principijs maxima ex parte proficiuntur, per eadem diriguntur. F. Secundum formam denique. P. Secundum hanc itidem nouem sunt rerum partitiones, etenim omnes res iuri subiectæ, vel magnæ sunt vel paræ, faciles vel difficiles, frequentes vel raræ, restrictæ vel laxæ, fauorabiles vel odiosæ, claræ vel obscuræ, expressæ vel tacitæ, diuinæ vel humanæ, publicæ vel priuatæ. Quæ quidem differentia cum à formis iustitiæ & politicis principijs plerumque orientur, vti & per ea pro cuiusque rei natura regantur necesse est. F. Intellego. P. Atque ab his rerum differentijs multas iuris differentias nasci, infinitis exemplis comprobari potest, dum odia restringi, fauores ampliari, expressa nocere, non expressa non nocere: iura non ex his quæ raro vno aliquo casu, sed frequenter & facile accidunt, constitui dicuntur: cum alijs similibus.

De

*De circumstantijs.**Tit. XI.*

F. De circumstantijs iam dicito. P. Hæ quæ nã sint, & quam vim ad res commutandas habeãt, suprà expositum est, cùm de principijs ageretur. Et verò etiam hic earum meminisse oportuit, quoniam diuersorum respectu, & pro materia sunt iuri subiecta, quia personis & rebus inhærent: & pro principijs, quoniam res & personas dirigunt: sic vt inter principia iusti & iniusti, & materiam iuri subiectam, quasi mediæ interiectæ nunc his, nunc illis seruiant: subinde autem vtrisque applicentur, & vim illis præbeãt: nam in toto iure, inquit Papinianus, id præcipuum habetur, quod ad speciem per circumstantias est directum.

*De statu coniecturali.**Tit. XII.*

F. Quoniam de subiectis iuris ac legum explicatum est, agens de earum prædicatis nunc tractemus, ac primùm quidem de prædicato status coniecturalis. P. Hoc autem est, cùm circa quæstionem, qua an dictum, factum, cogitatũ quid sit, ambigitur, lex certi quid statuit: veluti legato vini, etiam acetum in ea regione, vbi potu est, contineri. Extinctis simul matre & puero, infantem prius videri mortuum: Cum similibus, quorũ pleni sunt libri iuris ciuilibus. F. R. c. t. P. Ac pædet quidem omnium quæstionum conie,

coniecturalium definitio partim ex principijs artis expertibus, partim ex ijs quæ arte continentur: Suntq; prioris generis testes & instrumenta, posterioris præsumptiones & coniecturæ. Ex quibus præsumptio ex naturalibus ferè cuiusq; rei principijs deducitur, cōiectura ex ijs quæ foris rem circumstant, eamq; præcedūt, sequuntur, & cū ea sunt cōiuncta: vt suprà diximus, cum de externis principijs ageremus.

De statu definitiuo.

Tit. XIII.

F. Status definitiuus quis est? P. Cūm quid res fit quæritur, idque nominis ratione, definitione, & diuisione per legem explicatur, vt passim in iure ciuili videre licet. F. Probè. P. Ac constat quidem ea res primū logicis ac physicis principijs, ex quibus utiq; omnium rerum definitiones, descriptiones, & nomina, diuisionesq; dependent: vt obligatio est iuris vinculum, quo quis necessitate astringitur alicuius rei soluendæ: deinde ciuilibus, veluti cū additur, secundū nostræ ciuitatis iura. F. Verum. P. Nec rarò fit in re dubia, vt ab ordinarijs principijs ad extraordinaria transeat, veluti quod apud Iustinianū, quoniam non liquet, vtrū emphyteusis, emptio veditio sit, an locatio cōductio, separatus per se cōtractus ex cōstitutione Zenonis esse iubetur. F. Sic est. P. Adde q; subinde res tales, aut tales esse declarantur, quod naturale est, subinde pro talibus aut talibus habetur, quod ciuile: veluti quod seruus pro nullo habetur: subinde
tales

tales aut tales finguntur, quod ciuile pariter & naturale, vt mox declarabitur.

De statu iuridiciali.

Tit. XIII.

F. Iuridicalem statum quem vocas? P. Cùm rem quidè esse constat, & quod nomen habeat, sed qualifnam fit, hoc est, iustane an iniusta, licita an illicita, dubitatur, idèq; lege lata in vnam vel alteram partem statuitur: veluti quod dicitur, duorum fratrũ liberos recte matrimonio iungi, adoptionem rem esse licitam, furtũ illicitum, cum similibus. F. Capio quid velis. P. Accipiet quidem hæc res ex principijs omnis generis pro cuiusque subiecti, personæ nempe ac rei natura. Nam prout quæq; persona, vel res subiecta est, ita per sui generis ac qualitatis principia dirigi, & prædicatum suum ab ijs accipere debet, sic vt paria paribus, vt in omnibus plerunque fit, respondeant, nisi aliud circumstantiæ cogant, per quas sæpe fit, vt non per sui generis principia, sed alia siue interna, siue externa, siue naturalia, siue ciuilia, siue ordinaria, siue extraordinaria, res dirigatur: vt supra tactum est.

De subiectis & prædicatis simul iunctis.

Tit. XV.

F. Post subiecta & prædicata explicata, iã de
conne-

connexione subiecti & prædicati quid ais ? P. Hæc est, per quam legis substantia constituitur, quæ tum quidem subiecto, quod pro materia est, vt furtum: tum autem prædicato, quod pro forma, vt illicitum est, constat, vt diximus. F. Verùm. P. Et quidem omnia iura legesq; ratione subiecti, vel ad personas pertinent, vt Deum time: vel ad res, vt ne sumas nomē domini Del tui in vanum: vel ad circumstantias, vt sabbathū sanctifica. Ratione autem prædicati, vel coniecturalis sunt status, vt nemo suum iactare præsumitur: vel definitiui, vt testamentum est testatio mentis: vel iuridicialis, vt quod quisque iuris in alium statuit, ipse eodem iure vtatur. F. Probè. P. Atque ad hæc quidem sex genera cum septimo ex ijs mixto, quicquid toto orbe iuris est ac legum, quantum ad substantiam attinet, reuocatur. Quæ quidem omnes nuda narratione constantes, sic tamen vt per authoritatem ac disciplinam cum doctrina coniunctam, non simplices institutiones priuatæ, sed publicæ leges esse intelligantur: vel aientes siue affirmatiuæ sunt, quibus coniectando, definiendo, aut qualitatem rei explicando quid asseritur: vel contra negâtes, siue negatiuæ, quibus negatur. F. Optime. P. Ac de ijs quæ substantiam ipsam legum continent, expositum est.

De virtutibus legum & earum gradibus. Tit. XVI.

F. Post deinceps ergo de virtutibus legum reddito. P. Virtutes legum sunt, quæ substantiæ

tiæ earum vt diximus inhærent, adeo vt etiam si non exprimantur, ex subiecto tamen & prædicato intelligantur. F. Audio. P. Ac consistunt quidem in iubendo, vetando, permittendo: nã quod secundum subiectum & prædicatum re-
 pertum est, faciendum esse bonũ iubetur, quod contrã non faciendum malum vetatur, quod licitum indifferens permittitur. Diciturq; ab istis quidem virtutibus exterioribus & prædicatis interioribus lex esse, vox siue ratio in republica, quod prædicati & subiecti est, iubens ea quæ facienda sunt, & prohibens contraria, quod harum virtutum. A quibus leges aliæ iusta, aliæ vetita dicuntur, aliæ prohibitivæ aliæ permissivæ, aliæ affirmatiivæ aliæ negatiivæ. Itẽ res aliæ iustæ vel iniustæ, quæ iubentur vel vetantur, aliæ licitæ vel illicitæ quæ permittuntur vel non permittuntur. F. Intellego. P. Planè habent autem hæ virtutes gradus tres, infimũ, medium, & supremum. F. Quis est infimus? P. Cũ non contradicitur, quod in quibusdam pro iussione est, vel non probatur, quod loco prohibitionis. F. Quis medius? P. Cũ assensus expressim adhibetur, vel denegatur. F. Quis summus? P. Cum vltra assentionem vel dissentionem, iussio insuper vel prohibitio, vel permissio accedit, vbi tres rursus gradus se offerunt. F. Qui sic autem? P. Primus est, cũ non tam iubetur aut vetatur aliquid, quàm suadetur, dissuadetur, laudatur, vituperatur, aut quo alio modo verbis leuioribus significatur, recte fore vt fiat, vel non fiat: veluti quod pater non prohibetur quidem absolute filij sponsam ducere,

Y cere,

cere, sed recte tamen facturus dicitur, si ab eius-
 modi nuptijs abstineat. Secundus, cum simpli-
 citer & absolute quid præcipitur vel vetatur,
 vt hoc facito, illud òmittito. Vltimus, cum gra-
 uius interminatur, vt dico edico, vt facias ne fa-
 cias. F. Bene habet. P. Ae quantum ad permissi-
 onem attinet, eius summus gradus est, cum ex-
 pressum simpliciterq; & absolute quid permit-
 titur: quod in ijs accidit, in quibus nihil mali
 inest. Medius cum non absolute quid permit-
 titur, sed dicitur non vetari tantum, vel per-
 mittitur addita hortatione vel dehortatione
 in contrarium, quod in ijs locū habet, quæ per
 se quidem mala non sunt, sed aliquid tamē ma-
 li secum trahunt, sic vt per indulgentiā in ijs p-
 cedatur. Et infimus, cum non tā quidē permit-
 titur, quā conuiuentibus oculis tacite dissi-
 mulatur aut toleratur, quod in ijs obtinet, quæ
 per se mala vel certē non bona ob hominum
 imbecillitatem maioris mali vitandi causa nō-
 nunquam ferre oportet. F. Rectē. P. Pertin-
 etq; ad hos gradus, quòd quædam res permit-
 tuntur tanquam non illicitæ, quod infimi est
 gradus: quædam tanquam licitæ, quod me-
 dij: quædam tanquā pulchræ & laudabiles, quod
 summi: & econtrā quædam ita non permit-
 tuntur, vt tamen facta teneant: vel confirmen-
 tur, quod infimi gradus est: vel ita, vt pro
 inutilibus, perperam factis, nullis, aut similibus
 habeantur, quod medij: vel ita vt tanquam
 turpia & vituperabilia reiiciantur, quantum
 ad res, & puniantur quantum ad personas,
 quod summi. F. Probē. P. Atque hæc quidem
 omnia

omnia inde dependent, quatenus principia vel vehementius, vel remissius in res subiectas influunt, & ab ijs recipiuntur, aliaq; ab alijs impediuntur vel non, vt supra dictum est. Secundum quæ fit, vt tum quidem pro rerum, tum autem pro personarum, tū verò pro vtrarumq; & aliarū circumstantiarum natura, ac ratione alij atq; alijs gradibus fit vtendum. F. Audio. P. Fitq; ab his intensiõibus, & remissionibus, vt leges aliæ præcepta dicantur, cum quid iubetur aut vetatur: aliæ consilia, cum quid suadetur, aut dissuadetur. Vnde Paulus: Præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Item aliæ magnæ, quæ omnino faciendæ sunt: aliæ paræ, quæ non omittendæ, quemadmodum & à rebus subiectis, magnis, vel paruis accidit. F. Intellego. P. Et quidem fit haud parum sæpe, vt quæ principio inferioris sunt gradus, post superioris fiant, & econtrà: nam cum fideicommissa olim pudore tantum hæredis continerentur, vt ea præstaret vel nō, post per Augustum in legis iussum ducta sunt. Ac cum hæredi olim testimonium præstare licebat in testamento, in quo hæres instituebatur, sic tamen, vt qui id permittebant, hoc iure minime abuti eos debere suaderent, Iustinianus postea id quod ab illis suadebatur, in legis necessitatem induxit.

De formis legum.

Tit. XVII.

¶ Dehinc formæ legum, quæ circa substantiâ
 Y 2 carum

340 ELEMENTOR. IVRIS

earum versantur , quænam sunt ? P. Directa , indirecta , mixta. F. Quæ est directa ? P. Quæ recta via declarat , vel præcipit quod vult. F. Quæ indirecta ? P. Quæ per circuitionem procedit , quæ est triplex. F. Dic primam. P. Hæc est iudicialis , cum nimirum id quod ipso iure per directam actionem fieri nequit , beneficio actionis utilis , exceptionis , vel replicationis efficitur. F. Dic alteram. P. Hæc est , quæ ope fit magistratus , cum per in integrum restitutionem , bonorum possessionem , officium iudicis , rebus succurritur. F. Dic tertiam. P. Hæc est , quæ fictione fit legis , siue nominis : veluti cum lenitate verbi tristitia rei mitigatur : siue rei , veluti quod filius familias postliminio reuersus , semper in vrbe fuisse fingitur , & in publiciana in rem actione is se dicit vsu cepisse , qui vsu non cepit , & in rescissoria aduersarium non vsu cepisse , qui vsu cepit. Atque hæc quidem fictio minime vitiosa censetur , quoniam non circumueniendi , sed iuris & iustitiæ conseruandæ causa inducitur. Pertinet & eodẽ , quod per imaginarias venditiones nũmo vno (non autem vero pretio intercedente , tum enim imaginariæ non sunt) quædam olim apud Romanos fiebant , quæ multis de causis erant necessariæ. Atque ad has quidem circuitiones ideo sæpe veniendum est , vt quod pugnantibus inter se principijs directo obtineri non potest , per anfractum obtineatur. F. Iam mixtæ formæ ex directis & indirectis quæ sunt ? P. Cùm constitutioni directæ aliquid insuper additur , ad eam temperandam ac dirigendam. Quod quidem
vel

vel per solam fit legem, veluti quòd eadem lex, quæ permittit filij sponsam ducere, dissuadet tamen ne fiat: vel per legem & magistratum, veluti cum lex, quæ pupillo quid permittit, auctore tutore vel magistratu id fieri iubet, & generaliter vbi causæ cognitio est, ibi prætor desiderari dicitur: vel per legem, magistratum, & iudicium, veluti quòd lege constitutum est, bona pupillorum non nisi decreto iudicis causa cognita posse alienari. F. Catio quod dicis. P. Atque ad has quidem formas venit, cum lex directa sola non sufficit, sed vel temperamento aliquo sui ipsius, vel auxilio magistratus, vel temperamento pariter & auxilio iudiciali indiget. Nam hæc tria, legem, magistratum, & iudicia, sæpe sola per se non sufficere, sed communi auxilio & opera mutua indigere, iam antè tactum est. F. Ita res est. P. Ac pertinet quoque ad totum hoc genus, quòd multa per se non rectè fiunt, quæ per medium interiectum rectè fieri inveniuntur. Nam vt rem sacram solam per se emam, vt cum vniuersitate potest, & vt seruus hæreditatis iacentis, hæredi scripto recta via per stipulationem acquirat, ius non patitur: cū alijs similibus.

De ijs, quæ ad naturam legum pertinent.

Tit. XVIII.

**F. Expositis ijs, quæ ad substantiam legum
Y 3 perti.**

342 ELEMENTOR. IVRIS
pertinent, dicamus nunc de ijs, quibus natura
earum continetur. P. Hæc autem sunt origines
earum, partes, & effectus, de quibus singulis
exponemus.

De originibus legum.

Tit. XIX.

F. De originibus quid habes dicere? P. Ab
origine tres legum proficiscuntur diuisiones.
F. Quæ est prima? P. Quod iura legesque
omnes, vel ex naturalibus præceptis oriun-
tur, vel gentium, vel ciuilibus, vt supra dictum
est. Ac sunt quidem naturalia præcepta, quæ
à natura infita cum beluis nobis sunt commu-
munia, vt maris & scæminæ coniunctio, li-
berorum procreatio & educatio. Gentium,
quæ apud omnes gentes obtinent, ac partim
ex diuinis principijs ante peccatum, de quibus
supra dictum est, feruntur, vt amor Dei & pro-
ximi, quæ iuris gentium primarij vocantur: par-
tim ex humanis post peccatum, vt emere, ven-
dere, quæ iuris gentium secundarij sunt, quod
à primario arte & ingenio humano deriuatur.
Ciuile, quod ex ciuilibus principijs industria
humana deductum, cuiusque proprium est ci-
uitatis, vt Atheniensium, Carthaginensium, Ro-
manorum. Et quidè cum in quacumque ciuitate tria
legislatorum sint genera, primarij, secundarij
& vltimi, fit vt leges ciuiles alię primariorū sint
legislatorum, alię secundariorum, alię vltimo-
rum, quæ alię iuuantur, suppleantur, corrigun-
tur ab alijs, dum summis rerum capitibus con-
stitutis,

stitutis, certa lege & regula comprehensis, primarius legislator reliqua inferiora inferioribus legislatoribus relinquit, ad supplendum, iuandum, vel etiam corrigendum, si qua fortè exceptio à regula, quæ facillè vitari solet, se offerat. F. Audio. P. Ac sunt quidem primariorum legislatorum leges, quæ ab ijs, apud quos summa rerum in ciuitate perpetuè est, proficiscuntur. Qui quidem vel vnus rex est, aut princeps, vnde apud Romanos placita, rescripta, orationes, sanctiones, & aliæ constitutiones principum, quæ regalis ciuitatis generis sunt, manant: vel sunt optimates, vnde senatusconsulta, vt Macedonianum, Velleianum, Orphitianum: vel vniuersus populus, vnde plebiscita, & quæ proprio nomine leges vocantur, cum aliæ vicem legum duntaxat secundum Iustinianum obtineant. F. Intellego. P. Secundariorum legislatorum leges sunt, quæ ab ijs, qui rebus iudicandis ad tempus præsumunt, originem ducunt, cuiusmodi sunt edicta prætorum & ædilium apud Romanos, quibus ad primarias executioni mandandas, iuuandas, supplendas, corrigendas, temperandas, sæpe est opus: nam cum non omnia primarius legislator complecti queat, post summa capita constituta: reliqua inferiora secundarijs legislatoribus tanquam minoribus quibusdam dijs, vt in Timæo est, permittere debet. Ac tamen si quidem nihil facillè mutandum est ex solennibus à primario legislatore constitutis, tamen vbi æquitas euidenter poscit, subueniendum est: Vnde ius prætorium, tanquam viua quædam vox iuris ciuilijs habetur. F. Teneo. P. Ulti-

morum latorum leges sunt, quæ ab ijs, qui legibus interpretandis sunt præpositi, proficiscuntur: cuiusmodi sunt responsa prudentum, quæ tum quidem primarijs legibus seruiunt, ad eas suis interpretationibus exponendas: tum autem secundarijs, vt qui rebus iudicandis præ sunt, ijs iuuentur, adeo vt olim fuerit constitutum à responsis prudentum, iudici non licere recedere. Suntque horum responsorum pleni libri Pandectarum. Nam haud rarò fit, vt quæ prius secundariæ leges fuerint, post primariæ efficiantur, cum ita primarius legislator vult, siue secundarias leges cum primarijs ponendo, siue scripta aliorum autoritate primaria confirmando, quod pro ipsa constitutione est, vt in iure ciuili & pontificio videre licet. Nam cum principale munus legislatoris sit, iura condere, alterum ab eo est, iura ab alijs condita ex vetustate eruere, ac comprobare: vnde obligationes ciuiles dicuntur, quæ aut legibus cõstitutæ, aut iure ciuili comprobatæ sunt: & tertium ab alijs petere, vt Romani à Græcis suas leges duodecim tabularum petebant. F. Rectè. P. Atque hæc quidem cum sint leges, quæ publicæ constitutæ, ad totam ciuitatem pertinent, sunt aliæ leges, quæ autoritate quidem publica, sed priuatim constitutæ, in certis priuatis rebus obtinēt: veluti quod testando, tradendo, contrahendo, talem legem suis rebus quis constituere potest, qualem vult, dummodo iuri communi non sit aduersa. F. Iam quæ secunda est legum origo? P. Quòd omne ius, quod inter homines particulatim existit, vel consensus facit, vel necessitas consti-

constituit, vel firmat consuetudo. Acciditur quidem consensu fieri, quod à legislatoribus supradictis ex voluntate & electione libera constitutum, à populo recipitur, vnde lex communis reipublicæ sponcio appellatur. Necessitate autem, quod à naturalibus necessitatibus proficiscitur, ad maris inundationes, pestem, famem, & alia eiusmodi vitanda, in quibus non liberè, sed coactè legislator procedit. Consuetudine verò, quod tacito populi vsu paulatim introducit: nam diuturna consuetudo pro iure & lege in his, quæ non ex scripto descendunt, obseruari solet. Et si de interpretatione legis quærat, imprimis inspiciendum est, quo iure ciuitas retrò in eiusmodi casibus vsa est: optima enim legum interpret, consuetudo. Et quidem cum iura, quæ ex consensu sunt, ab hominibus potissimum proficiscantur, quæ autem ex necessitate, à mundo præcipuè trahant originè, hæc quæ longa consuetudine existunt, à tacita Dei voluntate maximè oriuntur, nisi fortè ab errore sint, quod subinde contingit. F. Quæ denique tertia est legum origo? P. Quòd leges partim primariæ sunt, quæ non habet alias ante se, vnde deducuntur: partim secundariæ, quæ ab alijs deriuantur: partim mixtæ, quæ respectu inferiorum pro primarijs sunt, superiorum pro secundarijs. Ac fit quidem deriuatio vnus legis ab alia, post verborum interpretationem, de qua suo loco pòst dicetur: vel per consequentias, cum vnum ex alio efficitur & cogitur: vt si ad patronos libertorum hæreditas pertinet, quemadmodum lege duodecim tabularum pla-

cuit, debet & ad eos pertinere onus tutelę: quia ubi cunque successione est emolumentum, & tutelę onus esse debet: vel per exemplum, siue similitudinem, & imaginem, vt si patri deferenda est liberorũ successio, debet & patrono deferri libertorum: quoniam patronus imaginę & similitudinem gerit patris: vel media quadã ratione, quę consequentijs pariter & exemplis constat, veluti cum id quod legislator semel atque iterum fecit, ad exemplum trahitur, vt de fideicommissis scribitur, quę ab Augusto permanserunt. Debētque huc referri, quod lex ab vna specie subinde ducitur ad aliam, veluti quod lex Cornelia de falsis per senatusconsultum Libonianum producit ad testamenta. Et in iure ciuili, inquit regula, receptum est, quoties per eum cuius interest conditionem non impleri, sit, quod minus impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset, quod ad libertates, legata, & institutiones producit. Quibus exemplis stipulationes quoque committuntur, cū per stipulatorem factum esset, quod minus promissor conditioni pareret. Fitque nonnunquam, vt quod primum per deductionem obtinuit, post pro iure principali habeatur. Suntque regulę, quę ad deductionem vnus legis ex alia pertinent. quę sequuntur: Quoniam non omnia legibus comprehendi possunt, ideo de his quę primò constituuntur, aut interpretatione, aut constitutione optimi principis certius statuendum est, debetque is qui iurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita ius dicere. Nam

vt ait

vt ait Pedius, quoties lege aliquid vnum vel alterum introductum est, bona occasio est, cætera quæ tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione, vel iurisdictione suppleri. Quod contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentias. In his quæ contra rationem iuris constituta sunt, non possumus sequi regulam iuris. Quod non ratione introductum, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est, in alijs stilū non obtinet. Quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentū trahi. Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab alijs ad exemplum.

De partibus legum.

Tit. XX.

F. Nunc partes legum auco cognoscere. P. Partes legum sunt tres, proœmium, constitutio, sanctio. F. Quod est proœmium? P. Quod constitutionem præcedens vtilitatem legis, necessitatem, æquitatem, item rationem, causam occasionem, & alia eiusmodi ostendit. Nec non ipsum etiam authorem ad authoritatem legi conciliandam, veluti quod Dominus in lege sua Mosaica sepe interponit: Ego Dominus, Ego Deus vester, cum similibus. Vnde Platō magna parte artis Nomothetices ponit. bona proœmia scire legibus præponere. F. Constitutio autē? P. Quæ ipsam legis cōtinet voluntatē,
sua

siue simpliciter narrando quid iustum vel iniustum sit, siue iubendo, vetando, permittendo, siue alio quocunque modo aut forma, de quibus supra est expositum, idque adiecta subinde ratione ex principijs deducta, subinde verò non. F. Sanctio denique? P. Quæ constitutione sequens exhortationes ad seruandam legem proponit, nec non præmia, & pœnas, vnde leges pœnales appellantur, prout hæc omnia sæpe videre licet in lege Mosaica. F. Verum. P. Et quidem, cum præmium pro capite sit, cuius origo à doctrina est, de qua supra diximus: Constitutio autem pro corpore, quod substantiam ipsam legis continet, & vsum exercitiumque inducit: Sanctio pro pedibus est, quæ à disciplina originem trahit. F. Rectè. P. Ac versantur quidè omnia præmia pœnaque circa fortunæ, opum, & existimationis, corporisque & animi bona, nõ solum in hac vita, sed & post mortem ad superiores & inferos: nec nõ apud homines, ad memoriam conseruandam, vel delendam, conferunturque dictis, factis, vel dando auferendoque, & habent suos gradus, infimum, medium, & supremum. F. Probè. P. Nec verò omnes leges, omnibus istis partibus constant, sed aliæ tribus, aliæ duabus, aliæ vna duntaxat, siue constitutione, vt plerumque fit, quæ leges propriè vocantur: siue præmio, quæ præcepta sunt salutis & laudis, sed rectè facta vocantur: siue sanctione, quæ sunt iuramentum auocantia à peccatis.

De

*De effectibus legum.**Tit. XXI.*

F. Dehinc de effectibus legum reddito. P. Effectus legum sunt, quod aut statuunt aliquid, aut tollunt quod est constitutum, aut mutant. F. Quæ autem statuunt? P. Quæ quid decernunt, ut communiter accidit, sub quibus etiam comprehenduntur, quæ id quod ab alijs collectum ac digestum est, confirmant, cuius generis sunt confirmationes Iustiniani Imperatoris, Institutionum, Pandectarum, Codicis, ut diximus. Et quidem in omni legum constitutione & Deus inuocandus est, à quo in legibus sciendis primordia nobis sunt agenda, vnde donum Deorum lex dicitur: & prudentes consulendi, vnde consultum virorum prudentum: & populi consensus habendus, vnde communis rei publicæ sponso, quemadmodum & in iudicijs nonnumquam fit: ut cum consensu omnium ad quos res pertinet. siue maioris partis eorum iudex procedat, nec non in magistratibus creandis vel mutandis. Debentque omnes leges honestæ esse, inquit Isidorus, iustæ, possibiles, secundum naturam & consuetudinem patriæ, loco & tempori conuenientes, necessariæ, vtilis, manifestæ, non captiosæ, nullo priuato commodo ferentis, quod Tyrannorum est, sed pro communi ciuium vtilitate quibus feruntur, quod bonorum regum ac principum: & non de ijs quæ rarè, sed quæ sæpe accidunt, conscriptæ. F. Quæ tollunt quod constitutum est? P. Quæ vel

ex

ex toto veterem legem abrogant, vel derogant ei, partem aliquam auferendo, vt de lege Fusia Caninia tollenda, de caducis tollendis, de formulis sublatis, & alijs eiusmodi videre licet. F. Quæ mutant ? P. Quæ de vno genere in aliud legem perpetuam (nam temporaria permutatio ius prouinciæ non mutat) transferunt, vel aliquid illi adijciunt, vt de testamentis apud Romanos factum fuisse constat, vbi & de vsucapione transformanda est titulus. Nec est infrequens lege ipsa mutata, effectus tamen eius & qualitates antiquas ex toto vel ex parte manere, vt multa iuris ciuiliſ exempla demonstrant, & in rebus naturalibus sæpe quoque accidit. Et e contrario non est nouum, inquit regula iuris, vt quæ semel vtiliter constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit, à quo initium capere non potuerunt : Nam factum legitime retractari non debet, licet casus postea eueniat, à quo non potuit inchoari. F. Optime. P. Ac sunt quidem constituendarum, ac tollendarum, mutandarumq; legum causæ tres. F. Quæ vna? P. Quæ à rebus subiectis ducitur, de quibus leges feruntur. Nam cum in rebus istis inferioribus nihil secundum principia physica sit stabile, quod non oriatur, mutetur, occidat, vt & leges, quæ de ijs feruntur, partim orientur, partim mutantur, partim occidant, vtique necesse est, siue per se principaliter, siue per consequentiam accessoriè. Quod quidem secus est de rebus & legibus superioribus, quæ diuinitus constitutæ hominum quidem vitio obſcurari possunt, per se autem interire aut mutari

tari non possunt. F. Quæ altera? P. Quæ ab hominibus trahitur, quibus leges scribuntur: nam prout illi perfectiores aut imperfectiores sunt ac fiunt, ita leges quoque perfectiores aut imperfectiores ipsis sunt scribendæ: Sic ut non solum id quod optimum est videndum sit, verum etiam quid necessarium, tolerant, aliquid mali in lege, sine quo bonum, quod est questum, in ea non haberemus. Atque hac quidem ratione cum Moses rudi adhuc populo Israëlítico legem diuortij dedisset, Christus post deinde perfectum populum instituens, eam abstulit. Nec pauca extant in iure ciuili Romano circa formulas actionum, manumissionum, ac similibus, quæ aliter rudioribus adhuc temporibus, aliter ijs cultoribus factis fuere constituta. Quibus post accedens religio Christiana, plurima alia mutauit. F. Quæ tertia? P. Quæ à legislatoribus proficiscitur, qui iura condunt: nam cum more humani ingenij labi & errare possint, sæpe fit ut seipos vel superiores corrigant, & emendent, siue re melius intellecta, siue incommodis aliquibus ex priore lege ortis, aut captionibus quibusdam (quas sæpe mali homines ex legibus etiam optimis eliciunt) in ea animaduersis, & e contra: Sæpe enim tempore fit, inquit ille, ut quod plerunque turpe haberi solet, inueniatur non turpe. Et Iustinianus nonnunquam fieri ait, ut à iudicio discordet effectus, & quod credebat coniectura prodesse, experimento inueniatur inutile. Cui accedit, quod res aliter atque aliter inspecta, diuersas sæpe leges producit: nam unam & eandem rem multis modis

modis rectè habere se posse, iam antè demonstratum est: vnde fit, vt & animi affectio minime vitiosa, diuersarum legum fit causa, & vna mutatione per vnum legislatorè inducta, mox aliæ mutationes per alios inde deducantur, vel etiam vltro inde sequantur. F. Rectè. P. Omnino autem in hoc genere cauendum est, ne nisi maximis de causis leges mutantur: omnis enim mutatio etiam in melius periculosa est. Vnde Vlpianus: In rebus constituendis inquit, euidentis esse utilitas debet, vt recedatur ab eo iure quod diu æquum visum est.

De ijs quæ legibus accidunt.

Tit. XXII.

F. Restat de ijs quæ legibus accidunt vt dicas. P. Hæc cum generaliter sint, ortus siue expressus siue tacitus, per constitutionem aut consuetudinem: occasus siue expressus quoque siue tacitus, per sublationem aut desuetudinem, idq; directo vel per consequentiam: & status, nã quemadmodum ipsi homines ita & leges humanæ vt dictum est oriuntur, stant, & occidunt: Specialiter trium omnino sunt generum, quæ prima, secunda, tertia legum accidentia vocari possunt.

De primis legum accidentibus.

Tit. XXIII.

F. Prima legum accidentia quænam sunt? P. Quod omnes leges vel loquætes sunt, vel mutæ,
vel

vel mixtæ. F. Quæ loquentes? P. Magistratus vel quasi, per quos (præterquam quòd legibus mutis exequendis, iuuandis, & interpretandis seruiunt) multa fiunt, quæ legibus describi cõmodè non possunt. F. Mutæ autem? P. Leges constitutæ, quibus propterea opus est, vt intelligatur, quo iure in republica viuatur, & ne magistratus, pro suo arbitratu grassentur. F. Mixtæ verò? P. Iudicia, per quæ magistratus leges constitutas mandant executioni, vt suprà. cùm de principijs ex iustitia ageretur tactum est, vnde hæc manarunt. F. Probè. P. Et quidem præterquam quòd hæc tria mutua ope sæpe indigēt, vt antè traditum est, tum & alia alijs & ipsa sibi ipsis præsumunt, parent, & opitulantur. Nam quæ admodũ magistratũ & magistratus sunt, & leges, & iudicia, ita & legũ sunt leges, iudiciatq; & magistratus, & iudiciorũ iudicia, magistratusq; & leges. F. Præclarè. P. Cui accedit, q̄ horũ omnium certi quoque sunt gradus, minor, maior, maximus, siue magistratus spectes, siue leges, siue iudicia, in quibus sunt & arbitria, actiones, accusationes, & alia eiusmodi.

De secundis legum accidentibus.

Tit. XXIII.

F. Sequentia accidentia quæ vocas? P. Quod omnes leges vel expressæ sunt, vel tacitæ, vel mediæ. F. Expressæ quæ sunt? P. Quæ per se subsistentes clarè & apertè exprimunt quod volunt, siue statuendo aliquid, siue tollendo, siue mutando.

Z

tando.

tando. F. Tacitè autem? P. Quæ per se non subsistunt, nec quicquam exprimunt, sed ex alijs legibus per exempla vel consequētias dependēt. F. Mediæ verò? P. Quæ per se quidē subsistūt, verum non exprimunt clarè & apertè quod volunt, sed tegūt id figuris quibusdā & enigmatibus, vt in magnis & recondita quadam in ratione positis rebus, quæ vulgo prodi non debent, fieri solet, & in sacris literis passim videre licet. F. Intellego. P. Porrò omnes autē leges expressæ: vel sunt scriptæ, vel non scriptæ, vel mixtæ: F. Scriptæ quæ sunt? P. Quæ literarū monumentis sunt consignatæ, quibus in rebus maioribus sæpe vtimur. F. Quæ non scriptæ? P. Quæ consuetudine obtinuerunt, siue tacitè, longo populi vsu (quod principium externum esse tradidimus) per se nata, vt sæpe fit, siue à legislatore facta, vt nonnunquam in rebus minoribus, & tamen in republica necessarijs fieri solet, vnde sapientum legislatio à quibusdā vocatur. F. Quæ mixtæ? P. Quæ primum consuetudine introductæ, pòst scripto comprehenduntur, & econtrà, vt de donationibus inter virum & vxorem, & alijs similibus factum est. Suntq; eiusdem generis, cùm quæ princeps facit, semel atque iterum ad exemplum trahuntur, & in ius publicū transeunt. Ac quemadmodum quidam quædā vsu recepta, post scripto comprehenduntur, vt de noua ratione satisfidandi libro quarto Institutionum scribitur, ita econtrà quædam desuetudine non frequentata, post scripto delentur, vt de exceptionibus procuratoribus accidit.

De

*De tertijs legum accidentibus.**Tit. XXV.*

F. Reliqua legum accidentia quænam sunt? P. Quod omnes leges vel generales sunt, vel speciales, vel singulares. F. Generales quæ sunt? P. Quæ ad cunctos, qui in ciuitate sunt pertinent, vt quemadmodum oportet æquo iure inter se degant, de quibus dicitur, iuri publico priuatorum conuentionibus non derogari, nec quæquam efficere posse, vt leges in testamento suo locum non habeant. F. Quæ speciales? P. Quæ certum in ciuitate hominum genus spectant, vt iura militum, clericorum, professorum, & similiarum: quod & ipsum de certorum locorum in vrbe, & temporum, & aliarum rerum legibus accipe. F. Quæ singulares? P. Quæ in singulorum hominum priuilegijs consistunt: nam quanquam quidem vt plurimum iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur: subinde tamen id opus esse, singularia principia, de quibus antè dictum est, demonstrant. Fitq; haud parum sæpe, vt ex specialibus vel singularibus legibus fiant generales, vt de fideicommissis accidit. Quanquam tamen communis regula est, ea quæ singulari ratione contra communem iuris sunt tenorem, non esse trahenda in consequentiam, vt suprâ diximus. F. Rectè. P. Pertinentq; huc quoque iura singularia, cum ratione singulari aliquid præbetur vel irrogatur.

Z 2

Quo

Quo pacto leges per principia exponantur.

Tit. XXVI.

F. Dictum est de principijs, quo pacto erga leges se habeant: dictum item est de legibus, quo pacto se habeant ad principia, superest, quo pacto leges, per principia exponantur vt tradas. **P.** Consistit autem ea res in recta iuris ac legum interpretatione, quæ est triplex, scholastica, forensis, politica. **F.** Scholastica quæ est? **P.** Quæ circa nudam legis intelligentiam propriè versatur, sic dicta, quia in scholis maximè locum habet. **F.** Forensis autem? **P.** Quæ vsum etiam forensem spectat, vnde & nomen gerit. Nam multa esse, quæ apertiùs & perfectiùs quotidiano iudiciorum vsum in ipsis rerum documentis apparèt, quàm in scholis doceri possint, per se lucet, & Iustinianus prodidit. **F.** Politica denique? **P.** Quæ in senatu potissimum regnat & republica, à quo & ipsa appellata est, quanquã tamen omnes ferè sunt omniù, & in scholis quoquo modo attinguntur. **F.** Intellego. **P.** Ac est quidem prima eorum, qui leges docent ac discunt, quod Iurisconsultorum est: altera, qui eas exercent, quod iudicum siue Dicastarum: tertia quæ eas condunt, corrigunt, ac tollunt, quod Nomothetarum. **F.** Rectè. **P.** Tractabimus autem de singulis ordine, vt totam veri studij iuris rationem summatim complectamur, & in vnum quasi conspectum ponamus.

De

*De interpretatione scholastica.**Tit. XXVII.*

F. Ergo de scholastica interpretatione quid ais? P. Eius tres sunt omnino gradus à natura ducti, vniuersalis, generalis, specialis. F. Qui sic autem? P. Vniuersalis enim est, quæ totius iuris alicuius populi Atheniensis forcè vel Romani summam complectitur. Generalis, quæ ad singula membra siue titulos descendit. Specialis, quæ ad singulos articulos, hoc est singula legû capita sub titulis comprehensa. Estq; res perinde atque si quid eminus videas, quod primum animal esse cognoscas, deinde hominem, tum Titium aut Seium.

*De interpretatione vniuersali.**Tit. XXVIII.*

F. De vniuersali interpretatione quid dicis? P. Prima eius pars est, quæ quot totius alicuius iuris veluti ciuilis Romani libri (vt quò planius significem quod volo, in hoc solo exemplo consistam) & qui sint ostendit. Ac sunt hi quidè alij Isagogici Institutionum, alij principales Pandectarum & Codicis, alij accessorij Nouellarum constitutionum. F. Ita memini. P. Altera, quæ cuiusque libri titulos siue rubricas profert, & quo pacto inter se cohæreant, vnumque quasi corpus efficiant, & quid generaliter significant, demonstrat. Quod quidem in Institutionibus Iustiniani haud difficile factu est, quæ

non modo libris (quæ ratio artis expers est) sed & certis capitibus ex arte methodica deductis continentur. Necnon in Pandectis, quibus quod certa via atque ordine descriptæ sunt, Digestorum est nomen, atq; adeo in libris Codicis, qui à methodo Pandectarum non multum abhorrent. Cæterum in libro Nouellarum constitutionum fieri non potest, quoniam non rerum, sed temporum ordine ferè sunt digestæ: vt de omnibus his in supradictis libris Paratitlon latè videre licet. Estq; hæc cognitio methodica tam elegans, vt plærique artem ipsam iuris in ea collocent, sed reuerà tertio loco ab ea abest. Nam cum primo gradu sit ipsa iuris ac legum condendarum ars ac scientia, quam nomotheticen Plato vocat, secundo autem sint leges ex arte factæ, tertio demum loco succedit ars methodica, quæ leges ex arte conditas certa ratione atque ordine disponit, certisq; capitibus secundum genera & species describit, quam iuris artem etiam veteres nonnulli, sed per abusionem vocant. F. Optimè. P. Ultima huius interpretationis pars est, vt cuiusque tituli tum quidem significatio intelligatur, veluti circa titulum de pactis, quid sit pactum: tum autem lex eius generalis, vt pacta seruanda esse: tum verò ratio à principijs ducta, nempe nihil magis congruum esse fidei humanæ, quàm vt ea quæ placuerunt, seruentur. Et sanè haud parum profecerit, qui vniuersi iuris ciuilibus titulos hac ratione cognorit. Qua de re in maioribus commentarijs nostris iuris ciuilibus agitur. F. Ita aliquando abs
 te

te audiui. P. Atque hoc modo absoluitur prima pars studij iuris ciuilis, quæ tum quidem in simplici diuinarum & humanarum rerum notitia consistit, quæ Institutionum, titulorum, & significationis verborum cognitione communi continetur: tum autem in principiorum iusti & iniusti recta scientia: tum verò in eorundem principiorum, cum summis diuinarum & humanarum rerum capitibus coniunctione. Quibus tanquam veris fundamentis bene cognitis ac perceptis, reliqua facilia sunt, vti quæ ab ijs dependent.

De interpretatione generali.

Tit. XXIX.

F. Nunc generalem interpretationem quam vocas? P. Quæ cuiusque tituli summam exhibet, quæ duobus potissimum fit modis, addito tertio, quod vtrique accedere debet. F. Quis primus est modus? P. Cum, quis eorum quæ sub quoquo titulo sunt ordo fit, demonstratur, singulaque diuisionis capita ac membra explicantur: quod quidem in libris Institutionum nihil admodum habet difficultatis, quoniam non modo tituli ipsi, sed & ea quæ sunt sub titulis, certo ordine ac methodo constant. Atque idem quoque sentiendum esse de Pandectis ex eo apparet, quod plurimas sepe leges ex alijs atque alijs iuriscōsultis ita cōtextas videmus, vt vnã sententiam efficiant. Estque hæc ratio in Pandectis seruata, vt vel proposito edicto Prætoris, legëve aut senatusconsulto, ad eius interpretationem reliqua applicentur, vel certis

capitibus totus titulus distinguatur quæ licet non semper exprimantur, non difficile tamen (si quis diligenter animum attēdat) colligi possunt. Quanquam hæc omnia non ad viuum refecari, sed pinguius accipi debent. F. Quis alter? P. Cùm quis ipse certa quædã capita constituit, ad quæ vniuersa, quæ sub titulo sunt, legum capita reducit, quod in Codice nonnulli effecerunt: quoniam ibi leges non rerum, sed personarum, hoc est, Imperatorum, prout alij alijs successere, ordine sunt digestæ. Ac quantum ad Nouellas constitutiones attinet, vt plurimum vel vnam duntaxat rem tractant, vel si plures, ita vt ipse se ordo prodat. Fitq; his rebus *facillimè*, vt totius alicuius tituli summam ob oculos positam quis habeat. F. Tertium quod his accedere debet quod est? P. Vt singulorum capitum rationes exquirantur, eaq; ad principia sua reuocentur, quia reuera demum & perfecta iurisprudentia constat. F. Reuerà dicis. P. Atq; hæc quidem secunda pars est studij iuris ciuilibis, ad quã à superiore descenditur.

De interpretatione speciali.

Tit. xxx.

F. Dehinc specialis interpretatio quæ nã est? P. Quæ circa singulas leges, plenè & perfectè interpretandas enodandasq; versatur, cuius tres sunt partes, historica interpretatio, etymologica, & pragmatica, quibus quarto loco accedit analogica. F. Intelligo. P. Atque est historica interpretatio, quæ quid lex dicat declarat: Etymo
logica

logica, quæ cur ita dicat: Pragmatica, quæ vim eius & effectum explicat: & Analogica, quæ alias leges in speciem dissidentes cum ea conciliat. Ex quibus cum historica interpretatio ipsi legi inhaerent, etymologica autem supra eam feratur, pragmatica verò infra se dimittat, analogica per omnia pertinet, ut de singulis latius dicemus.

De interpretatione historica.

Tit. xxxj.

F. De interpretatione historica quid ais? P. Interpretationis historicae, quæ à grammaticis ac dialecticis principiis potissimum ducitur, primum ac maximum opus est, ut quidnam lex secundum subiectum & prædicatum velit, clarè & dilucidè proponat. F. Audio. P. Id verò his rebus septem continetur: Verborum obscuriorum interpretatione, circa quam iurisperitos diligenter versari sæpe animaduertere possumus: Antiquitatis, si qua ad rei intelligentiam opus est, replicatione: (nã alioqui rebus obsoletis multum inhaerere, superuacuum & fabulis simile esse, Iustinianus docet, qui & leges mutatas vtrò se ommittere sæpe admonet) Eorum quæ demonstrandi intellectus gratia noscenda sunt, præmunitione: Legis propositæ si res ita postulat diuisione: Speciei facti apta fictione: Totius in vnam summam coniectione: Et scripturæ vtrum rectè se habeat examinatione. Qua tamen in re sic versandum est, ut à scriptura communi & recepta non nisi summa necessitate cogente, & re euidenter comperta, & auctori-

thoritate publica recedatur. F. Intelligo. P. Atque illis quidem primarijs sic explicatis, deinceps videndum est, quo pacto virtutes & forme legis, itemq; naturalia & accidentia eius se habeant, quæ & ipsa diligenter notare cum resita postulat, ad civilem scientiam pertinet. F. Recte. P. Estq; toto hoc in genere interpretationis diligenter cauendum, ne aut apprehensis verbis legis, contra eius nitare voluntatem, quod vtiq; fraudem facere legi est: aut ijs neglectis à vera eius sententia aberres, quod non minus vitiosum.

De interpretatione etymologica.

Tit. xxxij.

F. De etymologica interpretatione sequitur vt dicas. P. Ad interpretationem etymologicã siue ætiologicã (nam & sic rectè vocatur) propriè pertinet, vt quæ vera legis ratio sit, (vnde prius nomen ducitur) & causa (vnde posterius) indaget. Qua quidè in re vna & anima ipsius legis, quæ interpretanda suscipitur, & vera scientia illius, qui eam interpretandam suscipit, consistit, adeo vt si eam ignoret, nihil norit. Ac cum historica interpretatio cum leguleis quoquo modo communis videri possit, pragmatica autem cum pragmaticis, & analogica cum vtrisque, hæc propriè veri perfectique Iurisconsulti est. F. Optime. P. Consistit autem in eo, non quidè vt leues quasdam & peruagatas tritasq; rationculas adferat, sed ad ipsa vera propriatq; principia suprâ commemorata, vnum vel plura secundum

cundum cuiusque rei naturam legem reducat, eiusque veram rationē à capite quoad eius fieri potest, accersat, & quibus causis eius constitutio contineatur, ostendat: quare fit, vt quo pacto leges inferiores ex superioribus tanquam filiæ descendant, & rursus ad eas tanquam matres referantur & ascendant, certa ratione ac via intelligatur. Nam quanquam quidem & alij quàm veri Iurisconsulti veras subinde rationes adferant, hoc tamen inter utrosque est discriminis, quod verus Iurisconsultus certa via ac scientia id facit: alius autem casu fortuito, vel longo rerum usu, sine certa scientia. Vnde Pindarus inter docti & indocti sapientiam hoc interesse ait, quod illa certa est & stabilis, quoniam certis rationibus ex principijs deductis tanquam vinculis in animo ligatur: hæc autem incerta, quoniam nullis certis principijs nititur. F. Præclare. P. Atque est quidem inter rationem, causam, & occasionem legis nonnulla differentia (quanquam nomina sæpe confundantur) Nam ratio est, quæ à principijs ipsis manans, in natura est insita: siue enim regio aggeres habeat siue non, sua sponte verum est, aggeres non esse perfodiendos. Causa, quæ rebus adhæret, & ab ijs non diuellitur: vnde si regio aggeres non habeat, nihil opus est, vt lex de ijs non perfodiendis feratur: sin autem habet, contrà. Occasio, quæ extra principia & rem ipsam posita, foris aduenit, mouens animum latoris legis ad aliquid faciendum, vel non faciendum: veluti, si ob perfossos aggeres, & damnum, quod

quod inde accidit, princeps impellatur, legem de non perfodendis aggeribus scribere. Atque hoc modo circa postulationē mulierum apud Romanos prohibitam, occasio erat improbitas Calpurniæ, causa communis vsus postulandi mulierum, ratio pudor sexus. F. Probè. P. In exquirendis autem rationibus hic ordo tenendus est, vt primum ratio dubitādi proponatur, si qua est, deinde autem decidendi quam vocāt, tum vtriusque inter se collatio, & quomodo vna alteram secundum ea quę dicta sunt superet, vel non. F. Rectè. P. Atque hæc quidem locum habent, non solum circa interiorem substantiam legis, vbi subiectum pariter & prædicatum diligentissimè secundum personas, res, & circumstantias, nec non statum coniecturalè, definitiuum & iuridicalem, consideranda, & ad sua principia reuocanda sunt, vnde mox vera ratio elucet, sed & circa exteriorem virtutē & formam, nec non circa naturalia eius & accidentia, si quæ fortasse se offerunt. (Nam nō omnia vbique locum habent.) Quorum & ipsorū causa indaganda & explicanda est, quæ est vera & perfecta ratio, qua iura legesq; per principia exponuntur. F. Probè. P. Nec mouere debet, quod Iulianus Iurisconsultus nō omnium quæ à maioribus constituta sunt, rationem reddi posse, ait, Cui subdit Neratius: Et ideo rationes eorum, quæ constituuntur, inquiri non oportere, alioqui multa ex his quę certa sunt, subuerterentur. Cū quo congruere etiam videtur, quod apud Lacedæmonios prohibitum erat, ne adolescentes in legum rationes inquirerēt:

Quo-

Quoniam id non eò pertinet, vt qui circa iuris & legum studia versantur, rationes earum tractare prohibeantur, sed ad hoc tantum, vt intelligatur, multa esse à maioribus constituta, quorum ob vetustatem ratio reddi nequeat, quæ tamen ob id non minus à populo seruari debent, atque si eorum ratio extaret. Imo verò non oportere vulgo rationes eorum, quæ constituuntur inquiri, sed simpliciter & absolute prout constituta sunt ijs esse parendum. Nam alioqui si quatenus rudis populus rationes eorum intelligit, vel non intelligit, ijs pareri debeat, vel non debeat, plurima subuertentur. Atque id quidem multò magis, si adolescentibus qui nullum adhuc certum habent animi iudicium, & parere debent, non imperare, permittatur, vt in legum rationes vulgo inquirent, & de ijs iudicent, vtrum recte se habeant nec ne. Cæterùm si id non vulgo fiat, sed ab ijs qui ei rei publicè præsunt, id quæ non apud quosuis, sed apud eos duntaxat, qui non ad parendum modò, sed & ad imperandum secundum iura & leges enutriuntur, atque id non eo animo, vt de legibus & earum autoritate iudicetur, sed vt verè & exactè per hoc intelligantur, addita cautione, si quæ sunt, quarum ratio non inuenitur, non ob id minus ijs esse parendum (cum leges tanquam Deæ sint in republica) sed nostræ tarditati esse imputandum, cui accedit, quod etiam durioribus legibus obtemperare oportet: nihil dubium est, quin non modo non illicita est eiusmodi rationum indagatio, sed vsque adeo secundum rationem instituti necessaria,

ria, vt si omittatur, nihil penitus agi videatur. Nam cum constet, eum qui reipublicæ iure ac legibus moderandæ præfuturus est, scire ac intelligere eas debere, animam autem scientiæ esse rationem: nam scire, est rem per causas cognoscere: vtique per se lucet caput totius rei, in rationum cognitione & indagatio-
 ne consistere. F. Præclarissimè profectò. P. Quanquam illud meminisse oportet, non omnium rerum æquè certas ac momentosas rationes reddi posse, sed prout quæque res sunt, superiores, inferiores, mediæ, ita vel veras earum rationes dandas esse, vel appa-
 rentes, vel medias siue verisimiles. Vnde Plato, rationes inquit vtique cum his rebus quas exprimunt cognationem quandam habere videntur. Ergo cum de re firma & stabili & mente comprehendenda differitur, stabiles similiter immutabilesque, & quàm maxime fieri potest inexpugnabiles rationes esse oportet. Cum verò de ipsius rei firmæ stabilisque simulachro disputatur, verisimiles rationes sufficiunt, quæ ita se ad superiores habent rationes, vt simulachrum ad exemplum: nam quod est ad generationem essentia, id ad fidem est veritas. F. Scite. P. Estque non minus vitiosum, res paruas magnis, quàm res magnas paruis rationibus astruere.

De

*De interpretatione pragmatica.**Tit. xxxiiij.*

F. Dehinc de pragmatica interpretatione red-
 dito. P. Huius triplex est munus. F. Quod est pri-
 mum? P. Vt ex lege proposita quædã animad-
 uersione digna eliceat ac notet, siue illa expres-
 sè insint, vt sæpe fit, siue tacitè : veluti cum ex
 specialibus legum constitutionibus quædam
 generales sententiæ eliciuntur, quod genus acu-
 tum est imprimis & fructuosum, dummodò
 modus adhibeatur. F. Quod alterum? P. Vt ex
 claris legis verbis tacita eius voluntas colli-
 gatur, siue arctiùs eam contrahendo, siue
 porrigendo latiùs, quod tum quidem ex
 verborum, tum autem ex rationis latitudi-
 ne & angustia dependet : nam si lex dicat, ge-
 nitorem honora, patrem honore afficiens-
 dum esse, expressum est, matrem, tacitū ex ver-
 bi genitoris & rationis latitudine. Nam vbi ea-
 dem est ratio, eadem quoq; esse debet iuris dis-
 positio. Estq; diligèter in hoc genere cauendū,
 ne aut omiſsa ratione legis verba eius nimis p̄-
 fractè vrgeas, fraudemq; voluntati latoris faci-
 as, quod sycophantarum est, aut contra omiſsis
 verbis rationem æquitatis amplius quàm oportet
 p̄ducas. Qua quidẽ re multos grauiter deci-
 pi Celsus ait. F. Quod tertiū? P. Vt non ea solum
 quæ expressè vel tacitè in lege insunt, sed & quæ
 in causam siue vim & effectū legis cadunt, inde
 educas: nã tamen si quidẽ propriè intestatus est,
 qui

qui testamentum non fecit, vi tamen & effectu pro intestato habetur, cuius testamentum nullum exitum habuit, vnde in eadem causam cum intestato cadere dicitur. Atque huc quidē pertinet, quod sæpe non ex verbis, sed ex interpretatione legis quid introductum fuisse dicitur, vt de legitima patronorum tutela, & circa primum caput legis Aquiliæ videre licet. F. Rectè. P. Atque hinc quidem fit, quòd variæ circa legem propositam quæstiones subinde mouentur, siue plenioris intelligentiæ causa, siue ad vim & effectum vsusq; eius demonstrandum. In vtroque autem diligenter cauendū, nè quid nimis.

De interpretatione Analogica.

Tit. xxxiiij.

F. De analogica interpretatione nunc auo cognoscere. P. Eius finis est, leges cōtrarias conciliare, quod tribus fit modis. Vno quo leges in speciem pugnantes non pugnare ostenditur, alio quo vna lex ad aliā trahitur, & tertio quæ ex vtroque miscetur. F. Quæ prioris sunt generis? P. Cū non solum verbis ipsis legis, quæ variè sæpe accipiuntur, sed & præcedentibus, sequentibus, coniunctis, item titulis, sub quibus ponuntur, & authoribus ac libris ex quibus desumptæ sunt, & alijs eiusmodi diligenter inspectis demonstratur, vel subiecto hoc est facti specie, vel prædicato nempe constitutione ipsa, eiusve virtutibus, gradibus aut formis, vel denique vtroque sic eas differre, vt recta differentiaratio

ratio reddi, & antinomia dissolui queat, quod genus acutum imprimis est, & ad ingenium circa principiorum indagacionem eorumq; pugnam & conciliationem exercendam accommodatissimum. F. Quæ alterius? P. Cum desperata superiore cõciliatione dispicis, vtra de duabus legibus contrarijs alteri cedere debeat, sic vt vel vires suas penitus amittat, vel secundum eã intelligi ac distingui debeat. Quod quidem tũ inde dependet, vt intelligatur, quo aũthore & tempore quæque lex condita est. Nam non est nouum inquit Paulus, vt priores leges ad posteriores trahantur, tum vt videas quonam modo verba cuiusque legis sint cõcepta, nempe vt ius faciant, an vero vt rem propositam rudi aliquo exemplo declarent, vt in libris Institutionũ sæpe accidit, tum deniq; vt dispicias, quibus principijs quæque lex nitatur, summi iuris ne an boni & æqui, phycis an ethicis, externis an internis, & sic deinceps. Ex quibus quæ præponderare debeant, ex re secundum ea quæ supra tacta sunt, statuendum est. F. Quæ tertij? P. Cum vtrumque conciliationis genus, circa vnam & eandem rem miscetur. F. Recte. P. Plane grauius autem toto in hoc genere peccant, qui ad antinomias dissoluendas scripturam pro arbitratu suo mutant. F. Reuera dicis. P. Atque hoc quidem modo absoluitur tertia & vltima pars studij iuris scholastici: quod in his generibus interpretationum consistit, quæ quidem non semper in omni parte iuris interpretanda locum habent, nec opus est vt eodem semper ordine ponantur, sed prout res proposita exi-

370 ELEMENTOR. IVRIS
git, ita doctè & cum ingenio illi debent applicari.

De interpretatione Forensi.

Tit. xxxv.

F. Post scholasticam iuris interpretationem explicatâ, deinceps (vt erat propositum) de forensi dicito, quæ iura legesq; in scholis cognitæ, in forûm & iudiciûm tanquam in puluerè & solem ipsumq; adeo discrimen & aciem producit. P. Hæc tum quidem in legis actionibus consistit, tum verò in quæstionibus fori. F. Quas vocas legis actiones? P. Cum à legibus ad res forenses descenditur, demonstrando tum quidem, quo pacto quæ legibus descripta sunt, in communi vsu vocentur ad intelligendum: tum autem quonam modo ad effectû deducantur ad cauendum, si forte testamentû condendum, negotium contrahendum, aut simile quippiam secundum præscripta legum faciendum est: tum vero quo pacto in foro exercentur, ad formulas actionum, exceptionum & aliarum eiusmodi rerum ritè in iudicio concipiendas. F. Quas quæstiones fori? P. Cum à quæstionibus propositis ad leges ascenditur, vt quid iuris secundum earum præscriptionè in ijs sit inuestigetur, ad quam rem & inuentione opus est & dijudicatione. F. De inuentione quid ais? P. Eius primum munus est, vt quidnâ in quæstione disceptationeq; sit intelligatur, quod primum ex intentione actoris, vt debes centum ex mutuo, & ratione defensoris, non debeo,

debeo, quia acceptum tulisti, constat: deinde autem ex firmamento actoris, non tuli. Nam ex rationis & firmamenti conflictione & quasi concursu quæstio exoritur quædam, quæ disceptatio vocatur, in qua quid veniat in iudicium, & de quo disceptetur quæri solet. Alterum est, ut inuento eo quod iudicandum est, dispicias qualenam id sit, hoc est cuius status, conjecturalisne an definitiui, an iuridicialis, ut supra est expostum. F. De dijudicatione autem? P. Eius tres sunt gradus. F. Quis primus? P. Ut posito eo quo de quæritur ab vna parte, & iure ac legibus descriptis ab altera, videas ecquid res proposita, quam totam semper inspicere oportet, ab omnibus suis partibus ac membris alijsque quibus contingitur, ne cuiusquam ius lædatur, ut bene Triphonius ait, legibus vna vel pluribus expressè vel tacitè, siue vi & effectu definita sit nec ne. F. Quis secundus? P. Si primo destituare, videas anne saltem ex legibus deduci possit, quod tum quidem per consequentias fit, ut ante diximus, tum autem per similitudines. Nam ad hæc duo capita plerique omnes loci argumentorum reuocantur. F. Quis vltimus? P. Ut si nec hoc quidem modo rem expedias, uti primum ad usum & consuetudinem secundum regulam iuris te referas, deinde ad res iudicatas, quæ pro veritate habentur, tum ad prudentum sententias & opiniones, & si nec hoc quidem modo res exitum inueniat, vltimum est, ut Nomotheta ipse hoc est princeps consulatur, quemadmodum & in iure controuerso fieri solet.

Aa

2

De

*De interpretatione politica.**Tit. xxxvj.*

F. Restat de politica iuris ac legum interpretatione ut dicas. P. Hæc est, quæ licet in scholis quoquo modo degustari debeat, ut ante tactum est, & in iudicijs superioribus minime omittatur, in republica tamen & senatu proprie locum habet, cuius partes sunt duæ. F. Quæ est vna? P. Quæ circa leges condendas, corrigendas, tollendas versatur, quod magnæ illius artis est, quæ Nomothetice apud Platonem (qui princeps ea de re conscripsit) dicitur. Quæ quidem quid iustum vel iniustum aliqua in re sit, indagatura, primum subiectum quo de agitur considerat, deinde prædicatum, tum vtrumque simul, ut quo pacto se habeant inter se, secundum iusti & iniusti principia dijudicet, ad legem ea de re condendam, corrigendam vel tollendam. Ac cum scholastica interpretatio à legibus ad principia ascendat, forensis autem à legibus ad quæstiones descendat, hæc supra vtramque collocata, rem propositam ab vna parte ponens, & principia iusti & iniusti ab altera, tanquam Ianus quidam bifrons, nunc hæc nunc illa spectat, & quo pacto se habeant inter se dijudicat. F. Quæ altera? P. Quæ circa leges conditas interpretandas, adiuvandas, supplendas versatur, quod alterius est artis minoris, cui Dicastice nomen est. Nam cum nullæ leges ita scribi possint, ut omnes casus qui quandoque inciderint comprehendantur, reliqua vel interpretatione, vel iurisdictione

stione, vel constitutione principis per consequentias & similitudines suppleri debent. F. Ita suprâ traditum memini. P. Atque ex his quidē duabus facultatibus in maioribus illis commētarijs nostris, quos diximus adumbratis, quæ hactenus tractata sunt, & post deinde consequentur, delibauimus, vt ad ea tanquam prima rudimenta exercitatus & agitatus animus ad maiora illa paulatim prouehatur, & ab inferioribus ad superiora quasi per gradus ducatur. F. Rectè. P. Qua quidem via siue facilis sit, siue difficilis, siue breuis, siue longa, omninò insistentium ei est, qui non cum leguleis & pragmaticis in secundis aut tertijs consistere, sed ad summa eniti, & in verum & perfectum Iurisconsultū, hominemq; prudentem, ac politicum euadere, eoque rectis studijs contendere velit.

De usu supradictorum.

F. Præclare me hercule narras, cæterum vt restanto melius intelligatur, placetne, vsum supradictarum interpretationum exemplo aliquo declarare? P. Enimuero tametsi in sequentibus ea de re potissimum agemus: quia tamen in genere duntaxat id fiet, secundum vniuersalem & generalem scholasticæ interpretationis formam: non videtur abs re, si & specialis interpretationis breue aliquod & facile exemplum proferamus, & quo pacto secundum historicam, etymologicam, pragmaticam, & analogicam interpretationem singulæ leges scholasticè exponi, & ad vsum forensem, & politicum trans-

ferri debeant, demonstramus, idque siue substantiam legis spectes, siue formam, siue mixtum ex utroque. Sumemusque ad eam rem, legem Diocletiani & Maximiniani Augustorum, sub titulo Codicis, Si certum petatur, cuius verba sunt: *Incendium ære alieno non exui debitorem.*

F. Ad substantiam huius legis primum intelligendam quid? historica eius interpretatio quænam est? P. Ut subiectum eius, & prædicatum intelligas, vnde & status mox apparet. F. Quod est hic subiectum? P. Debitor æris alieni, qui incendium passus est. Ac est quidem debitor in genere, à quo inuito exigi pecunia potest. Debitor autem æris alieni, qui non in specie ad certum aliquod indiuiduum tenetur, sed in genere ad certam aliquam quantitatem siue summam: nam hæc duo genera debendi esse, secundum physica & logica principia constat. Incendium verò, cum igni quid consumitur, siue domus, siue naus, siue horreum, siue aliud quippiam. F. Quod est prædicatum? P. Incendium ære alieno debitorem non exuere, quo minus ita uti ante vinculo obligationis indutus maneat, cuius contrarium est exui, quod per incēdium fieri negatur. F. Iam status huius legis qualis nã autem est? P. Haud alius sanè, quàm iuridicialis. Nam res perinde est, atque si interrogas: Si quidem Titius, qui centum in genere Titio debet, incendium passus sit, vtrum ære illo alieno iure exuatur: Et respondeatur, non exui: quod utriusque iuridicialis est status. F. Dehinc ad etymologicam interpretationem trãsito. P. Quoniam autem ea circa rationem ex principijs deducen-

ducendam versatur, cur incendium ere alieno non exuat debitorem, primùm quæ dubitandi ratio sit dicam, deinde quæ decidendi, tū quæ collatio sit vtriusque. F. Quæ est ratio dubitandi? P. Quòd constat incendio res interire, interitu autem rei liberari debitorem, secundū principia physica, tanquam deficiente materia, sine qua nulla est obligatio: quoniam obligatio est alicuius rei soluendæ, quod fieri non potest, postquam ea in rerum natura esse desijt, & impossibilium nulla est obligatio. F. Quæ decidendi? P. Haud sanè difficilis secundum eadem principia physica, per quæ manifestum est, quandiu obligationis vinculum durat, debitorem ære alieno non exui, quoniam vnum consequens est alteri. Durare autem obligationē inde constat, quoniam quantum ad rem debitā attinet, tamdiu durat obligatio, quamdiu res quæ debetur superest. Et quidem eam hoc loco superesse inde apparet, quòd genus hic debetur (cuiusmodi est certa quantitas æris, quod secundū rerum naturam neque incendio, neque quo alio modo speciali perit) quoniam præterquam quòd species quæ inferior est, in genus, quod superius, non agit: tum genus quoque non corpore constat, quod incendio cōsumi potest, sed idæa, quæ secundum primæ philosophiæ principia, perpetua est & incorrupta. Atque ab his quidem principijs manant, quæ in eandem sententiam varijs iuris locis extant, quæ hic exequi non est præsentis breuitatis, sed ab ijs qui ex professo singulas leges interpretantur, minime omitti debet. F. Nunc collatio vtriusque ratio-

nis dubitandi & decidendi quænam autem est?

P. Quòd scire oportet, quasdam res esse quæ incendio intereunt, & quasdam, quæ non intereunt. Intereunt autem, res speciales siue indiuidue, vt Stichus, Seius, quæ quidem in obligationem specialiter deductæ, siquidem incendio vel alio modo pereunt, quod fieri potest: quoniam in indiuiduis corporibus consistunt, vel ijs inhærent, liberant debitorem obligatione, secundum supradictam rationem dubitandi, quæ de illis intelligi debet. Non verò intereunt genera, de quibus secundum rationem decidendi dicimus, non liberare eas debitorem incendio, quoniam per id minime cõsumptæ semper extant: nam neque in indiuiduis corporibus consistunt, neque ijs inhærent. F. Ad pragmaticam interpretationem nunc est deuentum. P. Secundum hanc primùm extende siue amplia legem nostram, vt non solum de incendio intelligatur, sed & de naufragio, ruina, expilatione, & quibuscunque alijs casibus: quoniam non magis per ea quàm per incendium genera consumuntur, sic vt eadem in omnibus sit ratio. F. Intelligo. P. Deinde & in hoc eam amplia, quòd non modò in pecunia numerata, sed & in quauis alia quantitate vini, olei, frumenti, & aliarum rerum obtinet: quoniam omnibus generibus hoc commune est, vt nõ consumantur, & ob id in eandem omnino rationem cadunt. F. Verùm. P. Atque ad eò quidem supradicti casus non exunt debitorem ære alieno, vt non minus de eo conueniri possit, atq; si illi non extitissent: nam si manet obligatio, manet & consequentia & actio;

actio: quoniam est filia indiuidua obligationis, sic vt vbi est vna, fit item & alia. F. Restat ad analogicam interpretationem vti transeamus. P. Circa hanc primùm se offert, pecunia traiectionis, quæ periens mari, liberat debitorem, quod nostræ legi est contrarium. Sed ad hoc respondetur, id non ex natura principalis obligationis, qua de lex nostra tractat, contingere, sed alterius cuiusdam contractus causâ, qui cū principali obligatione nihil habet commune. Veluti si is qui pecuniam dat mutuam, qui vnus est contractus, per mare eam traieciendam suo periculo suscipiat, qui alter: quæ quidem quoniã secundum legem secundi contractus periculo creditoris perit, fit per consequentiam, vt debitor primùm liberetur, idq; ex accidenti, quoniã idem & creditor est, & periculum in se suscepit: cæterũ si essent diuersi, aliter se haberet. Adeo vt hæc res, & lex nostra toto subiecto differât, & proinde secundum ea quæ suprâ dicta sunt, nullam legum contrarietatem inducant. F. Restet. P. Deinde mouet, quòd mortuo seruo, qui noxam dedit, antequam ea de re ageretur, dominus liberatur à noxa luenda: quod tamẽ debitum est generis, & proinde legi nostræ aduersum. Verum ad id dicimus, legem nostram de eo debitore loqui, qui directò & per se obligatus est, idq; absolutè ad certam quantitatem: ceterum in noxali iudicio dominus non directè, & per se obligatur, sed ex causa serui sui, qui maleficium commisit, atque id non absolutè, sed alternatiuè, vt vel noxam luat, vel seruum noxam dedat. Qua quidem differentia bene animad-

uerfa, nihil mirum videbitur, quod Dominus liberatur. Nam cum non de suo, sed de serui facto conueniatur. consequens est, sublato seruo è medio ante cœptum iudicium, & per hoc liberato: ipsum quoque secundum principia physica liberari: nam accessorium sequitur naturam sui principalis. Et cum secundum principia ethica, mora tua non mihi, sed tibi debeat esse noticia: sequitur, vt tute tibi imputes, quod nō antè egeris, non autem in me redundet: quem si conuenias, non solum ea re grauabis, quod post extinctum morte malefictum ea de re agas, sed & quod eum, qui alternatiuè ad noxam luendam, vel seruum noxæ dedendum tantum tenebatur, ad noxam luendam præcisè (nam seruus mortuus noxæ dedi non potest) compellere velis, quod vtrumque & naturalibus & moralibus principijs est contrarium. F. Intelligo. P. Tū quæstionem quoque facit, quòd ea, quæ cum filiofamilias vel seruo ratione peculij contracta sunt, nullam vim habent, si tempore rei iudicatz nihil inuenitur in peculio: nam cum hac ratione debitum quantitatis interitu peculij pereat, constat, id manifestè cum lege nostra pugnare. Cæterum ad hoc respondemus, cum lex nostra de eo debito loquatur, quòd simpliciter & absolutè sine vlla relatione debetur, & ob id non habeat, cum quo pereat: debitum istud peculiare, non simplex esse & absolutum, sed ad peculium relatum, sic vt illi inhæreat, & consequenter cum ea secundum principia physica pereat: Vnde constat, nullam legum esse pugnã. F. Absoluta interpretatione scholastica, de forensi

rensi porrò & politica quidnam habes dicere? P. Sanè non multum: nam non omnia omnibus locis conuenire, iam diximus, quanquam tamen est aliquid. F. At quidnam autem? P. Quod quanquam ratione physica incendium ære alieno debitorem non exiit, vt dictum est: ratione tamen morali, aliquid circa eam rem difficultatis subinde existere potest. Nam quid si creditor in re lauta sit, debitor autem incendio omnes facultates suas amiserit, & tamen à creditore litibus & carceribus fatigetur: quod sane durum, & omnis humanitatis principijs cõstat esse contrarium. F. Quid autem est remedium? P. Equidem vt nulla sit obligatio, ope humana nequaquam effici potest: nam cum homo infra naturam sit, hæc autem obligatio sit naturalis, hoc est, principijs physicis constans, vt demonstratum est: patet per hominem eam non posse peruerti: cæterum quantum ad executionem obligationis attinet, quoniam ea ope fieri debet humana, nempe magistratus, certum est, in rationem humanam eam incidere, & proinde secūdam debitas iustitiæ formas dirigi posse, siue rem forenses spectes, siue politicam, habita ratione, non omne quod licet, honestum esse, vt supra diximus: nec omne quod particulatè iustum est, bonum esse & æquum. F. De re forensi quid ais? P. Sanè si neque spe, neque re quidquam sit in bonis debitoris, sic vt planè ei impossibile sit soluere, placuit ratione physica, quæ dicit, ad impossibile neminem teneri, vt cessione bonorum in foro facta, non possit amplius à creditore vrgeri. F. De politica autem

tem? P. Equidem si aliqua spes est melioris fortunæ, fit beneficio principis, ut tempus aliquod debitori concedatur, intra quod ab interpellatione creditoris fit liber, ad res suas agendas. Nam ut ita fiat, non modo per se bonum, æquum est, sed & creditori pariter & debitori commodum & utile. F. Quoniam de substantia legis est expositum, quid? an de forma eius hic aliquid est quod dicas? P. Non aliud profectò, quàm in simplici narratione eã consistere, qua quid iuris in re proposita sit, vel non sit, duntaxat declaratur, sine iussu aliquo vel vetito. Cuius quidem formæ secundum ea quæ suprà dicta sunt, illa est ratio, quod non ad singulorum vitam & mores hæc lex pertinet, in quibus ea quæ facienda sunt, iuberi, quæ non facienda, prohiberi solent: sed ad ius suum cuique per iudicem si opus est tribuendum, in qua re ut quid iuris sit, vel non sit, simplici narratione præscribatur, sat est, prout passim per vniuersum nostrum ius ciuile videre licet. F. Ergo de medio inter substantiam & formam restat ut dicas. P. Id autem est, quod cum suprà dictum sit, leges alias affirmatiuas esse, alias negatiuas: hæc negatiui est generis. Quod quidem ex eo accidit, quoniam consulti (ut videtur) principes, de quodam qui certo ære alieno obstrictus erat, utrum incendium, quod fortè passus erat, eum liberaret, responderunt non liberare. F. Ita videtur. P. Sed hæc quidem iam satis, quæ tam clarè ac simpliciter proponenda duximus, ut quæ vera iuris ac legum interpretandarum ratio sit, & quo pacto prin-

principia iuris, & quæ inde dependent, ijs applicari debeant (in quo maximum est momentum) breui aliquo exemplo ostenderemus. Quod quidem quonam modo, & quatenus imitandum sit vel non sit, pro cuiusque legis propositæ qualitate doctè, & cum ingenio, adhibita multa exercitatione debet æstimari.

Nam non omnia in omnibus, nec eodem modo, nec item cum eodem effectu locum habent. Nunc verò pergamus ad ea quæ sequuntur.



LIBER

LIBER TERTIVS.



Absoluta ergo priore instituti nostri parte, de principijs iusti & iniusti, & eorum vsu, quibus simplex, siue theoretica iusti & iniusti scientia cōtinetur, quid? visne de secūda, quę ad cōiunctā siue practicā iusti & iniusti scientiam pertinet, nunc te interrogem? P. Volo sanè, & quidem hæc est, quę quo pacto iusti & iniusti principia cum rebus coniungantur, easq; moderentur ac dirigant, ostendit. De quibus quidem rebus primum dicendum nobis est, quænam sint, deinde quōmodo diuidantur, tum quæ earū sint qualitatēs, vnde ad reliqua paulatim descendemus, & quo pacto ex supradictis principijs & alijs deducta sint, demonstrabimus.

Derebus. Tit. I.

F. Ergo res quænam autem hic sunt? P. Omnia ad hominem pertinentia, quæ in iusti & iniustificationem cadunt. Nam quemadmodum Medicina eas res in homine spectat, quæ ad salubria & insalubria circa corporis valetudinē pertinent: ita Iurisprudencia eas res hominis sibi habet subiectas, quæ iusti & iniusti circa animi rectam constitutionem sunt participes: nam quod corpori sanitas est, hoc animo est iustitia, proficisciturq; hæc res ex eo, quod suprà demonstra-

monstratum est: Iurisprudētiam, tum quidem rerum esse notitiam, quæ pro materia sunt: tum autem iusti & iniusti rebus immixti scientiam, quod pro forma.

De rerum diuisione.

Tit. II.

F. Quid? quónam autem pacto hæ res diuiduntur? P. In diuinas, & humanas. Quæ quidē diuissio inde manauit, quod antè traditum est, hominem, de cuius rebus hic agimus, tum quidem ad Dei imaginem ac similitudinem factū esse, vnde res diuinæ ortæ sunt: tum autem ex mundo ipsâq; adeo terra siue humo decerptū ac delibatum, vnde humanæ. F. Rectè. P. Et quidem cū res diuinæ sint, quæ ad Deum sursum referuntur: humanæ sunt, quæ ad humum deorsum vergunt.

De rerum qualitatibus.

Tit. III.

F. Qualitates harum rerum quænam autem sunt? P. Quòd omnes res diuinæ, publicæ sunt, tanquam ab eo dependentes, qui vt suprà docuimus, principium, medium, & finis est omnium, quæ ambitu suo coercens, omnia est in omnibus: humanæ verò priuata, tāquam inde deductæ, quæ particulatim à Deo sunt conditæ, cuiusmodi est terra, vnde homo est desumptus. F. Optimè profectò. P. Atque hinc quidem quoniam sit apud omnes vbique nationes, & proinde

inde etiam apud Romanos, quorum iure utimur, duæ vniuersi iuris sint positiones, circa quas tanquam cardines voluitur: publicum, quod diuina omnia & quasi, complectitur: & priuatum, quod humana. Nos de singulorum summis capitibus ex supradictis principijs deductis tractabimus. F. Probè. P. Ad quam quidem rem libros Institutionum Iuris ciuiliis eligentes, primum de iure ciuili publicè (quod tanquam diuinum & vniuersale meritò secundum ea quæ suprà dicta sunt, præcedere debet ante humana & particularia) secundum ordinem nouarum Institutionum nostrarum, quas hætenus desideratas ex Imperatoris Iustiniani libris, quorum cancellos non egredimur collectas, certa ratione atq; ordine digessimus, trademus: deinde autem de iure priuato, secundum Institutionum Imperatoris ordinem. F. Pulchrè. P. Quorum duorum librorum, summa capita siue rubricas pro institutæ scriptiois breuitate, secundum interpretandi formam vniuersalè, de qua dictum est, percurrentes, quo pacto inter se cohæreant, & quam significationem habeant, & quibus principijs suprà traditis nitantur, Deo adiuuante breuiter strictimq; ostendemus. F. Præclarè. P. Quibus rebus efficitur, vt tum quidem vniuersi iuris ciuiliis generalis quædam cognitio habeatur, tum autem quoniam pacto ex principijs dependeat, eoq; reduci debeat, intelligatur: tum verò quoniam modo in singulis enucleâdis ad eandem similitudinè ac formâ procedere oporteat, quasi præceatur.

De

*De iure civili publico.**Tit. III.*

F. Ergo ius ciuile publicum quidnam autem est? P. Quod vt habet titulus nouarū Institutio- num, *De iure civili publico*, ad statum rei Romanæ pertinet. Nam cum secundum principia politica, respublica sit corpus quoddam politicū, omne corpus autem secundum principia physica, tum quidem totum spectetur, tum autem per partes: ius publicum id est, quod totius corporis statum spectat, priuatum quod singulas partes & membra. Cui accedit, quòd cum supra traditum sit, homines vel singulos spectari, vel vniuersos, singulos ius priuatum, vniuersos publicum respicit, quo societas hominum potissimum deuincitur. F. Intelligo. P. Quæ quidem societas inde profecta est, quòd cum Deus hominem creasset, maremq; & foeminam fecisset, crescere eos & multiplicari iubebat, & replere terram: vnde factum est, quòd homo sociale, cōgregabileq; est animal, vt sub titulo *de origine iuris ciuilis publici*, demonstratur.

*De diuisione iuris ciuilis publici.**Tit. V.*

F. Quomodo autem partiris ius ciuile publicum? P. In duas partes, ex quibus vna sacra spectat, altera autem prophana, vt sub rubrica *De diuisione iuris ciuilis publici*, traditur. F. Quæ vocas sacra? P. Quæ ad Deum & eius Ecclesiam

B b

myste-

mysteriaq; pertinent, quæ interna sunt. F. Quæ prophana? P. Quæ hominem, & eius rempublicam, cum suis magistratibus, qui externi. Et tamen diuini, quoniam Dei vices gerunt, eiusque sunt viua imago, vnde & Dij in sacris literis vocantur. F. Optimè. P. Ac ducta quidem est hæc distinctio ex eo, quòd cum respublica hominis formam habeat, vt suprà traditum est, homo autem tum quidem animo, qui similitudo Dei, & internus est, constet : tum autem corpore, quod è terra sumptum est, & externum : circa rempublicam idem contingit, vt partim interna fit, quæ spiritualia tractat : partim externa, quæ temporalia : sic tamen, vt secundum principia iustitiæ vtraque regatur, & altera alterius ope iuuetur. Dicemus autem ordine de singulis.

De sacris & eorum partitione.

Tit. VI.

R. Igitur de sacris quid dicis ? P. Sacra sunt, quæ vt iam tactum est, & tractat latius titulus *De sacris*, ad Deum & sacrosanctam Christi religionem, eiusque Ecclesiam orthodoxam catholicam & apostolicam pertinent. Quam quidem Christum ipsum fundasse ex fontibus Euangelicis constat, vbi ipse ait, Ego dico quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. F. Probe narras. P. Ac cū ita quidem à Christo fuerit instituta: post per Apostolos & Pontifices, Sanctosq; Ecclesiæ Patres, acceden-

cedentibus pijs Imperatoribus, qui sacros non dedignantur imitari canones, per totum orbem fuit diffusa, vt videre licet sub rubrica *De sacrorum origine & successione*. F. Rectè. P. Et diuiduntur autem omnia sacra ad Ecclesiam hanc Catholicam pertinentia, secundum titulum *De sacrorum diuisione*, in personas ecclesiasticas à Christo ipso institutas, quibus hierarchia ecclesiastica, quæ cœlestis imaginem ac similitudinem gerit, continetur: & res ecclesiasticas, quibus reliqua descriptio Ecclesiæ secundum Christi ipsius doctrinam constat. Nam cum omnia, quæ à Deo condita, & in lucem edita sunt, homo sint & mundus, vt suprâ demonstratum est, hominum personæ propriè dicuntur, è mundo autè res deductæ sunt.

De personis ecclesiasticis, & earum diuisione.

Tit. VII.

F. De personis ecclesiasticis quid dicis?
 P. Hæ sunt, quæ Ecclesiæ Dei regendæ gubernandæq; præsent, siue potius seruiunt. Nam cum principia euangelica doceant, Christus alios pastores in ecclesia constituisse qui præsent, alios pro ouibus qui parent, illi ecclesiastici, hi laici vocantur, quasi populares dixeris. Estq; iâ suprâ demonstratum, cum de formalibus principijs ageretur, vt Iustitiæ ciuitas capax fiat, his & alijs distinctionibus esse opus. Ac quemadmodum in animo pars vna imperat, vt suprâ
 Bb 2 demon-

demonstratum est, altera autem paret: ita & in Ecclesia, & Republica necesse est. F. Quomodo autem diuiduntur? P. In clericos, monachos, & leſticarios, vt sub rubrica *De personarum ecclesiasticarum qualitate ac differentia*. videre licet. Quę quidem diuſio inde nata est, quòd vniuerſi orbis tres sunt regiones, vt ſuprà traditum est: vna ſuprema ſuperorum, quę ad Dei cultū (cuius proprię ſunt ſacra) pertinet: altera media hominum, quę ad vitę morumq; conformationem ac ſanctitatem: & tertia inferiorum, quę ad religionem circa deſunctos. Ac ſunt quidem clerici, qui ſacra procurant: *monachi*, qui vitę ſanctitatem colunt: *leſticarij*, qui mortuorum curam agunt. F. Rectè. P. Tractabimus autem primū de ſingulis, hoc est, de clericis, monachis, & leſticarijs, & eorū miniſtris, quod materię est ad eam diſtinguendam: tum autem de legibus, quę ad eos pertinent, quod formę, ad iuſtitiam in materiã inducendam.

De clericis. Tit. VIII.

F. De clericis primum reddito. P. His inde nomen est, quòd Deo conſecrati, ipſam ſortem hęreditatis naſti ſunt, habentq; originem ab Apoſtoliſ, ac diſcipuliſ à Chriſto ipſo inſtitutiſ, ad oueſ illiuſ paſcendaſ, quorum typum antè gerebant legiſ Moſaicę ſacerdoſ ac leuitę. F. Quomodo diſtinguuntur? P. Tribuſ omnino ordinibuſ, ſummo, medio, inſimo, vt prodiſ tituluſ *De clericorum diuſione*. Nam præterquam quod principia politica huiuſmodi in republica ordineſ eſſe oportere demonſtrant: tum & à Chriſto

Christo ipso, & eius Apostolis, eorumq; successo-
ribus fuere constituti. F. Qui sunt summi ordi-
nis? P. Pontifex Maximus, siue Papa Romanus,
patriarchæ, archiepiscopi, & Episcopi. F. De Pa-
pa Romano quid dicis? P. Eum successorem es-
se sancti Petri, cui Dominus dixit: Pasce oues
meas, quem omnium Ecclesiarum, inquit Iusti-
nianus, esse caput, & patrum regulæ ex euange-
licis principijs deductæ, iam inde ab Anacleto
Pontifice, & principum statuta à Constantino
Imperatore profecta declarant, vt latius osten-
dit titulus *De Pontifice Maximo Romano*. F. De
patriarchis autem? P. His ad imitationem pa-
triarcharum veteris testamenti inde nomé est,
quod quasi principes patrum sunt, vt docet ru-
brica *De patriarchis*. Suntq; numero quinque,
nempe papa vrbis Romæ, Constantinopolita-
nus, Alexandrinus, Theopolitanus, & Hieroso-
lymorum. F. De archiepiscopis verò? P. Illi inde
dicti sunt, quod principem inter Episcopos lo-
cum tenent, quorum secundum principia sin-
gularia, de quibus antè traditū est, multa sunt
priuilegia, vt habet rubrica *De archiepiscopis &
metropolitanis*. Qui quidem licet communi lo-
quendi vsu pro ijsdem accipiuntur, reuerà ta-
men metropolitani minores sunt archiepisco-
pis: nam sub ipsis constituti non iure dig-
nitatis ecclesiasticæ, sed metropolis duntaxat,
in qua degunt, minorum ciuitatum Episcopis
præsunt. F. De Episcopis denique? P. Hi sunt,
qui vt habet titulus *De Episcopis & Corepiscopis*,
quasi speculatores sunt gregis dominici, de

quibus Paulus: Attendite inquit vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiã Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ac cum Episcopi in vrbibus præfint, Corepiscopi in agro certis locis præfesse solent. F. Intellego. P. Estq; dignũ obseruatione, cum primũ vniuersale totius Ecclesiæ caput à Christo fuerit constitutũ, deinde aut per Apostolos Episcopi fuerint inducti, qui singulis vrbibus & regionibus præessent, post deinde aucta republica Christiana, cõstitutos fuisse Archiepiscopos, qui Episcopis, & Patriarchas q; Archiepiscopis, sub Põtifice maximo præfint: nã q̄ rebus paruis paucis, ea rebus auctis, multis magistratibus secundũ principia politica indigent. F. Iã medij ordinis quinã sunt? P. Episcopi, qui diuersorũ respectu hũc & superiorẽ locum obtinent, presbyteri, diaconi, & subdiaconi. F. De Episcopis quid ais? P. Hi quatenus alijs præfunt, superioris sunt ordinis: quatenus aut ipfimet sacra faciũt, huius: Pertinentq; ad eos tituli *De electione Episcopi*, quæ fit per suffragia ad imitationẽ electionis Mathiæ Apostoli, eaq; cleri & primorũ vrbis, qui tres offerũt Archiepiscopo, vt quẽ secundũ Pauli descriptionẽ maximẽ idoneũ iudicarit, inde sumat: *De ordinatione Episcopi*, quæ fit per impositionẽ manuũ Archiepiscopi, qua quidẽ gratiam diuinã cõferri demonstrat Paulus his verbis: Propter quã causam moneo te, vt resuscites gratiã Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum: *De officio Episcopi*, quod est, vt simulatq; ordinatus est, entronificum, quod more maiorum clericis Ecclesiæ

sua

suæ debetur, soluat: & si fortè abest, intra annū
 ad Ecclesiam suam veniat, ibiq; munus suum
 exerceat: quod in canonibus seruandis, iisque
 executioni mandandis, potissimum consistit:
 Et *De priuilegijs Episcoporum*, quæ sunt, vt à tu-
 tela gerenda (si velint) liberi, patria potestate si-
 mulatq; ordinati sunt, liberentur, tanquam ipsi
 iam patres populi effecti, quos priuati patris po-
 testati subiectos esse minimè decet: quoniam
 secundum ea quæ suprà tradita sunt, publica pri-
 uatis, sacra prophanis præferuntur. F. De
 presbyteris autem? P. His vt monstrat titulus
De Presbyteris, ab ætate grandiore, quæ rebus
 administrandis secundum principia politica
 conuenit est nomen, quos ad Ecclesiam sub
 Episcopis regendam ac gubernandam ab Apo-
 stolis constitutos fuisse docet illud Actuum:
 Et cum cõstituisent per singulas Ecclesias pres-
 byteros, & orassent cum ieiunationibus, com-
 mendauerunt eos domino, in quem credide-
 runt. Item Paulus ad Titum, cum ait: Huius rei
 gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corri-
 gas, & constituas per ciuitates presbyteros, si-
 cut & ego disposui tibi. F. De diaconis verò? P.
 Hos Apostolos ad hoc instituisse constat, vt dū
 ipsi orationi & ministerio verbi instant, men-
 sis pauperum ministrent, vnde & nomen ha-
 bent: nec non Episcopis & presbyteris serui-
 ant, vnde Paulus ad Philippenses scribens, Epi-
 scopis & diaconis salutem optat, vt sub titulo
De diaconis & diaconissis, videre licet. Ac sunt
 quidem diaconissæ, prout apud Epiphanium
 & Theodoretū proditur, quæ à viduis ac virgi-

nibus, quarum Diuus Paulus meminit, imo ijs quæ Christo ipsi ministrabant profectæ, in mulieribus baptizandis, & alijs ad pudorem fœmininum pertinentibus, episcopo & præbyteris operam nauant. Suntq; inter presbyteros ac diaconos, qui archipresbyteri, & archidiaconi vocantur, & diarijs inter eos distribuendis præfunt. F. De subdiaconis denique? P. Hi sunt, qui vt habet rubrica *De subdiaconis*, & nomen ipsum indicat, post diaconos ministrant, sic vt quemadmodum presbyteri se habent erga Episcopos, ad sacra facienda, ita illi se habeant erga diaconos, ad ministeria subeunda. F. *Dehinc infimi ordinis quinam autem sunt?* P. *acolythi, exorcistæ, lectores, ostiarij, vt demonstrat titulus de acolythis, exorcistis, lectoribus, & ostiarijs.* F. Quos vocas acolythos? P. Qui quemadmodum Apostoli Christum, ita Episcopum semper sequuntur, vt omnium actionum ipsius sint testes, quod in ijs qui rebus gerendis præsunt valde est opus. Ac quanquam quidem sacra non tractent, non tamen repelluntur ab ijs, gestantque cæros in Ecclesia, vnde & cæroferarij vocantur. F. Quos exorcistas? P. Qui ad exemplum exorcistarum, quos Salomon instituerat, constituti in Ecclesia, manus energumenis imponunt, prout de infirmis, Apostolis Dominus ipse præcipit. Pertinetq; eò secundum Rabanum illud Pauli, Nunquid omnes donationes habet sanationum? Hi enim cum ordinantur, accipiunt de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente eis Episcopo: Accipite & commendate memoriæ, & habete potestatem

tem imponendi manus super energumenos, siue catechumenos, vt imperetis immundis spiritibus & abijciatis. F. Quos lectores? P. Qui tū quidem recitando explicandoq̄, prout Dominum ipsum fecisse constat: tum autem cantando, qua de re apud Paulum est, sacras scripturas legunt in Ecclesia: quod vtrumq̄ ad legem Dei cognoscendam, & iustitiam eius in homines infundendam, apprimè vtile esse, principia formalia demonstrant. Ac quemadmodum quidē exorcistæ malo tollendo, quod vnus partis iustitiæ est, ita hi bono inducendo, quod alterius, seruiunt. F. Quos denique ostiarios? P. Qui fores Ecclesiæ seruant, ne qui indigni admittantur: quod & circa tabernaculum veteris testamenti fiebat. Atque vti acolythi Episcopo seruiunt, qui animarum curam gerit, quod internum est: ita ostiarij fores templi custodiūt, quo homines recipiantur, quod externum, absque quo internum non rectè procurari posse suprā traditum est, cum de principijs formalibus ageretur. F. Ita memini. P. Ergo quæ ad clericorum tres ordines, eorumq̄ summa capita pertinent, hæc sunt, quæ tum quidem ad similitudinem Pontificis maximi, sacerdotum & leuitarum veteris legis, introducta fuere: tum autem ex eo, quòd in omni re bene gerenda, & eos qui præsunt secundum principia politica esse oportet, quòd maximi ordinis est: & eos qui seruiāt, quòd minimi: & eos qui rem gerant, quòd mediij. F. Intelligo. P. Cui accedit, quòd cum duodenario numero omnia contineantur: id non solum cum duodecim tribus Israël, & Apostolis

duodecim, nec non duodecim portis. nouæ ciuitatis Ierusalem, congruit: sed & cum eo, quod secundum numerorum principia plena perfectæ iustitiæ, cuius administratio ad clericos maxime pertinet, duodenario numero, qui ex diapason & diateffaron constat, continetur.

De Monachis.

Tit. IX.

F. Deinceps de monachis velim vt reddas. P. Hi sunt, qui vt sub titulo *De Monachis & eorum diuisione* traditur, pietatis & virtutis rectius excolendæ causâ, secundum Euangelicorum consiliorum principia Deo se & sua dedicantes, à cœtu hominum tanquam in portû in solitudinē se recipiunt, vnde monachi tanquã solitarij vocantur. De quibus Iustinianus: Conuersationis, inquit, monachalis vita sic honesta est, sicq; cõmendare nouit Deo hominē, vt omnē eius maculã detergat, & plurima secundum mentem operantē, & suis cogitationibus superiorem reddat. F. Probè. P. Atque hoc quidem vitæ institutum à Christo ipso in solitudine degente, eoq; orandi causâ sæpe se recipiente, quẽ admodum & præcursor eius Ioãnes Baptista faciebat, deductũ, mox sub Apostolis mirificè adaugeri, & à plurimis coli cœpit, de quibus Paulus ad Hebręos: Alij, inquit, circumierũt in mellõtis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis,

&

& in cauernis terræ. Nec aliò pertinent, quæ de supplicum virtutibus, siue de vita contemplatiua Philo scripta reliquit. F. Optimè. P. Sunt autem omnes monachi trium omnino generum, nempe Anachoritæ, qui à mundo penitus secedentes, in solitudines ad imitationem Christi se abdunt, vnde & heremitæ vocantur. Hesichiaistæ, qui silenter ac secreto vitam monachalè degunt, sequentes illud Christi: Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito. Et cœnobitæ, qui nihil particulatim suum habentes, communè inter se vitam degunt, ad imitationem illorum temporum (vt in Actis Apostolorum scribitur) multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. De quibus dicendum nobis est, quos magistratus habeant, quas leges, & quæ iudicia: nã his tribus in omni vitæ societate opus esse, iam supra est demonstratum: & denique qui & quomodo rectè fiant monachi. F. De magistratibus monachorum quid ais? P. Hi vt sub rubrica *De præfectis monachorum* traditur, vel singulis monasterijs præsumt, vt Abbates, quasi patres dixeris, quoniam non herile, sed paternum inter eos est imperium: nec non archimandritæ, qui vt speluncarum monachalium præfecti sic vocantur: nec non antistites: vel integris omnium monasteriorum alicuius prouinciæ conuentibus, vt exarchi siue synoditæ, quibus à synodis, quibus præfident nomen est: vel medio quodam modo se habent, vt perieritæ,

deritz, qui monasteria alia post alia visitandi causa circumeunt. Nam his autem magistratibus & rebus ad legum custodiam in omni humana societate opus esse tum quidem principia politica, tum autem Apostolorum instituta cum ijs congruentia demonstrant. F. De legibus autem? P. Hæ ex consilijs perfectionis Evangelicæ deductæ, & ad vitam monachalem accommodatæ, vt sub titulo *De regula Monachorum*, habetur, tum quidem animum, & eius conformationē spectant, tum autem corpus, tum verò habitum. Primi generis sunt, Vt ingredienti monasterium se & sua Deo dedicent, Animum ad Deum intentum erectumq; habeant, Lectioni sacrarum literarum incumbant, Opus ad otium pellendum faciant, Communiter inter se viuant, Cibum vnà capiant, Vno in loco, suo quisque in strato dormiant, Iuniores cum senioribus coniungantur, Nihil quisquam suū possideat, Conclusi degant, Domi se contineant, Solius rei diuinæ causa, si ædem sacram monasterium non habet, cū præfule & primoribus prodeant, Mulieres ne sepulturæ quidem causa in monasterium admittant, Denique cum cœlestem vitam affectent, res terrenas despiciant, ac pro nihilo ducant. Secundi generis est, tonsura monachalis, quæ tum quidem ad capitis ornatum, qui in capillis potissimum consistit, tollendum inducta est: tum autem ad imitationem veteris legis, qua præcipiebatur, vt Nazareï, qui Deo se vouebant, & alij qui aliqua re inquinati essent, radendis capillis se purgarent: quod & Diuum Paulum fecisse, in Actis Apostolorum

pro-

proditur. Tertij generis sunt, vestes monachales, quæ contrariæ mollibus vestibus eorum, qui vt Dominus in Euangelio ait, in domibus regum sunt, foris ab omni pompa externa absunt, intus autem sacci sunt & cilicia, quorum Dominus quoque meminit, cum ait: Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Et Dauid: Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio. Nec alio pertinent verba Pauli suprâ relata. F. De iudicijs verò? P. Ordo qui in his seruatur secundum titulum *De indicijs Monachorum* est, vt si quis monachus minus officium faciat, primum ab antistite admoneatur, deinde si opus est concludatur, aut quo alio modo coërceatur: tum si id non prodest, è monasterio eiiciatur. F. Restat vt quo pacto, & qui monachi rectè fiant, exponas. P. Enimvero id traditur sub titulo *Qui & quomodo rectè fiant monachi*. Et quidem cū res monachalis sit diuina: apud Deum autem qui suprâ est nulla sit acceptio status personarum, quæ infrâ: admittuntur ad vitam monachalem haud secus atque ad religionem Christianam secundū Paulum, non modò liberi, sed & serui. Ac cum naturaliratione, omnia initia sua habere debeant, & progressus, donec ad perfectionem & statum sit peruentum, ratio qua monachi fiunt, est, vt ad habitum ac tonsuram monachalem nemo admittatur, nisi triennium continuum in monasterio degerit, ibiq; sacris scripturis tractandis, & officijs monasticis obeundis, talem se abbati probauerit, vt non labæ aliqua conscientiz,

entia, sed studio pietatis eo se contulisse, & sacrosancta illa societate planè dignus videatur. F. Intelligo. P. Atque hæc quidem cum circa masculos, quantum ad institutum monachale ita se habeant: Sunt itè & fœminæ, virgines, & viduæ eiusdem instituti, abijs deductæ, quarum sacrosancta Euangelia & Apostolus Paulus meminerunt. Nominantur autè ascetriæ, & sanctimoniales, à virtutis & sanctitatis exercitio: monachæ, & monastriæ à vita solitaria. Gestantq; certum habitum religiosum, quo ne mulieres, quæ ludicras vel turpes artes exercent induantur, lege est prohibitum. Et parent suis rectoribus, quæ Antistites, Magistræ, & ostiariæ vocantur, vt sub titulo *De ascetrijs* videre licet.

De lecticarijs.

Tit. X.

F. Nunc de lecticarijs quid habes dicere? P. Hi (vt est sub rubrica *De lecticarijs, & ijs qui funera curant*) sunt, qui mortuos pietatis causa (nam sanctum id per se opus esse, Deoq; gratū, sacre literæ testantur, & in Tobia speciatim laudatur) in lecticis, à quibus nomen habent, efferrunt, vnde copiatæ quoque à ferèdi labore vocantur. F. Rectè. P. Habent autem suos decanos quibus parent (quanquam & omnes subinde decani vocantur, quia deni inter se viuunt) & ergasteria, siue officinas, aut tabernas, in quibus degunt, & diaria vnde viuunt: nam qui altari seruit, de altari secundū diuinæ legis principia

cipia debet viuere : & priuilegia (quæ secundum principia singularia subinde irroganda esse suprâ dictum est) quibus fruuntur. Vnde mille centum officinæ sacrosanctæ maioris Ecclesiæ Constantinopolitanæ à muneribus plarisque omnibus excusantur. F. Probè. P. Dum autem funus efferût, adsunt acolythi & ascetriæ, ad cæreos portandos, & hymnos funebres cantandos. Ex quibus ascetriæ quoniam secundum certam regulam viuunt, etiam canonicæ in iure nostro ciuili vocantur.

De ministris Ecclesiasticorum.

Tit. XI.

F. Iam de ministris ecclesiasticorum dicito. P. Hi sunt, qui res externas Ecclesiasticorum agunt, vnde & actores generali nomine sub titulo *De ministris Ecclesiasticorum*, vocantur. F. Audio. P. Speciatim autem primùm sunt œconomi, ad quos generalis Ecclesiæ vel monasterij circa res externas cura pertinet: deinde defensores & apocrisarij, siue responsales, qui lites eorum persequuntur ac defendunt: tùm chartularij, qui archiuo præsunt: & chimuliarchæ, qui thesauros seruant. F. Intellico. P. Quos quidem secundum principia Euangelica & cautionalia res ecclesiasticorum agere veteres voluere, ne illi rebus alienis, hoc est prophanis intèti, ab suo proprio rerum diuinarum pulcherrimo munere auocètur. Quod spectans Petrus in Actis Apostolorum, Non est æquum, inquit, nos derelinquere verbum

bum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonij septē, plenos spiritu sancto & sapientia, quos cōstituamus super hoc opus. Nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus.

De legibus Ecclesiasticorum.

Tit. XII.

F. Restat de legibus Ecclesiasticorum vt exponas. P. Hæ partim sacris literis continentur, quas quo pacto Hebraicè, Græcè, Latine, & cuiusque gentis lingua legere oportet, à Iustiano luculenter est traditum: partim per canones ac leges, quæ per consuetudines ac similitudines, de quibus supra differuimus, inde sunt deductæ. F. Rectè. P. Harum summa sententiæ ex titulo *De legibus Ecclesiasticorum* sunt: Ordo clericorum vitio vacat, Canonēs seruant, Ab alea spectaculisq; abstinent, Quenquā manu percutere religio est, A iudicijs alijsq; negotijs publicis se remouent, Episcopi & monachi tutores curatoresq; ne sunt, Presbyteri diaconi & subdiaconi ita desunt, Ad legitimam propinquorum tutelam vocabuntur, Publicane conducunt, Alienarum rerum concinnatores redemptoresq; ne sunt, Suam quisque Ecclesiam obito, Alienam maioremq; deserta propria ne affectato, Sacrae oblationis preces & baptismatis ritè concipiunt, Rei diuinæ faciendæ pietatem adhibent, Opes amouent, Ex diarijs viuunt, Ea quæ nec adferunt ne percipiunt.

unto. Si quid ex dimenso superet, in veros pauperes eroganto. Ordinandi clericos apud Episcopum potestas esto, Quos idoneos repererit ordinato, Nec idoneos repellito, Ad Deum castè adeunto, Pacem, fruges, & reliqua bona, intercessione sua apud Deum procurato. F. Probè. P. Manare autem has leges plurasq; omnes ex Euangelicis & Apostolicis principijs ac fontibus, quæ tum quidem ad auaritiã, libidinẽ, & reliquas mundi vanitates & spinas vitandas: tum autem ad Deum colendum, proximumq; iuuandum, & Ecclesiam verbi & orationis, sacramentorumq; ministerio regendam ac gubernandam pertinent: per se nisi fallor lucet: nam vt singula particulatim persequamur, non est huius breuitatis.

De rebus Ecclesiasticis.

Tit. XIII:

F. Post personas Ecclesiasticas explicatas, agemus de rebus ecclesiasticis post deinceps tractemus. P. Hæ in tribus omnino consistunt, doctrina ecclesiastica, institutis ecclesiasticis, & disciplina ecclesiastica. Quæ diuisio inde proficiscitur, quod secundum eã quæ suprã, cū de principijs formalibus ageremus, docuimus, tria sunt, per quæ iustitia in hominem & rem publicam inducitur: doctrina nempe, quæ ad intelligentiam informandam pertinet: disciplina, quæ ad voluntatem: & vsus, qui ad memoriam, vt sub rubrica *De rebus ecclesiasticis & earum*

402 ELEMENTOR. IVRIS
divisione traditur. Dicendum autem est de singulis.

De doctrina Ecclesiastica.

Tit. XIII.

F. Ergo de doctrina ecclesiastica quid ais? P. Hæc est, quæ catholicæ & orthodoxæ, apostolicæq; fidei descriptionem continet. F. Ea autem quænam est? P. Vt secundum Euangelicam disciplinam, apostolicamq; doctrinam, patris, & filij, & spiritus sancti, vnam deitatem sub pari maiestate & pia trinitate credamus. F. Bene habet. P. Quam quidem doctrinam qui amplectuntur, Christianorum catholicorum nomen habent, reliqui autem, hæretici dogmatis vafarianiam sequentes, dementes vafariq; iudicantur. F. Rectè. P. Prohibeturq; ne publicè de ea contendatur, ne contra principia Euangelica sanctum detur canibus, aut proijciantur margaritæ ante porcos, qui conuersi dirumpant nos. F. Probè. P. Et verò non satis est, hanc fidem ac doctrinam animo conceptam habere, nisi verbo quoque ac factò palàm & publicè eam profiteri. Nam quicumque inquit Dominus, confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei: qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei. F. Optimè. P. Ac quoniam quidem secundum principia Euangelica religio Christiana caput est vniuersæ reipublicæ, ac societatis humanæ, sic vt eius fermento omnia quo ad eius fieri potest fermentari debeant,

beant, vt antè traditum est, nemo ad rempublicam regendam admittitur, nisi sacrosanctam fidem catholicam publicè profiteatur, vt demonstrent rubricæ *De doctrina Ecclesiastica fideque catholica & de confessione fidei catholica.*

De institutis Ecclesiasticis.

Tit. XV.

F. Iam instituta ecclesiastica quænam autem sunt? P. Quæ ad vitam & mores conformandos pertinent, vt habet rubrica *De institutis ecclesiasticis, & eorum dimissione* F. Intelligo. P. Ac sunt autem trium generum: nam vel ad Deum pertinent, vel ad homines, vel ad mortuos, vt de personis modò diximus.

De institutis Ecclesiasticis ad Deum pertinentibus.

Tit. XVI.

F. Instituta ecclesiastica ad Deum pertinentia quæ vocas? P. Quæ ad cultum pertinent diuinum. Consistuntq; secundum ea quæ suprâ tradita sunt, in locis, temporibus, rebus, & personis sacris, quibus quatuor omnes omnino ritus ac cerimonie continentur, sine quarum cõstitutione (quantumcumque parua videatur) nulla omnino religio in republica secundum principia politica & formalia consistere potest, non magis quàm vinum in dolijs sine circulis

contineri. F. Rectè. P. Nam quanquam quidem singuli omnibus locis, temporibus, ac rebus, Deum colere debeant : vniuersi tamen regi ac gubernari rectè non possunt , nisi certis locis, temporibus, rebus, ac personis ciuitas sit descripta. Cui accedit secundum principia imperfectionis, quòd cum ea sit naturæ humanæ imbecillitas, vt semper, vbique, & in omnibus id omnes facere non possint : saltem quibusdam in locis ac temporibus , rebusque ac personis id fiat.

De locis sacris:

Tit. XVII.

F. De locis sacris quid dicis? P. Hæc sunt: Tèpla siue ecclesiæ, quo ad rem diuinam conuenitur, vt Resurrectionis, Sophiæ, Irenes Constantinopoli : Martyria, vbi sanctorum martyrum corpora adseruantur, quæ emi & vendi prohibentur: nam quod Deo consecratum est, extra commercium humanum est positum : Oratoria, quæ ad preces ibi faciendas fiunt, quod citra scientiam Episcopi, qui rebus sacris præest, & nisi necessaria præbeantur, ne res illusoria fiat, non licet. Monasteria, vbi monachi degunt, & Ascetria vbi monastriæ siue sanctimoniales. Et cœmeteria, vbi corpora eorum, qui in domino obdormiuere, reponuntur. F. Audio. P. Quorū quidem omnium origo, secundum sacræ scripturæ principia iã inde à Christo ipso, qui quotidie templum adibat, & in synagogis docebat: & Apostolorum patrumque temporibus, apud quos

quos plurima eiusmodi extāt, repetitur, vt sub titulo *De locus sacris* proditur. F. Intelligo. P. De his Honorius & Theodosius Imperatores: Fidei, inquit, deuotaq; p̄ceptione sancimus, nemini licere ad sacrosāctas ecclesias fugientes abducere, sub hac videlicet definitione, vt si quisquam contra hanc legem venire tentaue- rit, sciat se maiestatis crimine esse retinendum. F. Probē. P. Manat autem hęc res à principijs singularibus, à quibus priuilegia omnia profi- cisci suprā traditum est: vnde fit, vt ne quid in loco sacro fiat, quod odiosum est, prohibeatur: & vt in ecclesia manumitti possit, quod fauora- bile, permittatur.

De temporibus sacris.

Tit. XVIII.

F. Tempora sacra quænam sunt? P. Quæ vt habet rubrica *De temporibus sacris*, rebus diui- nis sunt destinata, vt in lege Domini, vnde ma- narunt, videre licet. F. Capiō quid dicas. P. Ac vocamus quidem res diuinas, quæ ad Dei cul- tum, ieiunia, lætanas, iusta mortuorum, & alia eiusmodi pia exercitia pertinent, quibus sua quæque tempora in memoriam eorum, quæ Christo & eius Sanctis acciderunt, in sacrosā- cta ecclesia secundum principia ciuilia ad eam tanquam Dei ciuitatem pertinentia, vt suprā tactum est, sunt descripta. Quæ tum quidem in annuis anfractibus cadunt, vt festa Paschæ, na- talis Domini, Epiphaniarum: tum autem octa-

uo quoquo die recurrunt, vt dies dominici. F. Teneo. P. De ijs Leo & Anthenius : Dies festos, inquit, maiestati altissimi dedicatos, nullis volumus ludis occupari, nec vllis exactionum vexationibus prophanari.

De rebus sacris.

Tit. XIX.

F. De rebus sacris iam vt dicas expecto. P. He partim in actionibus consistunt, vt sub titulo *De rebus sacris* scribitur, quæ lyturgiæ generali nomine vocantur: partim in corporibus, & quæ ad ea iura incorporalia referuntur. F. De lyturgiis quid ais? P. Ad eas primû pertinet sacrosancta baptismatis, quod iterari nõ potest, & cõmunio veri corporis & sanguinis Domini, aliæq; myteria siue sacramenta, quæ à Christo ipso, vt vt suprâ traditû est, publicè in ecclesia (vnde in priuatis domibus fieri prohibentur) fuere instituta, ad veram religionem & iustitiam in hominem & rem publicam inducendam. Deinde sancta ministeria & officia hymnorum, precû, lectionum, lætaniarum, supplicationum, & similibus, quorum euangelica & apostolica scripta sunt plena, & ad iustitiam in ciuitate constituendam, vsum eorum necessarium esse, formalia principia demonstrant. Tum sacra vasa, vestes, cruces, luminaria, & alia de genere eodem, quibus ad sacra ministeria officiaq; peragenda est opus, vnde tanquam accessoria eorum & ipsa in pretio & honore haberi iubentur. F. Quid de ijs quæ in corporibus consistunt?

stunt? P. Hæc sunt prædia, fundi, domus, tabernæ, & alia eiusmodi, cum suis iuribus ac seruitutibus, ex quibus, rebus superioribus & personis ecclesiasticis sumptus suggeritur. Nam quemadmodum in hac vita anima sine corpore, ita nec res internæ sine externis consistere possunt. Atqui horum quidem omnium uti acquisitio fauorabilis est, religionis causa (nam summam rationem esse, quæ pro religione facit, etiam Papinianus prodidit) ita alienatio (quoniam contrariorum secundum principia logica eadem est disciplina) odiosa, & legibus prohibita est: partim ratione interna, quoniam res Deo consecratæ non sunt in commercio, ut vasa, vestes, cruces, & semel Deo dicatum, non est ad vsus humanos ulterius transferendum: partim externa, ne prædijs, fundis, & alijs rebus prophanis ad Ecclesiam pertinentibus alienandis, detrimentum ipsa patiat, paulatimque intercitat. Excipitur causa redemptionis captiuorum à Barbaris, & pauperum: quia ut habent principia singularia, misericordiam volo, & non sacrificium.

De personis sacris.

Tit. XX.

F. Nunc de personis sacris reddito. P. Hæc sunt, quæ ut habet titulus *De personis sacris*, Deo ritè consecratæ sunt, ad res diuinas suis locis ac temporibus peragendas. F. Audio. P. Differunt autem à profanis siue laicis hominibus: primum tonsurâ
 C6 4 capitis,

408 ELEMENTOR. IVRIS

capitis, quod in Nazaræos, vt antè dictum est, refertur, & signum est hominis deposito omni ornatu corporis, vni Deo toto pectore se vouerit: deinde cultu vestium, vt ordini habitus secundum publicæ honestatis principia respondeat, & tam res externæ quàm quæ corporis sunt cum animo congruant: tum vitæ instituto, vt animus non solum corpore & habitu, sed rebus ipsis agendis se prodatur, quod caput est omnium. F. Intelligo. P. Ac pertinent ad vitæ instituta, tum quidem suprascriptæ leges & regulæ, quibus seruandis supra communem hominum vitam se offerunt: tum verò vt maiorum ordinum clerici, quos perfectiores esse decet, castè secundum consilia Euangelica viuunt, aliæq; à Paulo præscripta seruent, qua re ipsam etiam rerum naturam superant, & vitam cœlestium in terris imitantur. F. Teneo. P. Planè: hæc autem personæ, quoniam suprà enumeratæ sunt, hic omittuntur. Ac habent quidem suum castrense peculium, multaq; alia priuilegia ex principijs singularibus deducta. Et cum certum numerum clericorum in quaque Ecclesia esse placuerit, ad confusionem secundum principia iustitiæ vitandam, si qui in vna defunt, ex alia vbi abundant suppleri iubentur. Nec debent quicquam clerici primo ingressu, insinuatorum (quæ vocantur) nomine nisi in vna maiore ecclesia Constantinopolitana.

De

De institutis Ecclesiasticis ad homines pertinentibus.

Tit. XXI.

F. Iam instituta ecclesiastica ad homines pertinentia a uero cognoscere. P. Hæc propria sunt cuiusque, vel referuntur ad alios. F. Quæ prioris sunt generis? P. Instituta monastica, & alia pia exercitia, quibus ad Dei cultum, omnemque virtutem se quis exercet. F. Quæ posterioris? P. Beneficia, quæ pietatis & misericordiæ causa alius in alium confert. Cuius quidem rei gratia constituta sunt Orphanotrophia, ubi infantes nutriuntur & curantur: Curotrophia, ubi adulescentes: Ptochotrophia, ubi mendici: Nosocomia, ubi ægri: Gerontocomia, ubi senes: Xenodochia, ubi peregrini. Quæ quidem omnia ex media laude sunt operum misericordiæ, quorû pleni sunt libri Euangelici & Apostolici: ut docet titulus *De institutis ecclesiasticis ad homines pertinentibus*. Estque fons harum rerum omnium id quod Dominus dicit in Euangelio: Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. F. Præclare. P. Quanquam validos mendicantes, qui ad nullam rem utiles tanquam fuci aculeati sunt in re publica, unde omne genus sceleratorum hominum existit, non modò non iuuari, sed & pœnis coerceri leges iubent. Nam secundum prin-

cipia tertij status hominis, vnusquisq; in sudore vultus sui vesci debet pane suo, & qui nō laborat, inquit Paulus, non manducet.

De institutis ecclesiasticis, ad mortuos pertinentibus.

Tit. XXII.

F. Reliquū est, de institutis ecclesiasticis quæ ad mortuos pertinent, vt dicas. P. Huius rei secundū titulum, *De institutis ecclesiasticis ad mortuos pertinentibus*, duæ sunt partes. F. Quæ est prior? P. Quæ ad funera mortuorum, quorum certi sumptus præscribuntur, & iusta ijs facienda pertinent, partim efferendo, partim exequias celebrando, partim memorias (quas vocant) peragendo, quæ in nonum, trigefimum, & anniuersarium diem concipiuntur, & à sacris literis (vbi sepultura patriarcharum, Ioannis Baptistæ, & Christi ipsius fit mentio) patrumq; institutis, originē trahunt. Interminaturq; grauitertum quidem, vt mortuū inferre, funusq; ducere liceat, & ne defuncti seu reliquæ eorū cōtumelia à creditoribus afficiantur: tū verò, vt sepulchrum in suo ædificare liceat, & si à quoquā violatum sit, certa pœna eo nomine afficiatur. F. Quæ altera? P. Vt Diuæ Mariæ virginis Dei genitricis, & aliorum, quos vera Christi religio, & vitæ sanctitas in concilio cœlestium collocauit, solennis memoria conseruetur, tum quidē gratitudinis ergò, quæ à principijs iustitiæ proficiscitur, tum autem intercessionis causa, tum deni-

denique propter exemplum, vt secūdum principia formalia bonorum memoria, in præmium virtutis, perpetuis laudibus: malorum, sempiternis execrationibus pœnæ consecratur: vnde Imperatores: Nemo, inquit, Apostolorū vel martyrum sedem humanis corporibus existimet esse concessam, nemo martyres distrahat, nemo mercetur.

De disciplina Ecclesiastica.

Tit. xxij.

F. Post doctrinā & instituta ecclesiastica explicata, quid restatne, de disciplina ecclesiastica vt tradas? P. Restat verò, & quidem hæc est, qua qui doctrinæ ecclesiasticæ, eiusq; sacrosanctis institutis, sua sponte non parent, metu pœnæ ad officium coguntur, vt fieri debere principia formalia secūdū gradus iustitiæ docent. F. Intelligo. P. Constat autē partim forma, partim materia. De quibus singulis dicemus extitulis *De disciplina ecclesiastica, De synodis ecclesiasticis, De iudicijs ecclesiasticis, De pœnis ecclesiasticis, De delictis ecclesiasticis, & eorū diuisione. De paganis, De Iudæis, De cœlicolis, De Samaritanis, De mathematicis. De blasphemis, De hæreticis, De apostatis.*

De forma disciplina ecclesiastica.

Tit. xxiiij.

F. De forma disciplinæ ecclesiasticæ quid ais? P. Hæc in legibus consistit, magistratibus, & iudicijs

dicijſ eccleſiaſticis, quibus tribus omnem rei-publicæ regendæ ac gubernandæ rationem cōtineri ſuprà demonſtratum eſt. F. Quæ ſunt leges eccleſiaſticæ? P. Hæ partim ſacris literis cōſtant, partim decretis pontificum, partim cano-nibus conciliorum (ex quibus quatuor maiora inſtar Euangeliorum habentur) & partim conſtitutionibus piorum Imperatorum, qui ſacros non dedignantur imitari canones. Quibus om-nibus patrum ſcripta pro interpretatione acce-dunt, à quibus non eſt temerè recedendum. F. Qui magiſtratus? P. Hómines eccleſiaſtici ſuprà enumerati, ſecundum ſuum quiſque ordinem, de quibus Dominus Petro loquens, Et tibi, in-quit, dabo claues regni cœlorum, quodcun-que ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcun-que ſolueris ſuper terram, e-rit ſolutum & in cœlis. F. Quæ iudicia? P. Hæc alia generalia ſunt, in quibus ſecundum princi-pia formalia permagnum Eccleſiæ bene regen-dæ eſt momentum: vt Synodi, & conuentus pu-blici, quorum in Actis Apoſtolorum fit mentio: alia ſingulorum, partim ciuilia, quibus audien-tiæ epiſcopalis eſt nomen: partim criminalia, quibus delicta eccleſiaſtica vindicatur, non gla-dio quidem, quo, quia ad corpus pertinet, Ec-cleſia, quæ animum potiſſimum ſpectat, non utitur, ſed conſuſione, ademptione diariorũ, ſuſpenſione ab officijs diuinis, deiectione ab or-dine eccleſiaſtico, abſciſſione ab eccleſia, & ſimi-libus, prout quæque res eſt. Quorum quidem omnium origo à Chriſto ipſo eſt cùm ait: Si pec-cauerit in te frater tuus, admone eum inter te, &

& ipsum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Quòd si te non audierit, adhibe tecum vnum aut alterum, vt in ore duorum aut trium constet omne verbum. Quòd si eos non audierit, dic Ecclesiæ: si non audierit Ecclesiam, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus, cum quibus nulla tibi debet esse societas, sed potius summa distractio.

*De materia disciplina
Ecclesiastica.*

Tit. xxv.

F. Materia disciplinæ ecclesiasticæ quænam autem est? P. Hæc primùm in hoc consistit, vt si quid circa rectam doctrinam dubitationis extiterit, vel in vita ac moribus emendandum videatur, fiat quod temporibus Apostolorum factum fuisse, sacris literis est proditum. Deinde in litibus disceptandis, quas ad fratres potius Christianos, quàm alios deferri Paulus iuber. Vnde apud quos litigare oporteat monachos & ascetrias, & vt clerici apud episcopos causam dicant, nominatim præcipitur. Tum in delictis ecclesiasticis puniendis. Quod ita faciendum esse, tum quidem Christus ipse ostēdit, nō verbis modò supradictis, sed & factò, cùm e mentes & vendentes è templo eijceret: tum autem Apostoli in multis dictis scriptis suis, quæ longū hic esset ponere, cum semper sint ad manum. F. Delicta Ecclesiastica quæ vocas? P. Quæ contra Deum Christum, eiusque Ecclesiam perpetrantur.

tur. Quæ quidem alia eorum sunt, qui ob suam peruicaciam sacrosanctam Christi religionem suscipere nolentes, quietem Ecclesiæ perturbât, vt Pagani, Iudæi, Samaritani, Cœlicolæ: Alia eorum, qui susceptam semel veram religionem deserunt, aut peruertunt, vel malis moribus inficiunt, vt apostatæ, hæretici, blasphemî, mathematici. F. Intellego. P. Ac sunt quidem pagani, qui in veterum gentilium errore & superstitione versantur, sic dicti, ad oppositionem eorum, qui Christo militant: quemadmodum testamentum aliud militare, aliud paganum dicitur. Iudæi, qui legis Mosaicæ ritibus & ceremonijs addicti, Iesum negant esse Christum, aliumque Messiam expectant. Samaritani, qui partim cum paganis, partim cum Iudæis conueniunt, quorum libros Mosaicos recipiunt, non alios: Cœlicolæ, qui à Basilidianis vt videtur orti, tot cœlos statuunt, quot sunt anni dies: & tot Deos, quot sunt cœli. Apostatæ, qui à falsâ religione ad Christum conuersi, eodem rursus relabuntur. Hæretici, qui nomen Christianorum præ se ferentes, sacrosanctam fidem catholicam suis erroribus inquinant, eosque pertinaciter defendunt. Blasphemî, qui in Deum verbis iniurijs & conuicijs sunt, ob quam rem famem, terræmotus, & pestilentias oriri Iustinianus ait. Mathematici, qui astra superstitiosè obseruantes, futura ex ipsis prædicunt, & adhibitis signis quibusdam & medicamentis, prodigiosa perpetrant. F. Rectè. P. Atque hos quidem omnis generis homines flagitiosos vitandos, eijciendos, sacris prohibèdos, malè

malè perdendos, librosq; eorum cremandos, & conuentus prohibendos esse, non legibus modò ciuilibus, quas tractamus, sed & Euangelicis apostolicisq; exemplis & scriptis, vt tactum est, proditur. Adeo nihil est in tota sacrosancta Ecclesia catholica, quod non ab his fontibus manarit.

De prophanis & eorum partitione. Tit. xxvj.

F. Habeo de sacris & eorum partitione, deinceps de prophanis cupio audire. P. Hæ secundum titulum *De prophanis, & eorum partitione*, sunt, quæ ad hominū inter ipsos conuictum, communemque societatem externam pertinent. Ad quam tuendam ac gubernandam, vti principia sua à sacris internis accipiūt, haud secus atque corpus, vitam, & motum ab anima: ita & econtrà pro fomento & domicilio illis sunt ad ea conseruanda ac continenda, haud aliter atque corpus animam continet, sic vt mutua ope inter se iuuentur. F. Quomodo autem diuiduntur? P. Secundum partium humanarum descriptionem, de qua suprà tractatum est (nam nihil similius homini, quàm respublica) in id quod iure præest, qui est Imperator: id quod paret, qui est populus siue orbis Romanus: & id quod partim præest, partim paret, qui sunt magistratus, inter Imperatorem & populum medij interiecti, quorum descriptione ac compositione quænam

quænam ciuitatis partes sint ac membra, quæve sint personæ, res, loca, & tempora publica, maxime cognoscitur. F. Benè habet. P. Exponendum autem est primùm generaliter & præcipua opera de Imperatore qui præest, orbe Romano qui paret, & magistratibus medijs inter eos interpositis: deinde particulatè tanquam per accessionem quandam, de personis, rebus, locis, & temporibus publicis.

De Imperatore Romano.

Tit. xxvij.

F. De Imperatore quid habes dicere? P. Primum exponã quid sit Imperator, deinde quod eius sit munus & officium, tum quomodo id obeat, post, quæ eius sint nomina, tituli, & insignia, deinceps qui honores ei exhibeantur, tñ quæ eius sint prærogatiuæ, & denique quid sit de vxore eius Augusta. F. Quem autem dicis Imperatorem? P. Imperator Romanus (vt habet titulus *De Imperatore*) est, apud quem summa est reipublicæ Romanæ, vnde dominus terræ, & lex maris dicitur. Nam cum initio vrbs conditæ, respublica apud vnum regem esset, quod monarchiæ est: deinde autem erectis regibus apud patres sub duobus consulibus annis, quod aristocratix: tum vero communicata plebi consulari potestate apud vniuersum populum, quod democratix: factum est deinceps ortis seditionibus, vt circulo quodam fatali res iterum ad vnum Imperatorem Octauium Augustum rediret, cui populus, & in quem omne

omne imperium suum & potestatem conferebat. Post quem Adrianus Imperator Magistratus, quos in antiquo statu magna ex parte Augustus reliquerat, eo fere modo quo nunc extat descripsit. Nisi quod post deinde Constantinus primus Imperator Christianus Bisantium sedem imperij transferens, quædam immutauit. Quæ magno satis interuallo cõsequutus Iustinianus, hæc nobis iura ex omni vetustate Romana collecta reliquit, quorum summa capita nunc attingimus. F. Verùm. P. Atq; vt intelligas, quo modo ad hos Imperatores & principes inter homines fuerit peruentum, tria tibi tẽpora sunt notanda, de quibus supra est expositũ. F. Quod est primum? P. Ante peccatum, quo totus orbis terrarum, totumq; hominum genus, vna erat ciuitas siue respublica, in qua Deus princeps imperabat, parebant autem animalia partim verò parebant, partim imperabant homines: qui Deo subiecti in animantia tenebant imperium. F. Quod secundum? P. In peccato, quo contracto mox tota societas humana dissoluebatur, sic vt neque respublica esset, neque quod ei præesset, neque quod obediret. F. Quod tertium? P. Post peccatum, quo homines à peccato non nihil se colligentes, paruas quasdam ciuitates ac respublicas, quales nunc videmus, moliri cœperunt, quibus reges ac principes tanquã vicarij Dei (nam Deum ipsum ob caliginem per peccatum oculis obductam, videre non poterant) præficiuntur. Adeo vt quemadmodum summus pontifex in sacris, ita summus Imperator in prophanis ipsius Dei imaginem ac similitudi-

tudinem referat, quod & sacræ literæ indicat, ubi reges & principes, dii sæpe appellantur. Atque vti quidem Deus trinus est & vnus : ita & principi maximè conuenit, vt trismegistus, hoc est, ter maximus sit & appelletur, nempe omnium quæcunque sunt in republica, potētissimus sapientissimus, & optimus. Quibus tribus viua & expressam Dei imaginem, vt vetus habet dictum, præ se fert. F. Iam munus siue officium Imperatoris quodnam est? P. Vt secundum titulum *De officio Imperatoris*, iustitiam tanquam animam in corpus reipublicæ inducat. Vnde in psalmis: Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis, Iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio. Pertinet eodem, quod qui primus toto orbe fuit Rex, Melchisedech, hoc est, Rex Iustitiæ fuit appellatus. F. Rectè. P. Atque hac autem re efficitur, vt tum quidem rebus ad vitam necessarijs ciuitas sibi sufficiat, tum autem libera sit, tum verò concors & sibi amica, quibus tribus sclicitatē eius contineri supra ostendimus. Vbi demonstratum quoque est, à iustitia pacem, à pace abundantiam, & veram libertatem proficisci: nam beati pacifici, quoniam filij Dei (qui verè demū liberi sunt) vocabuntur. F. Probè. P. Ac procuratur quidem rerum abundantia per agricolas & opifices, qui pro iecore sunt in republica: libertas per milites, qui pro corde: & pax per iudices, qui pro cerebro. In quæ tria hominum genera post principem omnis ciuitas est diuisa, qui res iudiciarias, militares, & quæstorias sub se habet, quibus summus præsidet, F. Quomodo ex-

do exercet officium suum Imperator? P. Per Le-
ges, Magistratus & iudicia (vt habent principia
formalia) quibus tanquam caput præsidet. F.
Quid ita verò? P. Quoniam bonus princeps lex
est legum, quas prout res fert, pro bono reipub-
licæ iubet, mutat, vetat. F. Audio. P. Atque est
quoque magistratus magistratum, quoniam
omnes ab eo constituuntur, & ab eo authorita-
tem legemq; accipiunt, illiq; administrationis
sux rationem reddere coguntur. F. Intellego.
P. Et est denique iudex iudicum, quoniã præ-
terquam quòd de maximis quibusque rebus, &
alijs ad miserabiles personas pertinentibus ip-
se cognoscit, tum & ad illum à plerisque omni-
bus iudicibus prouocatur, ipseq; ab illis si quan-
do sic res postulat consulitur, vt sub titulo *Quo-
modo Imperator officium suum exerceat*, latiùs vi-
dere licet. F. De nominibus titulis & insignibus
Imperatoris nunc reddito. P. Nomina sunt, Im-
perator, Rex, princeps, quæ vndenam ducta
sint (vt secundum principia logica nomina re-
bus sint conuenientia) per se lucet. F. Verum.
P. Tituli partim à Deo, cuius imaginè princeps
gerit, deriuantur, vt diuinitas, æternitas, numè,
maiestas: partim à virtute ac moribus, vt pius,
clemens, inclytus: partim à rebus gestis, vt fœ-
lix, victor, triumphator: cum similibus. F. Re-
ctè. P. Insignia sunt, diadema prudentiæ in ca-
pite, sceptrum fortitudinis in manu, solium tẽ-
perantiæ, in quo residet, & purpura iustitiæ, qua
vestitur. F. Optimè. P. Atque his quidem omni-
bus in republica opus esse ad iustitiam in eam
inducendam, formalia principia demonstrant,

D d 2 vbi

vbi quanta vis apud communem populum so-
 lennitatibus istis externis & cerimonijs acriti-
 bus insit, vt in debito officio reuerentia & obe-
 dientia contineatur, ipsumq; quasi Deum sibi
 præsentem habere existimet, demonstratur: qua
 de re est titulus *De nominibus, titulis, & insigni-
 bus Imperatoris*. F. Iam honores, qui Imperatori
 exhibentur, quinam sunt? P. Trium omnino ge-
 nerum. F. Quod est primum? P. Quod nomen
 illius omnibus instrumentis præponitur. F.
 Quod alterum? P. Quod statux & imagines
 alijq; tituli illi eriguntur. F. Quod tertium? P.
 Quod acclamationes, adorationes, & alia eius-
 modi personæ ipsius adhibentur. F. Rectè. P.
 Quibus quidem tribus omnia secundum prin-
 cipia philosophica comprehenduntur, quæ cir-
 ca hominem spectantur, quæ sunt, nomen, figu-
 ra, & persona ipsius, vltra quæ nihil amplius in
 rerum natura externa, quod quidem honorem
 illius contingere possit, extat, vt sub titulo *De
 honoribus qui Imperatori exhibentur*, viderelicet.
 F. Deinceps prærogatiuæ Imperatoris quænam
 autem sunt? P. Hæ secundum titulum *De præro-
 gatiuis Imperatoris* in tribus potissimum consi-
 stunt. F. Quod est vnum? P. Quod totum popu-
 lum Romanum Imperator solus repræsentat,
 quoniam caput est totius corporis, vnde corâ
 illo solo rectè testamenta conduntur. F. Quod
 secundum? P. Quod ea quæ ipse facit, non indi-
 gent approbatione magistratus, quoniam ma-
 gistratus est magistratum, & ideò donationes
 illius non opus habent insinuatione. F. Quod
 reliquum?

reliquum? P. Quòd legibus non dico non tenetur, nam vtique secundum principia ordinaria ijs obligatur, sed iure singulari est solutus à populo, quatenus non quidem in ius diuinum, & naturale, nec item gentium, sed in suum ciuile soluendi potestatem obtinet. Idèq; tum quidem ea ratione, quoniam princeps vir bonus & iustus præsumitur, & iustis non est posita lex, sed sine lege faciunt ea quæ sunt legis: vnde digna vox dicitur maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri: tum autem ea quoniam cum princeps lex sit legum, nulla omnino est lex constituta, supra quam ille non sit positus: vt si ratio ita exigat, eam corrigat, emendet, tollat: tum denique illa, quoniam cum circa rem publicam regendam multa sæpe occurrant, quæ præter leges fieri debeant: non possent fieri, vt princeps rem benè gereret, si legibus præcisè esset astrictus: qua de re apud Platonè in politico latè differitur. F. Restat de Augusta vt dicas. P. Hæc coniunx Imperatoris, non quidem per se legibus soluta est, quoniam non est ipsa princeps: sed Imperator eadem illi priuilegia tribuit, quæ ipse habet, tum quidem expressè, tum autem tacitè, hoc ipso quod eius est maritus. Nam cum secundum principia primæ naturæ, vxor os sit ex ossibus mariti, & caro de carne eius, sequitur omnium quæ maritus habet, vxorem quoquo modo fieri participem, vnde radijs eius sub titulo *De Augusta* illustrari dicitur.

Dd 3 De

De orbe Romano. Tit. xxviij.

F. Pòst deinceps de orbe Romano a uero cognoscere. P. Hunc vocamus eam partem orbis, quæ Imperatori Romano paret. Nam quemadmodum Imperatoris est bene præesse, ita orbis Romani est bene obedire, quibus duobus plena perfectaque iustitia secundum principia inde deducta continetur. Constatq; orbis Romanus vrbe Roma, Italia, prouincijs, & urbibus, nec non populis externis. F. De vrbe Roma quid ais? P. Hanc vtramque sedem imperij vocamus, veterem in Occidente, quæ vetus Roma dicitur: & nouam in Oriente, (Byzantium nempe siue Constantinopolim) quæ noua Roma vocatur. Habetq; vtraque & priuilegia sua, & studia liberalia, & canonem frumentarium, nautasq; & annonas ciuiles eò pertinentes. Ac sunt quidem ordines vtriusque vrbis, maior, senatorius, equestris, plebeius: & minor curialium, qui res minores in vrbe administrant: collegiatorum, qui professores sunt artium: corporatorum, vt suariorum, pistorum, susceptorum vini, cum similibus: quæ omnia à principijs formalibus, quæ distinctione ordinum in republica opus esse docent, & à partibus ac potentijs hominis manarunt. Nam quòd ratio, animositas & cupiditas in homine sunt, hoc senatorius ordo ad regendum, equestris ad tuendum, & plebeius ad necessaria vitæ paranda, sunt in republica. Ac cum ad curiales particula quædam discipline publicæ pertineat, ad collegiatos doctri-
 strinæ,

strinx, corporati vitæ commoda procurantes, vtrisque & toti ciuitati seruiūt, ne quid ad eius sustentationem desideretur: vt sub titulo *De orbe Romano & Constantinopoli*, videre licet. F. De Italia autem? P. Hæc cū suis insulis veteri vrbi secundum titulum *De Italia & Latinis colonijs*, proximè subiacet, & multa habet iura præcipua (vt secundum principia singularia fieri solet) præ prouincijs, in vsucapionibus, censibus, & alijs, quod & in colonijs Latinis obseruatur: quanquam succedentibus temporibus multa in his mutata & sublata fuere, vti sæpe accidere antè declarauimus. F. De prouincijs verò? P. Hæ sunt regiones extra Italiam, imperio Romano adiectæ, & in certam formam redactæ sub suis diœcesibus, quibus subijciuntur, vt per titulum *De prouincijs* apparet, & post latius explicabitur. F. De vrbibus denique? P. Hæ, vt sub titulo *De vrbibus* traditur, sunt ciuitates, tum quidem maiores, quæ metropoles dicuntur, vt metropolis Berytus: tum autem mediæ, quæ forum habent iudiciarium: tum verò minores, vbi forum est rerum venalium: præter quas sunt pagi, siue vici, ex quibus quæ primarij sunt metrocomiæ appellantur. F. Restant populi externi. P. Hi sunt, qui licet imperio Romano subditi non sunt, amicitiam tamen cum eo habent, vel societatem, vel fœdus, vel aliter res eius comiter iuuant. Extra quos, reliqui vel hostes sunt, quibus bellum à nobis indictum est, vel ipsi nobis bellum indixerunt: vel Barbari aut peregrini, ad quos aurum, arma, & alia eius-

modi deferre prohibetur, ne rebus nostris contra nos instruantur, quod à secundæ naturæ & cautionalibus principijs descēdit: quemadmodum econtrà, quod ad res communes iuuādas, societates, & fœdera inimus, à primæ naturæ seminibus originem trahit.

De magistratibus Romanis.

Tit. xxix.

F. De magistratibus sequitur vt dicas. P. Hi sunt, qui vt habet rubrica *De magistratibus & eorum diuisione*, reipublicæ regendæ gubernandæq; sub Imperatore (apud quem summa rerū est) præsunt, eiq; tanquam architecto pro oculis fant, & manibus, & pedibus. Ac sunt quidem eorum nomina diuersa, vt officij, muneris, dignitatis, ministerij, militiæ, scholæ, cum similibus: quod à rerum quas tractant differētia proficiscitur: & ordines diuersi, vt perfectissimorū, clarissimorum, illustrium, quod à distributiæ iustitiæ principijs & eorum effectibus oritur, vt dignitatum ordo seruetur. Quò etiā pertinet, quod de honoratorum vehiculis traditur (nisi quòd margaritas, & alios lapides prætiosos, frenis, sellis & baltheis aptare non licet) nec non vbi senatores vel clarissimi agere, vel conueniri debeant, & vt illustres per procuratores causas pecuniarias tractent. F. Quomodo autem diuiduntur magistratus? P. In Palatinos (prout A-drianus Imperator eos distinxit) & publicos. Ex quibus Palatini sunt, qui capiti ipsi seruientes,

tes, in aula principis rem gerunt, vel inde ad prouincias mittuntur. Publici autem, qui extra palatium reipublicę corpus administrant. Nam cū princeps sit, qui regit, populus autem qui regitur, idę per magistratus, qui medij sunt inter vtrosq; necessario euenit, vt alij apud principem esse debeant, qui res populi ad eum deferant ac tractent: alij autem apud populum, qui mandata principis ad eum perferant, & ad executionem deducant.

De Palatinis magistratibus.

Tit. xxx.

F. De Palatinis magistratibus quid ais? P. Hi vel generales sunt, vt sub rubrica *De Palatinis magistratibus & officijs*, videre licet, vel speciales. F. Generales quinam sunt? P. Qui generaliter omnium consiliorum principis sunt participes, cuius generis sunt patricij, qui quasi patres ipsius principis habentur, nomine ducto à veteribus patricijs Romanis, in re planè diuersa, vt sæpe fieri solet. Item senatores, qui quasi pars corporis principis sunt. Ad hæc qui generali nomine amici principis vocantur, inter quos & iurisconsultos quosdam reperias. Atque huiusmodi quidem homines prudentia, fortitudine ac temperantia, iustitięq; præstantes circa principem esse oportere, ex principijs à re publica ductis, de quibus supra expositum est, intelligi potest, multisq; sacrarum literarum exemplis comprobatur. F. Speciales autem? P. Qui

Dd. 5 certo

certo muneri in aula principis præsumunt, qui tum quidem magisteriani sunt, ad domum ac familiam secundum principia œconomica regendâ: tum autem consistoriani, militares, & tamiaci, ad negocia publica, consiliorum, armorum, & eorum, quæ ad vitam necessaria sunt, secundum principia politica, & fines in republica propósitos, obeunda. Nos de singulis generaliter quatenus iuris & reipublicæ descriptioni convenit, reliqua minuta omnia omittentes, tractabimus.

De magisterianis.

Tit. xxxj.

F. Magisteriani quinam autem sunt? **P.** Qui ad magistrum officiorum pertinent. Est autem magister siue comes officiorum, qui officijs, hoc est ministris Palatinis præest, qui sunt domestici, scholares, scriniarij, & officiales. **F.** Domesticos quos vocas? **P.** Qui in domo principis versantur. Ex quibus alij ad malum auertere pertinet, ut protectores corporis principis, qui domestici speciali nomine dicti, armati excubiæ agunt: ex quibus nonnulli sunt filætiarij, qui nocte silenti id faciunt: & archiatri, quibus valetudo principis incumbit: alij ad bonum domesticum procurandum, ut cubicularij, & ipsorum præpositi, qui in sacro cubiculo versantur: vestiarij, qui vestes servant: comites domorum Augusti & Augustæ, qui utrasque ædes custodiunt: cura sacri palatii, qui facta tecta procurat.

rat. F. Quos scholares? P. Ex his alij in officina armorum principis degunt, vt scutarij, sagittarij, fabricarij : alij autem diuerfas res principis agunt, vnde agentes in rebus dicuntur, qui prepositos suos habent, & cursus publici (cùm diploma principis, hoc est, tractatorias literas q̄s habens, publicis equis vel curribus vtitur) curam gerunt, vbi & curiosi sunt, qui eum obseruant: & stationarij, qui certis locis statiuus sunt dispositi: & stratores, qui equos curant. Mittunturq̄ hi agentes in rebus ad prouincias, ad res Cæsaris procurandas, vnde Cæsariani & Palatini vocantur, & Catholiciani, quasi qui generalem quandam curam habent. F. Scriniarios autem? P. Qui sub magistris & eorum proximis in sacris scrinijs, vbi res principis adseruantur, militant. Ac sunt quidem sacra scrinia quatuor: memoriæ, vbi constitutiones & placita principis, & alia eiusmodi reponuntur: epistolarum, vbi epistolæ: dispositionum, vbi acta causarum: & libellorum, vbi libelli supplices. F. Officiales denique? P. Qui varia ministeria in palatio obeunt, vnde & ministeriani vocantur, & castrensiანი, quoniam palatium, in quo versantur, instar est castrorum. Habentq̄, post Comites & tribunos scholarum, suos decanos, quibus parent: mensores, qui hospitium ipsis & alijs designant, & castrensia peculia, cum multis alijs priuilegijs, ex principijs singularibus deductis. De quibus omnibus sunt tituli, *De magistro officiorum, & magisterianis, ac domesticis. De scholis & scholaribus magisterianis. De sacris scrinijs*

De consistoriantis.

Tit. xxxij.

F. Dehinc consistoriantis quinam autem sunt?
P. Qui in sacro principis cōsistorio, vbi causę & alia negotia iustitię (cuius primam principis curam esse debere diximus) tractantur, militant. Hi vt naturaliter in omnibus societatibus accidit, alij præfident, vt princeps ipse, & eo absente, præfectus prætorio in comitatu: & quæstor sacri palatij, qui custos iustitię dicitur: alij assident, vt proceres, partim sagati, vt patricij, senatores: partim togati, vt Iurisconsulti, qui iudices consistoriantis, & pedanei vocantur (nam hæc duo genera hominum, qui alij autoritate, alij scientia præstant, semper cōiungenda esse, principia politica demonstrant) alij ministrant, vt referendarij, qui de causis referunt: libellenses qui libellos tractant: notarij, cum suis primicerijs & secundicerijs, quibus parent, qui notas: & alij id genus, De quibus sunt rubricę, *De sacro consistorio, & ijs qui in eo præfident. De ijs qui in sacro consistorio assident. De ijs qui in sacro consistorio ministrant.*

De militaribus.

Tit. xxxij.

F. Magistratus militares quos vocas? P. Qui
rem

rem militarem apud principem tractant, cuius secundam eius curam esse ostendimus. Ac sunt hi quidem magister equitum, & magister peditum, qui ambo magistri militum vocantur, ut sub rubrica *De magistris militum* demonstratur. Suntque omnes milites partim domestici siue protectores, qui excubias agunt in palatio, ut dictum est: partim prætoriani, qui in castris Cæsaris degunt: partim comitatenses, qui proficiscentem principem sequuntur: partim prouinciales ac limitanei, qui ad limites collocantur, ut postea tangetur, pertinentque huc præpositi laberi, hoc est, magni illius vexilli, quod proximè ante Imperatorem ferri solet. F. Rectè. P. Opus autem est militibus secundum principia politica, non solum contra hostem foris, verum etiam aduersum domesticos tumultus intus. Denique ad iudicium sententias exequendas, manu militari subinde quoque opus esse constat.

De tamiacis, Tit. xxxiiij.

F. Tamiaci quinam autem sunt? P. Qui ærarij siue fisci principis curam gerunt, quod & artifices domus principis & monetarij referri possunt, qui omnes rebus ad vitam necessarijs seruiunt, quas ad tertiam curam principis pertinere, supra ostendimus. F. Qui sunt primi generis? P. Comes rei priuatæ, qui patrimoniū principis curat, vnde & comes sacri patrimoniij vocatur, quanquam tenuis quædam est differentia: & comes sacrarum largitionum, qui quæ ex largitione populi ad principem perueniunt: de quibus est titulus, *De comibus sacrarum largitionum*.

& rei privatae, qui singuli suos habent Palatinos. F. Qui secundi? P. Negotiatores Palatini, qui circa mercatum eorum versantur, quibus in aula principis est opus: ut murileguli, qui murices colligunt, ad *sacram purpuram* tingendam: ginecarij, qui circa *res ad mulieres* in aula pertinentes versantur: metallarij, qui suos habent procuratores metallorum: & bastagiarjos, qui oneribus ferendis seruiunt: & alij, qui varias artes in palatio exercent, suosque habent praefectos, qui praepositi secundum nonnullos laborum vocantur. F. Qui tertij? P. Monetarij, qui monetam cudunt, quae vel aerea est, vel argentea, vel aurea. Accum vna auri libra in duodecim uncias diuidatur, singulae unciae in senos solidos, siue aureos rursus distribuuntur. Qui solidus primùm in quatuor scrupulos diuiditur, octo obulos, ceratia sedecim, siliquas vintiquatuor, & chalcos triginta duos: deinde in semissem, hoc est, dimidiam partem solidi: trimissem, tertiam, denarium duodecimam, & quinarium vicesimam quartam. Ex quibus denarius libellas decem continet, quinarium quinq̄, constatque libella semibellis duabus, teruncijs quatuor, vnde ex libella & semibella fit sestertius nummus, qui diapundios continet duos, asses autem quindecim, post quos sunt miliarenses nummi, & ouo cyathoque signati, & quadranguli, quae minima aera fuisse constat. F. Rectè. P. At si quæras, vnde tota hæc res pecuniaria orta est: verba Pauli Iurisconsulti secundum principia à natura corrupta ducta sunt: Origo emendi, vendendique à permutationibus coepit: olim enim

enim non ita erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur: sed vnusquisque secundum necessitatem temporum ac rerum vtilia inutilibus permutabat: quandoquidem plerumque euenit, vt quod alteri superest, alteri deficit: Sed quia non facile, nec semper concurrebat, vt cum tu haberes quod ego desiderarem, inuicem haberem, quod tu accipere velles: electa materia est, cuius publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subueniret.

De magistratibus publicis.

Tit. xxxv.

F. Quoniam de palatinis magistratibus expositum est, transeamus nunc sodes ad publicos, qui extra palatium principis in republica vt dictum est versantur. P. Hi vt est sub rubrica *De magistratibus publicis & eorum diuisione*, alij ipsi magistratus sunt, alij quasi magistratus, alij ministri magistratuum. Ex quibus ipsi magistratus tum quidem ciuiles sunt, tum autem bellici, tum vero fiscales: nam cum tres fines reipublice sint, iustitia, libertas, & rerum necessariorum copia, singula genera magistratuum singulis his rebus administrandis secundum principia politica præsent. F. Rectè. P. Dicemus autè ordine de omnibus, ac primùm quidem de ciuilibus, qui pro amplitudine imperij Romani vel urbici sunt, vel prouinciales, vel municipales. Nam quæ rebus paruis paucioribus, ea rebus
magnis

432 ELEMENTOR. IVRIS
magnis pluribus magistratibus, vt ex principijs
politicis antè dictum est, indigent.

*De magistratibus ciui-
libus vrbicis.*

Tit. xxxvj.

F. Ciuiles magistratus vrbici quinam sunt?
P. Qui Romæ vel Constantinopoli rebus ciui-
libus præsent, qui vt titulus *De vrbicorum ma-
gistratum diuisione* ostendit, alij proprio nomi-
ne magistratus sunt, alij iudices, alij medij inter
eos interiecti. **F.** Qui sunt magistratus? **P.** Qui di-
uerfis rebus in vrbe sunt præpositi, ad corpus
eius conseruandum, vt primum consules sic di-
cti, quia rebus consulunt: præfectus vrbi, ad quæ
vrbis administratio pertinet: præfectus vigilũ,
qui nocte excubias agit, quibus tribus tranquil-
litas vrbis secundum principia politica incum-
bit: Deinde ædiles, qui sartorum tectorum, &
rerum vœnaliũ curam gerunt: Quæstores di-
uerforũ generum, & magistri census, qui gra-
rij publici: & præfectus annonæ, qui rei frumen-
tarię, ad quos tres rerum in ciuitate necessaria-
rum procuratio spectat. **F.** Qui iudices? **P.** Qui
iuri dicundo, ac litibus disceptandis præsent,
ad iustitiam tãquam animam in rempublicam
inducendam, quorum principes sunt prætores,
qui lites contractas iudicandi, & iudices dandi
potestatem habent, quorum diuersa sunt gene-
ra: post quos sunt iudices ordinarij, & centum-
viri,

uiri, & eorum pedanei, nec non varij magistratus. Item delegati, qui vel generaliter mandatâ habent iurisdictionem, vel ad vnam aliquâ causam iudices dantur. Et demumque arbitri, qui ferè à litigatoribus eliguntur, subinde autem à prætore vel iudice secundum principia extraordinaria, cum alius rei exitus non est, constituuntur. Et verò iurisdictio generali nomine tum quidem in imperio mero consistit, hoc est, gladij potestate: tum autem in iurisdictione simplici, quæ est iudicandi & iudicis dandi potestas: tum verò in imperio mixto, quod in bonorum possessione danda maximè spectatur, ne ad arma veniatur, quo nihil est à iustitia, quæ per iudicia in republica vt dico constituitur magis alienum. F. Qui medij? P. Iurisconsulti, assessores consiliarij, arbitri, aduocati, curatores aquarû, adolescentum, viarum: quæ aliæ publicæ sunt, quæ ad vrbes ducunt: aliæ priuatæ, quæ per agros: aliæ vicinales, quæ per pagos & vicos. De quibus omnibus traditur sub titulis, *De consilibus, De præfecto vrbi, De præfecto vigilum, De edilibus, De quaestore & magistro census, De præfecto annonæ, De prætoribus, De iudicibus, De iurisdictione omnium iudicum, De medijs magistratibus & officijs urbicis.*

*De magistratibus ciuilibus
prouincialibus:*

Tit. xxxvij.

F. Prouinciales magistratus quos vocas? P.

Et Qui

Qui prouincijs administrandis præfident, unde præfides generali nomine, & rectores, & iudices prouinciarum vocantur. F. Audio. P. Ex his alij maximi sunt, vt præfecti prætoriorum, qui integris diocæsis, sub quibus plures prouinciæ cum suis præfidibus comprehenduntur, præfunt: vt præfectus prætorio Aphricæ, Illyrici, Orientis. F. Intelligo. P. Alij medij, qui maiores tenent prouincias, vt comes Orientis, præfectus Augustalis, qui Aegypto vice Imperatoris præest: & procōsules, qui sex fascibus utuntur & maius post principē imperiū habēt in prouincia, nisi quod suadetur (hoc enim gradu subinde utendū esse, supra dictū est) vt à fiscalibus pecuniarijs causis abstineant: subeunt quæ ipsorum vires legati, postquā ijs iurisdictionē mandarunt. F. Intelligo. P. Alij minimi, qui singulas prouincias minimas obtinent, qui tū quidē insignibus inter se differunt, tū autoritate: nā alij cū potestate ciuili etiā militarē vel fiscalē habent, tū nominibus, quæ sunt, præses, præfectus, rector, moderator, prætor, quæstor, procurator, rationalis, iuridicus, dux, comes, biocalytha, vicarius. F. Bene est. P. Omnibus autem hoc cōmune est, vt iusiurandum præstent (quod ex cautionalibus principijs fertur) suosque vicarios & domesticos habeāt: cuiusmodi sunt assessores, ptectores, cæcellarij, & alij officiales, itē cohortales suos, & curiales. F. Recte. P. Quibus accedit, quod absque vlla datione pecuniæ electi, & annonas suas habēt pro se, & capita fœni, paleæ, hordei, pro suis animalibus: & quod tēpore administrationis neque domū emere, neque munera accipere possunt.

sint: & quòd post administrationē depositā, ad certū tempus certis locis manere debēt, vt administrationis suæ rationē reddant. quēadmodum & de reliquis qui magistratu abierūt præcipitur: vt tradunt tituli : *De magistratibus prouincialibus, De præfectis prætoriorum, De proconsule, & eius legato: De præside & præfecto augustali, & reliquis rectoribus prouinciarum. De iure iurando rectorum prouincie. De vicarijs & ministris rectorum prouincie.* F. Probè. P. Verba iurifurandi (quod ex principijs extraordinarijs & cautionalibus inter homines extitisse suprā dictū est) sunt: Testor ego, iurando omnipotentem Deū, & vnigenitum filiū eius, Dominū nostrum Iesum Christum, & Spiritum sanctum, nec non sanctā ac gloriosā Dei genitricē, & perpetuā virginem Mariam, & quatuor Euangelia, quæ hisce manibus teneo: & sanctos archægelos, Michaëlem, ac Gabrielem, quod sacratissimis ac potētissimis dominis nostris Iustiniano & Theodoræ, coniugi potentiæ illius existenti, occasione concessi ab illorum pietate officij, puram conscientiam & genuinū præstaturus sum seruitium: quodq; pro ipsorum imperio & republica in concessio mihi ab ipsis officio, summa cū animi promptitudine, sine dolo, & absq; fraude omnem operā ac laborem subiturus sum: & cū sacratissima Dei catholica & apostolica Ecclesia communionē habeo, neq; ei vlla vnquam in re aut modo aduersabor, neq; quantum in me erit alicui alij permittam. Quod si hoc non obseruauero, omnibus incommodis ero expositus,

tam hic quàm in futuro seculo, in horrendo iudicio magni Domini Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi: habebotq; partem cum Iuda, & lepram Gize, & tremorem Cain, vltra hæc quod etiam pœnis lege eorum pietatis comprehensis ero obnoxius.

De magistratibus civilibus municipalibus.

Tit. xxxviiij.

F. De municipalibus magistratibus quid ais?
P. Hi sunt, qui singulis municipijs siue oppidis regendis ac gubernandis sunt præpositi. Ac sunt autem in municipijs ordines, munera, magistratus, & iura reipublicæ, quæ à formalibus, politicis, & singularibus principijs manarunt.
F. De ordinibus quid dicis? **P.** Quod quicumq; in municipijs sunt, vel honorati sunt, qui summo gradu positi, neque honores, neque munera municipalia subire coguntur: vel incolæ siue inquilini, qui infimo loco constituti, ad neutrum suo iure admittuntur, quanquam ad onera teneantur, vel ciues, ad quos tâquam medios inter alios interiectos vtraque pertinent, ex quibus alij originarij sunt, alij adscitij. Qui quidē vel sunt decuriones, qui album suum habentes, in quo inscribuntur, quasi senatorium ordinē in municipio constituunt, decretatq; faciunt, de quibus est regula iuris, Referri ad vniuersos quod publicè sit per maiore partem: vel cohortales,

tales, qui equestrem: vel possessores, qui plebeium. Quanquam inter decuriones cohortalesq; & plebeios hoc interest, quod cum plebei penitus liberi sunt, alij seruitutis quandam conditionem ac fortunam, vnà cum bonis suis habent: vnde dicitur, ne quis liber inuitus actum reipublicæ gerere cogatur. F. De muneribus autem? P. Hæc alia personalia sunt, quæ animi prouisione, & corporis labore peraguntur; & in honores & onera diuiduntur, vt tutela, cura, & Irenarchorum munus, qui disciplinæ publicæ, & corrigendis moribus præficiuntur: alia patrimoniorum, quæ possessionibus indicuntur, vt equos publicos alere: alia mixta, vt tributa publica suo periculo exigere. A quibus omnibus quædam sunt vacationes, excusationes, & immunitates. Imponunturq; per nominationem cum vir virum nominat, qui munus quo de agitur subire cogitur, nisi potiore ipse nominet. F. Magistratus verò? P. Primū defensor vr̄bis, qui & pater ciuitatis appellatur, præfecto vr̄bi Romæ non absimilis: deinde primates siue duumviri, qui quasi pro consulibus sunt: tū ædiles, qui sacra tecta, & res vœnales curât: post curatores reipublicæ, qui ærario & operibus publicis præsunt: & denique legati, qui de negotijs publicis foràs mittuntur, cum quibus & syndici & actores ciuitatum numerari possunt. F. Iura denique reipublicæ? P. Quæ ad administrationem eius, & operum publicorum & pollicitationes eo nomine factas, ratiocinationesque eò spectantes pertinent: item vt pro pupilla semper habeatur, & si læsa sit, in integrum re-

Rituatur, cum similibus, vt de omnibus his est sub titulis *De re municipali, De ordinibus municipalibus, De muneribus municipalibus, De magistratibus municipalibus. De iure reipublice.*

De magistratibus bellicis.

Tit. xxxix.

F. Post magistratus ciuiles decurfos, de magistratibus bellicis nūc reddito. P. Hi sunt, qui rebus bellicis in militia præsunt. Est autē militia publica (nā priuatim arma sumi non possunt) iuris sui per arma vindicatio, quò sanè secundū principia formalia & extraordinaria veniendū est, cum res aliter expediri nequit. F. Bene habet. P. Diuiditur autem militia in palatinam, de qua suprā dictum est: limitaneam, quæ ad limitum, littorum, & itinerum custodiam pertinet: & castrensem, cum re ipsa contra hostes, quibus bellum indiximus, vel ipsi nobis indixerunt, rem gerimus. F. Audio. P. Ad quam quidē rem opus est exercitu, qui militibus cōstat, equitibus, pedibus, & classis, tū quidem legionarijs, qui proprij sunt populi Romani: tum verò auxiliarijs, qui amicorum. F. Rectè. P. Ac sunt quidē milites, qui ab Imperatore probati sacramētoque militari præstito, in numeros relati sunt, & cingulum militare acceperunt, prohibenturq; militare serui, negociatores, & alij nonnulli. F. Intellego. P. Diuiduntur autem in eos, qui præfunt, & qui parent. Præsunt generaliter dux exercitus, comes, rector, præses: specialiter, iudices militares, præfecti, tribuni, centuriones, inter

ter quos est qui primipili centurio dicitur , ad cuius custodiam pertinent pecuniæ, quæ apud signa deponuntur. Parent verò qui simplici nomine milites appellantur, alij tyrones, alij veterani, nonnulli quoque caligati. F. Probè. P. Iura militum alia ordinaria sunt, vt stipendia, quæ in pecunia annona & vestibus consistunt : nam secundum principia iustitiæ commutatiuæ, nemo militat suis stipendijs : quanquam regula est salgamum, cuiusmodi sunt sal, acetum, ligna, & similia, hospitibus non esse præbendum. Alia singularia, vt testamentum militare, peculium castrense, postliminium, missio honoraria, quæ à causaria & ignominiosa differt, cum similibus, quæ à principijs singularibus manarunt, & non solum militibus ipsis, sed & vxoribus & filijs eorum nonnunquam competunt : nam quemadmodum qui malè faciunt, vt desertores, transfugæ, absentes sine comœatu, & similes, grauius puniendi sunt : ita qui bene rem gerunt, meritò dignis præmijs & honoribus affici debent. F. Teneo. P. Ac sunt quidem gratia militum fabricenses, qui arma cudunt, medici qui ægros curant, erogatores, qui stipendia militum soluunt, metatores qui hospitia designant, præcones & buccinatores, qui voce vel buccina signum dant, ad quos omnes pertinent rubricæ : *Dere militari, De militia & eius speciobus, De exercitu & eius partibus, De militum differentijs, De iure militum, De ijs qui gratia militum sunt.*

Ec 4 De

*De magistratibus fiscalibus.**Tit. XL.*

F. Iam ad fiscales magistratus est deuentum.
 P. Fiscales magistratus vocamus, qui rebus fiscalibus, ad quas multa priuilegia & iura specialia tam circa collationem quàm alia pertinent, sunt præpositi. Consistuntq; omnes res fiscales in re priuata, & in sacris largitionibus, vt suprâ tactum est. F. De re priuata quid ais? P. Res priuata est ipsum quasi patrimonium principis, siue domus diuinæ & Augustæ, quod tum quidem in agris, lucis, paludibus, pratis spectatur: tum autem in domibus, ergasterijs, tabernis, & alijs superficiebus: tum verò in animalibus omnis generis, vnde greges dominici vocantur. Pertinentq; huc agricolæ, coloni, rustici, vicanei, & alij varij generis, partim liberi, partim serui: partim censiti, partim non censiti: partim originarij, partim nō originarij. Ac destinantur hi fundi alij templis, alij ciuitatibus, alij militibus limitaneis alēdis, cum similibus, vnde & templorum, ciuitatū, & limitotrophi appellantur. Administratur autem res priuata primum acquirendo, cū bona vacantia, thesauri, vel quę fisco delata sunt, solenniter incorporantur: deinde conseruando, cū debitores diligenter admonentur, & ni officium faciant, bona eorum hastæ subijciuntur, eiq; qui plus offert addicuntur: tum alienando, cū ea quę inutilia vel damnosâ sunt venduntur, quanquã
 regu-

regula generalis est, Rem Cæsaris non alienandam, sed diligenter gerendam esse. Atque hæc quidem omnia fiunt per comitem rei priuatæ, de quo supra dictum est: post quem sunt procuratores Cæsaris, & rationales & patroni fisci, cū nonnullis alijs, de quibus non est hic dicendi locus. Sacræ largitiones sunt, quas ex populi largitione ac collatione princeps accipit. Harum tituli ordinarij sunt, qui perpetuò secundum certum canonem siue regulam præstantur: partim à personis, vt census capitæ angariæ, cū ordinariè: per angariæ, cū extraordinem dorso quid fertur: veredi cum ordinariè: paraueredi, cū extra ordinem plastro, vel bestijs in cursu publico quid vehitur: partim à rebus, quæ tum quidem in mercibus consistunt, vnde vectigal penditur: tum in fundis, vnde tributū, tam in annona, quàm in pecunia: partim in personis & rebus, vt aurum coronarium, coronis aureis principi spontè offerendis: & lustrale, quoddà mercatoribus quinto quoquo anno cōferri solitum, hodie sublatum est. Extraordinarij tituli sunt, cum ob repentinas necessitates quid indicitur, vnde indictiōnes & superindictiōnes nomen habent. Administrantur autem sacræ largitiones, cū professio mercium ita vt oportet exigitur, reliqua autem bona in censum per inspectionem, discussionem, opinionē, & peræquationem rediguntur. Ac est quidem inspectio, cū bona in censum redigenda oculis subiiciuntur: Discussio, cū quid valeant, dispicitur: Opinio, cū quantum pendere possint æstimatur: peræquatio, cū ad æquabilitatem

tem cum alijs res redigitur. Exiguntur sacræ largitiones per delegationem, profligationem, susceptionem. Delegatio est, cum missa scedula quantum quisque debeat significatur: profligatio, ipsa exactio, siue pignoribus captis illa fiat, siue aliter: susceptio, cum id quod soluitur in arcas, horrea, & alia loca ad hoc destinata, recipitur: Transmittuntur largitiones, cum ad comitatum principis, vel aliud quod oportet, vehuntur: quod quidem pertinent naucleri, & nauicularij, classicique palatini, qui species publicas transportant: nec non angariæ & parangariæ, vereditq; & paraueredi. Quibus rebus omnibus præest comes sacrarum largitionum, de quo antè dictum est, cum suis palatinis sacrarum largitionum exactoribus, discussoribus, tabularijs, scribis, logographis, susceptoribus, præpositis, arcarijs, ponderatoribus, persecutoribus, censoribus, peræquatoribus, inspectoribus, & alijs officialibus. Seruiunt autem collatores, largitionales siue possessores, qui immobilia possident, vnde nisi libertate donata certa pecunia adærata, vel aliquo modo releuata sunt, plena tributa pendunt, vltra quæ operæ illis imponi non debent, vt demonstrant tituli *De re tamiaca, vel administratione rei private, De sacris largitionibus, De administratione sacrarum largitionum, De possessoribus & collatoribus largitionalibus.*

De

De quasi magistratibus
Tit. xli.

F. Post magistratus ipsos explicatos, iam de quasi magistratibus sequitur vt dicas. P. Hi autem sunt professores bonarum artium, qui ad doctrinam pertinent: & præfecti ludorum, qui ad lætitiã popularem, quibus vtrisque secundum principia formalia vtiq; in republica est opus, vt sub rubricis *De professoribus bonarum artium, & De ludu & certaminibus publicis*, demonstratur. F. De professoribus quid dicis? P. Professores alij maiorũ artiũ sunt, vt philosophiæ, & iuris, quos antecessores Iustinianus vocat, q̄ duæ facultates, nisi q̄ vna paulò latiùs pateat altera, cætera nõ nisi sono nominis differunt: nã quòd in philosophia scientia veri est, hoc in Iurisprudentia diuinarũ & humanarum rerum notitia: & quod in Iurisprudentia est iusti & iniusti scientia, hoc in philosophia amor boni est & iusti: A'ij minorum, quæ tum quidem liberales sunt, vt grammatica, rhetorica, medicina: tum cõmunes, vt literæ, notæ, calculi. F. De præfectis ludorum autem? P. Præfecti ludorum partim sacris certaminibus athleticis præsent, partim ludis & spectaculis scenicis, partim exhibitionibus & venationi ferarum. Cui accedit Mayuma, cui à mense Mayo nomen videtur. F. Rectè. P. Vtrique autem generi hoc commune est, vt tam professores, quàm præfecti ludorum, varias in ciuitatibus à muneribus publicis habeant secundum principia singularia immunitates.

De

*De ministris magistratuum.**Tit. xlij.*

F. Superfunt ministri magistratuum. P. Hos voco adiutores eorum, scribas & ministros. F. Qui sunt adiutores? P. Vicarij, assessores, consiliarij, & alij id genus. F. Qui scribunt? P. Tabularij & tabelliones, notarij, actuarij, logographi, numerarij, chartularij, scriptuarij, exceptores, & similes. F. Qui ministri? P. Apparitores diuersorum magistratuum, cohortales, principales, executores, exactores, officiales, viatores, lictores, commentarienses, praecones, spiculatores, & alij eiusmodi, vt prodit titulus *De adiutoribus, scribis & ministris magistratuum.* Quibus quidem in omni republica opus esse, principia politica demonstrant.

*De rebus publicis.**Tit. xliij.*

F. Quoniam de eo, quod in republica imperat, paret, & partim paret, partim imperat, expositum est, quod praecipuum nostrum fuit institutum, restat, de rebus, personis, temporibus, & locis publicis accessorie secundum institutum ordinem vt tractes. P. Sanè quantum quidem ad res attinet, quoniam demonstratum est, tres ciuitatis esse fines, vt sibi sufficiat, vt libera sit, vt sibi amica, sequitur, res omnes publicas ad
ista

ista tria pertinere. Ac referuntur quidem ad primum agricultura, & artes omnis generis, nec non commercia, & quæ cum ijs sunt coniuncta, sine quibus respublica sibi sufficere non potest: ad alterum, magistratus, iudices, & milites, sine quibus domi forisque tuta esse nequit: & ad tertium, principes, sacerdotes, & sapientes, per quos ut sibi amica sit efficitur. Ac sunt quidem principes, qui rebus humanis præsunt: sacerdotes, qui diuinis: sapientes, qui utrisque se præbent.

De personis publicis.

Tit. xliij.

F. Quæ sunt personæ publicæ? **P.** Quæ tribus supradictis rebus ac finibus seruiunt. Vnde fit, ut quotquot sunt homines in republica, vel ciuilibus rebus præsideant, vel militaribus, vel ad vitæ commoditates & vsus necessarijs, cuiusmodi sunt agricolæ, ut diximus, opifices, mercatores, ad quos & proxenetae referuntur, suntque de personis publicis regulæ: Fœminas ab omnibus officijs ciuilibus vel publicis remotas esse, & ideo nec iudices esse posse, nec magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio interuenire, nec procuratrices existere. Impuberes omnibus officijs nullibus debere abstinere. Non esse singulis concedendum, quod per magistratum publicè possit fieri, ne occasio sit maioris tumultus faciendi. Infamibus portas non paterè dignitatum, cum similibus.

De

*De temporibus publicis.**Tit. xlv.*

F. Quæ tépora publica? P. Hæc alia sunt, quæ rebus ad vitam necessarijs seruiunt, vt messis, vindemiarum, nundinarum: alia quæ rebus militaribus, vt delectus militum, præbitionis tyronum, cū similibus: alia quæ rebus ciuilibus, vt temporâ iudiciorum, concionû, comitiorû, & si quæ sunt alia de genere eodem.

*De locis publicis.**Tit. xlvj.*

F. Quæ loca publica? P. Hæc quædam ciuilia sunt, vt basilicæ, theatra, curia: quædam militaria, vt muræ, portæ, armamentaria: quædam rebus ad vitam necessarijs destinata, vt forum rerum vernalium, horrea, pistrina, aquæ ductus, horti, & alia eiusmodi, quæ opera & loca publica vocantur. Quibus omnibus seruiunt viæ publicæ, vrbanæ, & rusticæ, de quibus suprâ tactum est: nec non flumina, & eorum ripæ, aggeresq; & similia, de quibus multa passim iure sunt constituta.



LIBER

LIBER

QUARTVS.



Quoniam de iure civili publico, eiusque summis capitibus haecenus est traditum : sequitur de iure civili priuato eodem modo vti nunc exponas. P. Verum. Atque est quidem ius civile priuatum, quod ad singulorum utilitatem pertinere supra ostendimus, de quo secundum Imperialium Institutionum ordinem dicemus, quorum tituli quinam sint, quomodo inter se cohaereant, & quid velint, ac quo pacto ad supradicta principia reuocentur (quam rationem literis nostris haecenus abesse iam antè admonuimus) ostendere conabimur. F. Optimè sanè. P. Accusamus quidem Institutiones, prima iuris elementa, quæ ad Isagogen siue introductionem, prout supra demonstratum est, pertinent. F. Ita memini. P. Praeponensque illis Iustinianus proœmium, de quo antè quoque dictum est, à nomine Domini nostri Iesu Christi incipit, vt in legibus tradendis à primo legislatore Deo, eiusque filio Christo, secundum principia euangelica, quibus omnia tincta & imbuta esse debere, supra probauimus, ordiendum esse re ipsa demonstret. Quo facto,

post

post veri principis officium propositū , de quo paulò ante diximus, & suos circa res bellicas & iuris ac legum compositionem labores enumeratos , libros hosce à Triboniano & alijs collectos confirmat , quod ipsius constitutionis instar esse antè tradidimus. Post quod in exhortatione studiosæ legum iuventutis cōcludit, proponens pro præmio ipsam reipublicæ gubernationem. Nam cū anima reipublicæ sit iustitia, quæ per iura & iudicia constituitur , meritò relictio eius ad eos pertinet, qui circa iura & leges, iustumq; & iniustum sunt versati. F. Præclare. P. Planè: summa autem Institutionum imperialium diuisio in tria summa capita deducitur. Vnum de definitione iustitiæ & iuris, vnde utique exordium ducendum ei est, qui iuris ac legum studium aggreditur : nam vt res iustas & iniustas cognoscas, primum ipsam iustitiã nosse oportet: alterum de diuisione iuris, quæ à definitione profluit : & tertium de subiectis eius priuatis, in quibus materia circa quam versatur consistit. Dicemus autem ordine de singulis.

De definitione Iustitiæ & iuris.

Tit. I.

F. De definitione iustitiæ & iuris quid ais? P. Eam tradit titulus *De iustitia & iure*. Ac est quidem iustitia constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi, de qua re suprà latius est expositum. Ius autem : quod à iustitia profluit , nam quod iustitia iubet , ius vocari

cari idoneo loco supra diximus, vnde repeti poterit.

De diuisione iuris.

Tit. II.

F. Quomodo diuiditur ius? P. In naturale, gentium, & ciuile, vt demonstrat titulus *De iure naturali, gentium & ciuili*. Ac est quidem naturale, quod latissimè patens cum cæteris animantibus homini est commune, vt maris ac fœminæ coniunctio, liberorumq; procreatio & educatio. Quanquam hoc inter est, quòd illa quatenus senti mouentur, ad hoc feruntur, homo autem quatenus ratione & intelligentia. Gentiũ, quod minùs latè fufum homini est proprium, & per omnes vbique gentes æquè obseruatur, partim ante peccatum, à Deo ipso insitum, vt Dei amor & proximi, quod ius gentium primum dicitur: partim post peccatum ortum, & ingenio humano per omnes vbique gentes constitutum, vt rerum dominia, commercia, & alia eiusmodi, quæ iuris gentium sunt secundarij. Ciuile est, quod maximè omnium contractum, cuiusque proprium est ciuitatis, vt supra probauimus, & ex quibus fontibus tota hæc diuisio ortus sui principatum duxerit, ostendimus. F. Verum. P. Atq; ex horum aut trium generum præceptis collectum est, tũ quidem omne ius priuatum, tum verò publicũ, quod partim diuinis principijs, partim naturalibus, partim humanis, ex vtriusq; deductis continetur.

Ff De

*De subiectis iuris.**Tit. III.*

F. Subiecta iuris quænam sunt ? P. Quæ iuri quasi materia quam tractet, & in qua versetur subijciuntur, & sunt personæ, & res (de quarum ex principijs origine antè diximus) nec non actiones de personis & rebus. Nam quanquam quidem iudicia naturâ sua publica sunt, actiones tamen quæ in iudicio proponuntur, sunt priuatæ: quoniam ex iure priuato antè natæ sunt, quàm in ius eatur. Explicabimus autem ordine de singulis, & quo pacto ab his tribus summis generibus omnes inferiores iuris priuati species, eiusque partes & membra dependeant, ostendemus.

*De personis.**Tit. III.*

F. Personas quas hic vocas ? P. Homines, qui priuatim, non autem publicè (nam iam de ijs antè diximus) in republica degunt, quoniam sæpe fit, vt diuersorum respectu, idem & publicam personam gerat, & priuatam. F. Quomodo diuidis personas ? P. Duobus modis, vno secundum ius gentium, & altero secundum ius ciuile, de quibus singulis pro institutæ breuitatis ratione dicemus.

De

*De prima personarum diuisione.**Tit. V.*

F. Quæ est prima diuifio? P. Prima *De iure personarum* diuifio est, quòd omnes homines aut liberi sunt, aut serui. F. Quid est libertas? P. Naturalis facultas eius quod cuique facere libet, nisi quod vi aut iure prohibetur: nã quod vi fit, quæ facti & quasi corporis est, non potest libertatem, quæ iuris est, quod ab animo dependet, vt antè diximus, impedire. Nec minuit quoque libertatem prohibitio iuris, quoniam secundum principia à iustitia & hominis potentijs ducta, vnde hæc diuifio manauit, ea solum vera est voluntas, quæ cum ratione & iudicio est coniuncta. Vnde id demum posse dicimur, quod iure possumus. Adde quòd cum libertas propriè sit voluntatis, & cum voluntate ratio, ex qua ius est, & potentia vnde vis, semper debeant esse coniuncta, vt suprà demonstrauius, vtrò per se sequitur: siquidem voluntas ratione iuris, vel potentia virium destituatur: vel quod magis ea contra se habeat, non rectè eam se habere sed deficere. F. Quid est seruitus? P. Non facultas quidem naturalis, quæ à Deo est, sed constitutio iurisgètium, post peccatum per homines facta, qua quis dominio alieno contra primum statum & naturam (qua omnium æqua libertas est) subijcitur, sic vt non sui, sed alieni sit arbitrij. Quæ quidem ideo toleratur, quoniam vt antè dictum est, propter huma-

Ff 2 nige-

ni generis imbecillitatem quædam etiam non
 optima maioris mali declinandi causa secundū
 principia cautionalia ferenda sunt, dummodo
 legi Christianæ non omnino sint contraria cu-
 iusmodi est hæc, qua de agimus, seruitus, que
 non simpliciter & absolutè contra naturam est
 (nam id si esset tolerari non posset) sed compa-
 ratè, quatenus homines naturà sunt æquales.
 Extra quod & diuina quædam est seruitus, qua
 homo Deo subicitur: & naturalis, qua animan-
 tes homini: & humana ex utroque mixta, qua
 liberi parentibus. F. Quid liberi homines & ser-
 uui, an ne porrò diuiduntur? P. Enim uero seruo-
 rum qui iure ciuili (nō autem naturali quo, om-
 nes homines sunt æquales) pro nullis habètur,
 quoniam seruitutem mortalitati ferè compa-
 ramus, sic ut nullam partem in republica ser-
 uus obtineat, & ideo reipublicæ causâ abesse nō
 potest, nec vlla cum eo actio est, nullæve in eum
 cadit obligatio, nullæ sunt differentie: nam se-
 cundum principia physica, eius quod non est
 nullæ sunt qualitates. Cæterum liberi autem
 alij ingenui sunt, alij libertini. F. Qui sunt inge-
 nui? P. Qui (vt titulus *De ingenuis* docet) statim
 ut nati sunt, liberi sunt: nam nomen ingenuorū
 inde deducitur, quoniam liberi geniti sunt.
 Quod quidem fit, siue ex duobus ingenuis ma-
 trimonio editi sunt, siue ex duobus libertinis,
 siue ex altero libertino & ingenuo altero, siue
 ex matre libera & patre seruo: quoniam partus
 ventrem sequitur: qui certus est, cum extra ma-
 trimonium pater naturà (vt Homerus ait) sit
 incertus. F. Qui libertini? P. Qui, vt sub rubrica
 De

De libertinis traditur, ex iusta quæ iure constat seruitute manumissi, hoc est, libertate donati sunt. Nam si non iuris seruitus est, sed facti, veluti si à prædonibus quis detineatur, nihil opus est manumissione, quia, ut physica habent principia, priuatio præsupponit habitum. Ac est quidem omnibus permixtum, seruos suos manumittere, quia suæ rei quisque moderator est & arbiter, nisi fortè in fraudem creditorum id fiat, quod non est permixtum, ut docet titulus, *Qui & ex quibus causis manumittere non possunt*, ne contra principia ethica, alteri per alterum iniqua conditio contra principia iustitiæ inferatur, aut minor octodecim annis sit, qui manumittit, sic ut certum animi iudicium non habeat: quia licet libertas omnibus rebus fauorabilior sit, est tamen res inæstimabilis, & ideo sine certo animi iudicio, ne qua fraus fortè subfit, quod ex cautionalibus principijs manat, cōferri non debet. Ad quam rem partim ratione externa fauoris, partim interna iudicij iâ perfectioris ob pubertatem plenam & perfectam electa est ætas octodecim annorum, media inter decimum quartum, & viciesimum quintum annum, ut in rebus ancipitibus secundum principia extraordinaria subinde fieri solet. F. Ita supra dictum memini. P. Et quod olim lege Fufia Caninia non nisi certum numerum seruorum testamento licebat manumittere, ratione à principijs externis ducta, ne hæres ex toto fraudaretur: quoniam morientes liberaliores ferè, quàm viuentes esse solent: id prout sæpe contingere diximus, Iustiniano placuit mutare, ut ex

titulo *De lege Fusca Caninia sublata* apparet, partim naturalis facultatis causa, quæ ratio interna est, ut in re sua quis agat quod velit: partim favore libertatû, quibus lex Caninia propriè invidere videtur, quæ externa: & partim denique ne contra humanitatem plus inter viuos, quàm in testamento morientibus liceat, cùm nihil magis debeat hominibus, quàm ut supremæ voluntatis, postquam iam aliud velle nõ possunt, liber fit stilius, & liberum, quod iterum non reddit, arbitrium: quæ ratio partim interna est, partim externa.

De secunda personarû diuisione.

Tit. VI.

F. Nunc secunda diuifio personarum quæ nã autem est? P. Quòd omnes homines vel alieni iuris sunt, vel sui, ut ostendit rubrica *De his qui sui iuris sunt vel alieni*. Quæ quidem diuifio ab vna parte latius patet, quàm superior: quia inter eos qui alieni iuris sunt, non serui modò, sed & liberi homines comprehenduntur: ab altera autem minus latè. Tractandum est separatè de singulis.

De ijs qui alieni iuris sunt.

Tit. VII.

F. De ijs qui alieni iuris sunt quid ais? P. Alieni iuris sunt, qui in potestate dominorum sunt, vel parentum. F. Qui sunt in potestate dominorum? P. Serui, in quos vitæ necisq; potestati domi-

domini olim habebant iure proprietatis: sed ea res clementioribus postea temporibus factis mitigata est (vt sepe fieri antè diximus) idq; partim secundum principia interna, vt humanitatis pro moderatæ iustitiæ & primæ naturæ principijs ratio habeatur: partim secundum externa, quia reipublicæ atque adeo ipsorū dominorū (ad quæ duo in omni latione legū semper spectandum esse supra tradidimus) interest, ne re sua quis malè vtatur. Qua de re Antonini Pij Imperatoris rescriptum extat; vbi & procæmum, & constitutionem, & sanctionem (quas tres partes legis esse antè docuimus) licet reperire.

F. In potestate parentum qui autem sunt? P. Filij familiarum, quæ potestas propria ciuiū Romanorum est, iam inde à Romuli temporibus moribus (vt sepe fieri diximus) recepta: quod pertinet rubrica, *De patria potestate*, ducta tamè à principijs legis diuinæ & naturalis, (nam plura principia sepe concurrere antè dictum est) secundum quæ liberi parētibus subsunt: quod Romani rudioribus adhuc temporibus non solum ad oppignorandi ac distrahendi, quemadmodum aliæ nonnullæ nationes, sed & occidendi potestatem producebant.

F. Quomodo constituitur patria potestas? P. Per iustas nuptias naturali pariter & ciuili ratione, & per adoptionem ciuili ratione tantum.

F. Per iustas nuptias quo pacto? P. Veluti si qui ex vxore mea, quæ iustis nuptijs coniuncta mihi est, mihi liberi nascantur. Ac sunt quidem nuptiæ, viri ac mulieris coniunctio à principijs naturalibus profecta, quæ consensu constituta

(nam nuptias non concubitus, sed consensus facit) indiuiduam vitæ consuetudinem, qui vnus finis matrimonij est, retinet. Iustæ autem nuptiæ, vt docet titulus *De nuptijs*, quas ciues Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum ciuiliū coeunt, masculi quidem puberes, fœminæ verò viripotentes, sic vt apti sint ad prognerandum, qui vt suprâ demonstratū est, alter matrimonij est finis. Ad quam rem ob honestatem publicam, secundum principia externa, ex communitè accidentibus, electi sunt quatuordecim anni in masculis, & duodecim in fœminis, ne inspectione corporum, vt olim, quæ contra pudorem est, sit opus. F. Per adoptionem autem? P. Veluti cùm ad imitationem naturæ, vt sæpe artem facere suo loco ostendimus, in filium eum quis assumit, qui non est, vt sub titulo *De adoptionibus*, videre licet: quod tum quidem priuatim, secundū principia Oeconomica, ad solatium eorum introductū est, qui liberos non habent: tum autem publicè, ex principijs politicis pro conseruatione familiarum, ex quibus ciuitas iungitur, ne deficientibus liberis corruant. F. Intelligo. P. Ac soluitur autem omnis potestas varijs modis, vt demonstrat rubrica, *Quibus modis ius potestatis soluitur*: nam nihil est in rebus istis humanis inferioribus tam firmiter constitutum, quod non solutioni sit obnoxium. Ac cùm dominica potestas manumissione dissoluatur, vt dictum est, modi dissoluendæ patriæ potestatis alij naturales sunt, vt mors: nam mors secundum principia physica, vltima linea rerum est: alij ciuiles

vt si quis patriciatus dignitate decoretur, quæ secundum principia externa absurdum esset, patris priuati potestati subesse, cum ipse principis quasi pater efficiatur: alij mixti, vt emancipatio, quæ tum quidem voluntate patris emancipantis constat, quæ naturalis est, tum verò certa cerimonia externa, quæ ciuilis: nam ad vnam eandemq; rem plura sæpe principia concurrere, antè demonstratum est.

De ijs qui sui iuris sunt.

Tit. VIII.

F. Nunc sui iuris quinam autem sunt? P. Qui extra dominicam patriamq; potestatem constituti, sui proprij liberiq; sunt arbitrij. Nam velle secundum principia ab hominis potentijs ducta non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini. F. Quomodo diuiduntur? P. Alij in tutela sunt, alij in curatione, alij neutro iure tenentur, de quibus nihil opus est speciatim dicere, quoniam cognitis prioribus, & ipsi consequenter secundum principia logica cognoscuntur. F. De his quid proponis tractandum? P. Primum de tutela dicam, quid sit, quotuplex, quæ vis eius & effectus, & quomodo finiatur: deinde de curatione, post de ijs, quæ vtrique sunt communia. F. Quid est tutela? P. Tutela, inquit Iustinianus titulo *De tutelis*, est ius, siue vis ac potestas legitima in capite libero, ad tuendum eum qui per ætatem se defendere nequit, iure ciuili duodecim tabularum (secundum rationem naturalem) data ac permissa, vnde tutores qua-

Ff 5 fitui-

fi tutores appellantur : nam nihil tam naturale est, quàm vt qui se ipse tueri nequit , aliorum tutela regatur. Et quidem cum potestatis verbum pro genere sit, quod de capite libero additur, ad differentiam dominicæ potestatis dicitur: quod autem ad tuendum eum, ad differentiam patriæ , vt intelligatur, non simplicem & absolutam esse potestatem, vt patrum, sed quæ ad tuendum duntaxat pertineat. Et, eum qui per ætatem se defendere nequit, vt à curatoribus varij generis tutores distinguantur. Additur autem iure data ac permessa , vt non facto priuato, sed authoritate iuris-publicæ eam consistere intelligatur. Qua quidem dantur tutores legitimi, permittuntur testamentarij, dantur & permittuntur datiu. Nam quædam legem iubere , quædam permittere , quædam per se facere , quædam per alios , supra est demonstratum. F. Quomodo diuiduntur tutores ? P. In testamentarios , legitimos, & datiuos. F. Qui sunt testamentarij ? P. Quos permittente lege duodecim tabularum, pater liberis in potestate , quos in suis hæredibus moriens habiturus est (quibus quàm optimè velle & consulere posse, & scire præsumitur) testamento dat tutores, siue homines liberos , dummodò sanæ mentis , & legitimæ ætatis sint , quod naturalia pariter & ciuilia principia exigunt : siue seruos, cum libertate, quod propter vtilitatem in gratiam pupillorum, si fortè pater eos maximè nouerit idoneos, & fauore libertatis , cuius summa semper habetur ratio, receptum est : vt tradit titulus

Qui

Qui testamento tutores dari possunt. F. Qui legitimi? P. Quos cessante prouisione hominis lex constituit tutores, quorum tres sunt ordines. F. Audio. P. Ac sunt quidem primi ordinis, qui expressis verbis legis duodecim tabularum, ad tutelam deficientibus testamentarijs vocantur, cuiusmodi sunt agnati, hoc est, cognati per masculinum sexum cōiuncti, quos ideo lex vocat, ad tutelam, vt vbi successionis est emolumentum (si quid pupillo fortè accidat) ibi sit & onus tutelæ: & qui sperat bona, eadem & tueatur; ne dilapidentur: & qui sentit commodum, idem sentiat & onus: vt habet rubrica *De legitima agnatorum tutela.* Atque hæc quidem tutela, quoniam non naturali ratione, quæ quia superior est, nullo iure ciuili, quod inferius, dirimi potest, constat (nam secundum naturam, masculorum & fœminarum in succedendo eadem est ratio) sed ciuili duntaxat, qua masculi fœminis ob belli & reipublicæ vsum præferuntur, fit, vt faciliè tollatur per capitis deminutionem, siue maxima illa sit, quæ omnium mortalium est, cum libertas amittitur, & cum seruitute commutatur: nam seruus cum pro mortuo iure ciuili habeatur, nullum iuris munus ratione naturali, quæ post ciuilem intrat, vt sæpe fieri antè diximus, gerere potest: siue media, quæ est ciuium Romanorum, cum ciuitas amittitur per redactionem ad peregrinitatem, vnde fit, vt qui ciuis amplius non est, nullum officium ciuile obire possit.

possit: siue minima, quæ cuiusque est domus, cum ius familiæ perit per arrogationem in aliâ familiam, sic ut cum de prioris familiæ agnatione esse desierit, consequenter ab ijs quæ agnationis sunt excludatur, ut ostendit titulus *De capitibus diminutione*. Pertinetq; ad hæc tria capita illud Comici: Principio dico, eam esse liberam, ciuem Atticam, meam sororem. F. Intellego. P. Secundi ordinis legitimi tutores sunt, quibus non expressis verbis legis tutela defertur, sed per interpretationem siue consequentias (uti sæpe fieri antè diximus) hæreditatum ex mente & ratione legis, ut patroni qui seruos impuberes manumiserunt: Qui quidem quoniam ob summum beneficium manumissionis ad libertorum successionem vocantur, simul & tutelæ onere, quod ob successionis expectationem lex imponit (nam quò tutela redit, eò & hæreditas peruenit, & rationi conuenit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore) grauantur, ut est sub titulo *De legitima patronorum tutela*. Nã ubi eadem est ratio, eandem quoque iuris debere esse dispositionem, antè traditum est. F. Tenet. P. Tertij ordinis sunt, quibus neque ex verbis legis, quod primarium est, nec ex eius mente per interpretationem siue consequentiam, quod secundarium: sed ad exemplum (de quò suprâ traditum est) secundarij tutela obuenit, parentes qui liberos suos impuberes emanciparunt, quorum fiunt tutores, ut est sub titulo *De legitima parentum tutela*. Nam cum emancipatio speciem ac similitudinem gerat manumissionis, fit, ut ad eius exemplum patri emancipant-

cipanti commodum successione filij, & consequenter onus tutelæ deferatur, vnde vicem legitimi tutoris eum sustinere Ulpianus ait. A quo quidem porrò qui descendunt, & causam tutelæ gerendæ accipiunt, fiduciarij tutores appellantur. Nam defuncto patre manumissore si liberi perfectæ ætatis existant, inquit Modestinus, fiduciarij tutores fratris vel sororis efficiuntur, quod & de patre Iustinianus prodit sub titulo *De fiduciaria tutela*, si fortè auus nepotem impuberem ex eo emanciparit. Ac ratio quidè secundum principia ciuilia generaliter est, quia quemadmodum olim cùm per imaginarias venditiones & manumissiones emancipationes fierent, qui liberum caput mancipatum sibi à patre manumittebat: per similitudinem patroni tutor efficiebatur, qui fiduciarius appellabatur, quoniam fidei ipsius commissum erat, vt emptum caput manumitteret: ita hodie, cùm recta via sit emancipatio per patrem, qui tutor efficitur legitimus, vt dictum est: qui emancipati tutelam per parentis emancipatoris mortem suscipit, ad similitudinem parentis, cuius personam representat, tutor eius efficitur, non legitimus, quia vtique ipse eum non emancipauit, sed fiduciarius duntaxat, quia personam legitimi repræsentat, haud aliter atque is qui liberum caput sibi mancipatum manumisit, speciem ac similitudinem gerit veri manumissoris. Nec mouere debet, quod filij patroni manumissoris post mortem eius nõ fiduciarij, sed legitimi tutores liberti impuberis efficiuntur: quoniam ipsi tutelam non tam à patre, quàm pro-

proprio iure patronatus accipiunt, quod nascitur simulatque seruus manumittitur, non solum respectu manumittentis, sed & liberorum ipsius: quod secus est in emancipatione, ubi notum est, neque patri per emancipationem filij ab auo, neque fratri per emancipationem fratris à communi patre, quicquam iuris in emancipatum acquiri: Vnde tutela eius, quæ ad ipsos peruenit, à solo capite emancipatoris procedit. F. Iam datui tutores quinam autem sunt? P. Quos deficientibus tutoribus legitimis magistratus dant tutores, ut quemadmodum deficiente prouisione hominis patris, succedit prouisio legis, ita deficiente prouisione legis mutæ, succedat prouisio legis loquentis, qui est magistratus, ut suprâ demonstrauius, scilicet ne quicquam omittatur, quin pupillis tanquam miserabilibus personis succurratur, ut suprâ tactum est. Ac cum olim varij magistratus id sibi vendicarent, ut demonstrat titulus *De Attiliano tutore, & eo qui ex lege Iulia & Titia datur*: hodie præfectus vrbi vel prætor Romæ, in prouincijs præfides earum, de quibus antè dictum est, ex inquisitione qui idonei sint nec ne hoc faciunt. Nisi fortè tam modicæ sint pupilli facultates, ut quingentos solidos non excedant. Quo casu (nã quemadmodum ubi maius est periculum, cautius est agendum, & per maiores magistratus rem tractare oportet: ita ubi minus est periculi, minores magistratus sufficiunt, ne ob res paruas maiores à maioribus auocentur) permissum est, ut defensores ciuitatum etiã sine iussu præfidum (quod vno gradu longius abest quam olim)

olim) vna cum eiusdem ciuitatis magistratu vel Episcopo (nam sancta res est tutela) tutores creent. F. Dehinc authoritas tutorum quænam autem est? P. Quod pupillus nihil agere aut contrahere potest, nisi tutor in re præsentia author fiat, vt hoc modo actus pupilli, qui facti est, vim accipiat ab authoritate tutoris, quæ iuris. Vnde Celsus : Pupillus, inquit, nec velle, nec nolle in ea ætate, nisi apposita tutoris authoritate, creditur. Nam quod animi iudicio fit, in eo tutoris authoritas necessaria est, vt latius tradit titulus *De authoritate tutorum*. F. Quomodo finitur tutela? P. Varijs modis, vt demonstrat rubrica *Quibus modis tutela finitur*, sed præcipue est, si masculus pubes, foemina viripotens fiat. Nam si non certa demonstratione, verisimili certè ratione cum principijs naturalibus congruere visum est, vt qui iam ipsi liberos procreare ac tueri possunt, aliorum tutelæ non sint amplius subiecti. F. Quoniam de tutela dictum est, de curatione nunc exponito. P. Enimuerò curatores sunt, vt sub titulo *De curatoribus* traditur, qui adolescentibus finita tutela ad annum vsque viceimum quintum ætatis dantur, ad res eorum gubernandas & administrandas. Nam cum tutela propriè personarum fit & eorum, quæ citius naturaliter maturescunt : curatio propriè rerum est, & negotiorum, quæ animorum prouisione administrantur, quorum tardior est maturitas. F. Restat de ijs, quæ tutoribus & curatoribus cõmunia sunt, vt reddas. P. Hæc autem tria sunt numero. Primum est,

est, vt tutores & curatores secundum communem regulam (nam quorundam fides explorata habetur) satisdant pignoribus, aut fidei iussoribus datis, vt habet titulus *De satisdatione tutorum vel curatorum*. Quæ res propter hominum infirmitatem ex principijs cautionalibus originem habet, ne quid pupilli damni patiantur. Alterum est, vt si quis iustam causam habeat, qua ab onere tutelæ vel curationis excusetur, audiatur. & causâ cognita (nam hoc auxilio vt cum lege magistratus & iudicia coniungantur, in quibusdam opus esse suprâ diximus) subleuetur: ne iniustè quis prægrauetur, & cū suo incommodo alienis commodis cōtra ordinem naturæ seruire cogatur. Ac ducuntur quidem legitimæ excusationum causæ, vt sub titulo, *De excusationibus tutorum vel curatorum*, videre licet: partim ab animo, si literas quis nesciat: partim à corpore, si fontico morbo laborat: partim à bonis externis, si pauper & egenus est, cuius vita opera sit. Tertium est, vt tutores vel curatores suspecti remoueantur, ne contra principia cautionalia per eum quis lædatur à quo iuari debet. Vnde dicimus, neque in interdicto, neq; in cæteris causis pupillo nocere oportere dolum tutoris, siue soluendo est, siue non est. Ac iudicamus quidem suspectum, qui moribus talis est, vt suspectus sit. Nec prodest satisdatio, quia ea propositum maleuolum non immutat, sed econtrâ diutius grassandi in re familiari, vt sub titulo, *De suspectis tutoribus, vel curatoribus*, pròditur, facultatem præstat.

De

Derebus. Tit. IX.

F. Quoniam de personis expositum est, trāseamus nunc, si placet, ad res. P. Hæ sunt, quibus in cōmuni vita iuamur, & vtimur, circa quas duo spectātur summa capita, dominium & cōmercium. F. Quid est dominium? P. Proprietas ex antiqua occupatione & rerum distinctione orta, quæ nō quidem naturalis est, sed post peccatum extitit: non interna quidem, sed externa ratione, discordiæ, quam communio parit, vitandæ causæ, & diligentioris culturæ gratia, quoniam communia ferè negliguntur, & vt cupiditati hominis quoquo modo fiat satis, dū proprium quid habere videtur. F. Quid commercium? P. Quo homines res & operas suas inter se communicant, quod tum quidem ex necessitate introductum est: nam cum nō omnia omnibus, sed alia alijs Deus largiatur, alter alterius ope indiget: tum autem ex naturali hominum inter ipsos coniunctione, & indulgentiâ: Nam beneficio affici hominem, interest hominis. Et quidem cum iustitiæ duo principes inter cætera sint, effectus, confusa distinguere & dissipata colligare, vt suprâ demonstratum est: dominia rerum ex priori, commercia ex posteriori originem trahunt. Tractandum autem est de vtrisque.

*De rerum dominio & diuisione.**Tit. X.*

F. Circa dominia rerum quæ tractas? P. Duo
 Gg omni-

omnino, nempe quomodo diuidantur quoad ipsas in se, & quomodo acquirantur quantum ad homines, vt ostendit titulus *De rerū diuisione, & acquirendo earum dominio*. F. Quomodo diuiduntur? P. Prima earum diuisio est, quod omnes res secundum principia politica cum physicis mixta, vel diuini iuris sunt, quæ nullius vocantur, quoniam Dei sunt, non hominum, vt sacræ quæ Deo dedicatæ sunt, & ad superos pertinent: sanctæ, quarum violatio capitis pœna sancita est, quæ ad medioximos tanquam tutelares quosdam Deos: & religiosæ, quæ ad mortuos siue inferos: Vel humani, quæ vel communes sunt omnium mortalium, vt aër: vel publicæ prouinciarum, vt flumina: vel vniuersitatis ciuitatum, vt theatra: vel singulorum cuiusque hominis priuati. Sic vt cunctæ res vel in patrimonio nostro sint, vel extra patrimoniū habeantur. Deduciturque hæc diuisio ex eo, quod supra probatum est, omnes res vel diuinas esse vel humanas, publicas vel priuatas. F. Benè habet. P. Altera rerum diuisio est, quod omnes res secundum principia physica vel corporales sunt mobiles, se mouentes, soli, vt vestis, equus, fundus, quæ tangi possunt & aspectu sentiuntur: vel incorporeales, quæ tangi non possunt, & in iure consistunt, & ob id in sensum oculorum non cadunt, vt habet titulus *De rebus corporalibus & incorporalibus*. F. Recte. P. Ac sunt quidem omnes res incorporeales vel vniuersitatis alicuius, vt hæreditas, quæ est successio in vniuersum ius: vel rei specialis, vt seruitus, quæ

tum

tum quidem rerum est, vt seruitus rustica, cū iure fundi mei per fundum tuum eundi, ambulandi, agendi ius habeo : & urbana, cū ex domo mea in tuam tignum proijcere, aquam ducere, aut simile quippiam mihi permissum est, vt tradit rubrica *De seruitutibus urbanorum & rusticorum prædiorum*: tum autem personarum, vt vsusfructus, qui ius est alienis vtēdi fruendi rebus, salua earum substantia : nam cū ius sit in corpore, eo sublato, & ipsum tolli necesse est, vt docet titulus *De vsufructu*. Item vsus qui minor est, quàm vsusfructus, & in commoditatibus quotidianis duntaxat consistit, adeo vt cū vsusfructus pecoris, & lac, & lanam, & foetus, cum reliquis omnibus utilitatibus siue naturalibus, siue artificialibus completatur, vsus in stercoreando & modico lacte tantum consistat: & habitatio, quæ ius est habitandi in alieno, medium propemodum inter vsum & vsufructum, vt videre licet sub titulo *De vsu & habitatione*. F. Probè. P. Ac sunt quidem hæ seruitutes (quæ physica ratione constant) ideo secundum principia politica (nam alia aliis subseruire suprà docuimus) inuentæ, vt rebus nostris commodiùs vti, alijsq; ex ijs commodare possimus: quod vt ita fiat, non nostra solū, sed & reipublicæ interest, & cum humana consociatione ac communitate, qua homo homini consultum vult, coniunctum.

Gg 2 De

*De acquisitione per res singulas.**Tit. XI.*

F. Dehinc de acquisitione rerū quid habes? P. Ea est duplex, per res singulas, & per vniuersitatem, de qua distinctione ex principijs physicis deducta, supra cūm de rerum differentijs ageremus, est traditū. F. Res singulæ quomodo acquiruntur? P. Vel iure gentium, quod omnibus commune est: vel iure ciuili, quod proprium est ciuium Romanorum. F. Quomodo acquiritur iure gentium? P. Primò per occupationem: nam cum peccato inter homines orto, quisque quantum posset ad se rapere cœpisset, quæ bellorum prima fuit causa, quoniam natura omnia sunt communia, tandem ratione externa, maioris mali vitandi causa, tanquam per transactionem, vt Plato ait, conuenit, vt rerum dominia distinguerentur. Quo posito, mox consecutum est ratione naturali, vt quod quisque ex veteri occupatione haberet, pro suo retineret: & quod nullius est, occupanti cōcedatur. Vnde porrò sequebatur, vt quod ex eo nascitur, & cum ea coalescit, nostrum quoque fit, physica nempe ratione, quoniam vnum idemque cum eo est, & efficitur. Ita quibusdam ex arte constitutis, mox intrare rationes naturales, quæ quasi paruam quādam naturam in maiore constituunt, supra idoneo loco est traditū. F. Verūm. P. Deinde acquiritur iure gentium per traditionem ex iusta causa (absque qua non verus, sed temporarius est actus), nam cūm do-

minij

minijis propriè fit effectus , vt suæ rei quisque moderator fit, & arbiter, sequitur, nihil magis esse naturale, quàm voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. Cui accedit, quòd qui eam accipit dominij nanciscendi causa, primus est, qui eam occupat, postquam à priore domino abscessit. F. Iure civili autem quomodo acquiritur ? P. Primum per vsucapionem rerum mobilium, & longi temporis possessionem (absque qua præscriptio non procedit) rerum soli, cum iusto titulo, & bona fide, rem mobilem triennio, immobilem decennio, possidemus : quod ab externis principiis, ne rerum dominia in incerto sint, litesq; & alia incommoda inde nascantur, manauit, vt sub titulo *De vsucapionibus & longi temporis possessionibus* traditur. Cui accedit quod Paulus ait, vix esse, vt non videatur alienare, qui patitur vsucapi, sic vt quemadmodum vnus diligentia fauorabilis est, alterius negligētia odiosa habeatur. Et quidem licet certus numerus annorum non tam ratione quàm positione secundum principia extraordinaria constet , quòd tamen plus temporis in immobilibus, quàm mobilibus requiritur , à distributiua Iustitiæ principiis oritur, vt cuiusque rei pro sua qualitate ac dignitate ratio habeatur. Atque opus est iusto titulo, ne contra principia physica sine causa quid fiat, quod natura non patitur : & bona fide, ne quis ex dolo suo lucrum sentiat, quòd non est ferendum, vt suprà docuimus, cum de principiis ex iniustitia ageremus: estq; iuris regula, possessorem malæ fidei vilo tempore non præscribere.

Gg } F. Bene

F. Benè habet. P. Acquirimus secundò iure civili, per donationem, quæ est, cum nullo iure cogente quid cõceditur, siue inter viuos, siue causa mortis, vt habet rubrica *De donationibus*. Quæ quidem acquisitio ideo dicitur civilis, quia cum initio reipublicæ Romanæ rudioribus adhuc temporibus nulla ex liberalitate esset actio, quæ non nisi ex iusta causa (cuiusmodi liberalitatem non æstimabant) nascitur, sic vt nisi res in manum daretur, nullum iuris haberet effectum: cui accedebat secundum principia extraordinaria, quòd nobilior videretur liberalitas, quam vt actio ordinaria, quæ mercenaria est, inde nasci deberet: Pòst re melius considerata (vt fieri suprà diximus) placuit iure civili, vt ex donatione non minùs, quàm ex venditione quis teneatur: quoniam præterquam quòd ipsa liberalitas per se iusta causa est, quippe quam ex nobilissima parte iustitiæ procedere suprà ostendimus, cum sæpe fit, vt donationes non meræ liberalitatis, sed remunerandi causa fiant. Quæ quidem res tametsi non necessitatis secundum specialis iustitiæ rationem, honestatis tamen secundum pulchri gradum, de quo antè traditum est, obligationem in se continet. F. Optimè. P. Et quidem licet suæ rei quisque moderator est & arbiter, vt dictum est, fit tamen ex causa, vt qui dominus est, eam alienare non possit, vt pupillus secundum principia physica, quia plenum animi iudicium non habet: & econtrà qui dominus non possit, vt creditor qui ea lege pignus accepit, vt si ad certum diem pecunia soluta non est, venum eam dare

dare possit, de quo est titulus *Quibus alienare licet vel non*. Nam cum alienationes rerum à lege proficiantur, potest eadem ex causa præscribere, quæ alienationes valeant nec ne. F. Probè. P. Atque acquirimus nobis non solum per nosmetipsos, sed & per filios nostros, quos in potestate habemus: quia eadem nobiscum persona habentur: & seruos, quoniam nobis sunt pro instrumento: quæ vtraque ratio ex principijs physicis pariter & ciuilibus est deducta, vt prodit titulus *Per quas personas nobis acquiritur*. Cui accedit, quod cum ipsimet filij ac serui nostri sint, consequenter, & id quod acquirunt, statim nostrum fiat, adeo vt ne momento quidem temporis apud eos fuisse censeatur. Nam qui ipse possidetur, possidere, & qui ipse habetur, habere naturali ratione non potest: vnde eum, qui in seruitute est, vsucapere non posse, dicimus, & filium familias neque retinere, neque recuperare, neque adipisci possessionem rei peculiaris videri.

De acquisitione per vniuersitatem. Tit. XII.

F. Per vniuersitatem quomodo acquiritur?
 P. Quatuor quoque modis, hæreditate nêpe, bonorum possessione, arrogatione, & addictione. F. Rectè. P. Ac est quidem hæreditas, successio in vniuersum ius, quod defunctus tẽpore mortis habuit, vnde hæredes quantumuis lóga sit successio, eiusdẽ potestatis iuristq̃ esse, cuius

Gg 4 fuit

fuit defunctus, in cuius ius succedunt: & quod ipsis qui contraxerunt obstat, etiam successoribus eorum obstat communis est regula. Quæ quidem res à natura manauit: quia per liberorum procreationem & successionem quædam quasi æternitatis species in hac vita mutabili adumbratur. Et verò uti corporum, ita & bonorum, quæ tuendi corporis causa sunt, naturalis est successio: primùm ex testamento permissu legis, quæ neminem sibi rectiùs de hærede quam ipsummet prospicere posse, præsumit: deinde ab intestato, si non extat testamentum, nempe ut cessante prouisione hominis, succedat prouisio legis. Dicendum autem est de utroque.

De successione ex testamento.

Tit. XIII.

F. Circa successionem ex testamento quid tractabis? P. Primùm quid sit testamentum, deinde quotuplex, post quomodo ex eo acquiratur. F. Quid est testamentum? P. Voluntatis nostræ iusta, hoc est secundum legum præscripta ordinata sententia, de eo quod post mortem fieri velimus, inde dictum (si quidem allusione uti lubet) quod sit testatio mentis, ut est sub titulo *De testamentis ordinandu*. Et verò quemadmodum corporis successores corpore procreantur, ita qui familiæ & rerum, quæ animo administrantur, hæredes futuri sunt, animi prouisione cõstituuntur, uti iam inde à primis patriarcharum temporibus factum legimus: nec verò dici quis

ci quis debet de rebus suis in id tempus dispo-
nere, quo nō est earum futurus dominus, quo-
niam testamenti factio, nō priuati hominis est,
qui moritur, sed publici, qui mori nō censetur.
Cui adde, quōd cum per stipulationē post mor-
tem dare promittere possimus, multō magis
per testamentum (quod fauorabilius est) secun-
dum principia externa id licitum esse debet. F.
Quotuplex est autem testamentum? P. Duplex,
nuncupatiuum scilicet, cū voce hæres nuncu-
patur: & scriptum, cū literis designatur, adhi-
bitis certis solennibus, vt in omnibus rebus ma-
ioribus fieri oportere, antè demonstraui-
mus: quibus milites, vt sub titulo *De militari testamē-
to* traditur, iure singulari, quo sæpe opus esse su-
prà diximus, tam ratione externa ob fauorem,
quàm interna ob castrenses occupationes, &
quia ipsi plerunque rudes, peritos cōsulere ne-
queunt, sunt soluti. Estq; vtrique generi testa-
mentorum hoc commune, vt testes adhiberi
debeant, quod naturali ratione nititur, vt de
voluntate constet: cæterum ciuili autem, nun-
cupatiuo quinque adhibentur, ea de causa, qua
dictum est superiùs: scripto verò septem, hoc
est duo amplius, ex quibus secundum principia
ex antiqua ratione condendorum testamēto-
rum ducta (cuius generis principiorum suprà
meminimus) vnus emptorem familiæ, alter li-
bripendem repræsentat. Ac quāquam quidem
omnes secundum communem regulam testari
possint, sunt tamen nonnulli, *Quibus nō est per-
missum facere testamentum*, vt impuberes, furio-
si, quia mente secundum principia ab homi-

nis potentijs ducta, filij familias, serui: quia libera voluntate, & rebus de quibus testentur carent. F. Quomodo acquiritur ex testamento? P. Per vniuersitatem, & per res singulas. F. Per vniuersitatem quid acquiritur? P. Hæreditas, cuius rei causa primum maximè testamenta fieri cœperunt, nempe vt suum in locum aliud in ciuitate caput post excessum suum quis constituat, fiuntq; hæredes, vel primo gradu, vel secundo. F. Audio. P. Primo per institutionem, circa quam lex est sub titulo *De institutione & exheredatione liberorum*, vt si quis liberos in potestate habeat, vel hæredes eos faciat, vel expressim exheredet: alioqui si silentio præterierit, non valet testamentum, tanquam ab eo conditum, qui memoria secundum supradicta principia à potentijs hominis ducta non satis constaret, dum proprii sanguinis nullam facit mentionem, cuius nemo sanus, & maxime quidem in vltima voluntate obliuisci videtur. Ac possunt hæredes institui, vt habet rubrica *De heredibus instituendis*, non liberi modò, sed, & serui cum libertate, quod tū quidē fauore testatoris, vt hæredē ex animi sententia habeat, tum autē fauore libertatis secundū principia externa introductū est. F. Intellego. P. Secundo gradu hæredes fiunt per substitutionem, quæ tū quidem vulgaris est, veluti Titius hæres esto, & si hæres non erit, Scius hæres esto, vt sub titulo *De vulgari substitutione* videre licet: tum autem pupillaris, vt filius meus impubes hæres esto, & si hæres non erit, vel priusquam in suam tutelam venerit moriatur, Titius hæres esto: de quo est rubrica,

ca,

ca, *De pupillari substitutione*. Quæ quidē substitutio-
 nes utræq; partim externa ratione in fauorē
 introductæ sunt, vt ex voto hæredē quis habe-
 at : partim autem vt pater filio pupillo qui ipse
 testari nō potest, de idoneo hærede prospiciat.
 F. Teneo. P. Et quidem contingit non parū sæ-
 pe, vt testamta ritè facta infirmantur, vt sub
 titulo, *Quibus modis testamenta infirmantur*, tra-
 ditur, nempe si testator ita velit: nā ambulato-
 ria est hominis voluntas vsq; ad mortē, vnde &
 vltima dicitur: vel liberi *De testamento inofficiosa*
 conquerantur, si fortè sine iusta causa se dicant
 exhæredatos. Nam quanquam quidem initio
 propter summam vim patriæ potestatis, etiam
 sine causa liberos exhæredare licebat: id tamen
 postea cultioribus factis temporibus mitigatū
 est, & liberis ea de re cōquerendi potestas facta,
 nō quidē vt impietatis patrē accusent (id enim
 reuerentia parenti vel iniustissimo secundū di-
 uina principia debita nō patitur) sed rei tristitiā
 lenitate verborū (nā huiusmodi circuitionibus
 subinde opus esse suprā diximus) mitigēt, quasi
 pater eo tēpore cū testamētū conderet, mente
 nō satis constaret. Quod quidē vel eo magis cō-
 cedendū est liberis, quoniā cū alij hæredes ex-
 tranei dicātur, illi sui hæredes propriè vocātur,
 quasi qui eadē cū defuncto sunt persona: vltra
 quos sunt alij hæredes necessarij, qui velint no-
 lint cogūtur esse hæredes, vt sub rubrica *De hæ-
 redū qualitate & differentia* scribitur, cuiusmo-
 di sunt serui à dño, qui soluēdo nō est, hæredes
 instituti, quod nō interna quidē, sed externa ra-
 tione in fauorē testatoris est introductū, ne si-

ne hærede moriatur, quod luctuosum habetur, & si bonã à creditoribus vendenda sunt, serui potius nomine quàm domini honestatis publicæ causã secundum principia externa distrahan- tur. F. Per res singulas ex testamento quænam autem acquiruntur? P. Legata & fideicommissa. F. Quid vocas legatum? P. Legatum vt sub titulo *De legatis* traditur, est donatio à defuncto relicta, ab hærede (qui legem sibi præscriptam ser- uare debet) præstãda. Quæ de re lex duodecim tabularum generaliter tractans: Vti quisque rei suæ legasset, inquit, ita ius esto. Quanquam specialiter peculiãres quædam sunt regulæ cir- ca legata peculij, dotis, generis, optionis (vbi cū inter eos qui optare debent non conuenit, sorte secundum principia extraordinaria res diri- mitur) & aliorum. Ac quod dico autem, præ- standã esse legata, intellige nisi fortè vel alia vl- tima voluntate adempta, aut in alium translata reperiãntur, nam id propter libertatem vltimæ voluntatis, vsque ad extremum vitæ spiritum licere docet rubrica *De ademptione legatorum & translatione*, vel locus sit titulo *De lege Falcidia*, qua quartam partem hæres legato detrahere potest: Quod ideo secundum principia externa fuit introductum, ne si nimium grauata repe- riatur hæreditas legatis, nemo sit, qui inutilem hæreditatem adire velit, qua ratione & testator sine hærede contra votum suum decederet, & legatarij, suis legatis fraudarentur, & heres scri- ptus hæreditate frustraretur, quibus omnibus hoc quo dico modo consulitur. F. Quid est fi- deicommissum? P. Cùm testator fidei hæredis

com-

committit, vt vel totam hæreditatem, vel certam rem alicui restituat. Quod quidẽ cum primum nullam haberet necessitatem præstandi, quoniã testator nõ expressè iusserat, sed pudore tantum heredis contineretur (nã hos esse gra- dus supra ostendimus) pòst fauore vltimarum voluntatum, & odio eorum, qui ijs non satisfaciant, ad necessitatem deductum est, vt nõ modò iusis, sed & optatis testatoris satisfiat, idẽ occasione (quam à ratione differre supra diximus) insignis quorundam perfidiæ, de quo cũ singulariter semel atque iterum Augustus constituisset, gratia quoque personarum motus, pòst ad exemplum vt fit deductum est, ita vt in ius commune transfiret, & fideicommissa per omnia legatis exæquarentur. Atque vt i legatis per legem Falcidiam, ita fideicommissis per senatusconsultum Trebellianum quarta detrahitur, vt demonstrant tituli *De fideicommissarijs hæreditatibus*, & *ad senatusconsultum Trebellianum*, & *De singulis rebus per fideicommissum relictis*. F. Intelligo. P. Atque hæc quidem, cum circa testamenta ita se habeant, præter ea sunt codicilli, quibus & ipsis vltimam suam voluntatẽ, ac maxime quidem circa legata & fideicommissa, homines testatam faciunt. Quorum vsus nullis aut per exiguis solennitatibus constans, ratione vtilitatis ac necessitatis externa, occasione Lucij Lentuli, per Imperatorem Augustum, re- cum iurisconsultis deliberata, vt in legibus condẽdis fieri debere suo loco tradidimus, fuit in- troductus, vt si quis peregrè sit, vel alijs rebus

ita

ita occupatus, vt cerimonijs testamentarijs operam dare non possit, ijs voluntatem suam vltimam declaret, vt sub titulo *De codicillis* proditur.

De successione ab intestato.

Tit. XIII.

F. Post successionem ex testamento, nunc de successione ab intestato videamus .P. Ad eam runcitur, cum vel nullum testamentum est conditum, vel cum ex eo quod conditum est nemo successit. Nam si nemo (inquit regula iuris) subit hæreditatem, omne ius testamentorum soluitur, quia paria sunt secundum principia physica, non esse, & nullum habere effectum. Ceterum quamdiu possit valere testamentum, tamdiu legitimus hæres non admittitur. F. Quotuplex est autem hæc successio ? P. Triplex, nempe liberorum hominum, seruorum, & libertorum. F. De successione liberorum hominum quid ais? P. In hac primum locum naturali pariter & ciuili ratione obtinent sui hæredes, hoc est, liberi in potestate, qui ad vicem eius qui è vita migravit proximè accedunt, eademq; cū ipso sunt persona, vt sub rubrica *De hereditatibus, quæ ab intestato deferuntur*, viderelicet: traditq; regula iuris, si quis prægnantem vxorem reliquit, non videri eum sine liberis decessisse. F. Bene est. P. Secundum agnati, hoc est, per masculinum sexum coniuncti, quorum quia rempublicam gerunt, & armis defendunt, maior quam foeminarum secundum ciuilia externaq; prins

principia, olim, vt antè dictum est, solet haberi ratio, vt ostendit titulus *De legitima agnatorum successione*. Sed illæ iuris augustiæ postea secundum naturalem rationem non nihil sunt paulatim, vt fit, mitigatæ, per tractatû *De senatusconsulto Tertulliano*, quo mater liberis suis succedit, & *De senatusconsulto Orphiciano*, quo liberi matri exclusis agnatis: nam eos parentibus aut liberis præferri, nimis durum, & propè inhumanum videbatur. F. Rectè. P. Tertium locum in succedendo obtinent cognati per fœmininum sexum defuncto coniuncti, qui prout gradu proximi sunt, ita primi secundum principia iustitiæ, quæ inordinata in ordinem vt suprâ dictum est, redigit, ad hæreditatem vocantur, vt habet titulus *De successione cognatorum*. F. Probè. P. Ac sunt autem gradus cognatorum, vt sub rubrica *De gradibus cognatorum* demonstratur, tum quidem ascendentium, vt pater mater, auus auia, & alij maiores: tum autem descendantium, vt filius filia, nepos neptis, & alij minores: tum verò à latere, siue ex transuerso, vt frater soror, patruus auunculus, sobrinus sobrina, & cæteri. Ad quos quidem gradus rectè computandos, primùm ascendere oportet ad communem stipitem, nempe à te ad patrem tuum, qui vnum gradum facit: & à patre ad communem auum, (si de patruelis fortè cõgnatione exempli gratia quæras) qui secundum: deinde descendere à communi stipite ad eum, de cuius cõgnatione quæritur, vt à communi illo auo ad patruum,

qui

qui tertium gradum efficit: & à patruo ad eius filium, qui quartum: sic vt patruelis, quarto gradu tibi coniunctus reperiat. Quæ sola verissima & facillima computãdorum graduum est ratio. F. Nunc de seruatorum successione reddito. P. Enimuero *De seruis cognatione ac successione* placuit, vt si natis ex seruo & ancilla liberis, post cuncti manumittantur, ipsi licet libertinæ omnes sint conditionis, & ob id successio eorũ patrono iure debeat, tamẽ inter se succedãt, quod non quidem ratione interna, sed exteena in fauorem matrimonij noua humanitatis ratione se constituisse, Iustinianus ait. F. Restat libertorum successio. P. Hæc est, quæ decedentibus libertis sine liberis, patronis eorum secundum titulum *De successione libertorum* deferatur. Nam cum à morte, cui seruitus comparatur, ad vitam hominem reducant, loco parentum meritò censentur. In qua re primum edicto prætoris, deinde sua constitutione, iniquitatem iuris, hoc est, legis duodecim tabularum emendatam fuisse, Iustinianus ait, vt sæpe fieri antè diximus. Ac quoniam quidem præter ius successionis liberti patronis etiam ad opera ministerialia officialiaq; tenentur, possunt patroni ex senatusconsulto hoc ius vel omnibus suis liberis æqualiter relinquere, vel certos liberos certis filiis aut filiabus in potestate constitutis, vni vel pluribus assignare, vt sub rubrica *De assignatione libertorum* traditur.

De

*De bonorum possessionibus, &
alijs modis acquirendi
per vniuersitatem.*

Tit. XV.

F. Restat de bonorum possessionibus, & alijs modis acquirendi per vniuersitatem vt dicas. P. Planè: est autem bonorum possessio, ius perse- quendi retinendiq; patrimonij, siue rei quæ cuiusque cum moritur fuit. Nec aliud interest inter hæreditatè, & bonorum possessionè, q̄ quòd hæreditas iuris ciuilis, hoc est, primarij legislatoris est, multis constans solennibus: bonorum autem possessio iuris prætorij, hoc est, secundarij legumlatoris, nullas aut certe per paucas habens cerimonias. Ac fuit quidem inuenta bonorum possessio, emendandi, iuandi, ac supplendi iuris ciuilis gratia, de cuius ratione & causa suprà est expositum. Nam cum secundum angustiores eius regulas multos ab hæreditate excludi contingeret, quos minime æquum esset excludi, neque adeo primus legislator excludere voluisset, si de ijs cogitasset, tamen nulla ratione cõueniret, vt ius ipsum ciuile ob id tolleretur, quod nec tollere poterat Prætor (nihil enim facilè mutandum de solennibus) inuenta est hæc circuitio bonorum possessionis (vt sepe necesse esse suprà dictum est) per quam manente iure ciuili, ex æquo & bono per eius dilata- tionem illis subuenitur, eorq; loco habentur, ac

H h fi

si veri hæredes facti essent. Nam prætor bonorum possessorem, quoniam in omne ius succedit; pro hærede in omni causa habet, sic ut quasi hæres, eiusque loco, merito dicatur. Nam verum hæredem, qui ipso iure hæres sit, prætor facere non potest, sed hoc legis tantum est, vel similis iuris constitutionis ex senatusconsulto, aut placito principis. F. Audio. P. *De acquisitione per arrogationem*, res ita se habet, quod cum paterfamilias arrogandum se alicui tradit, non solum ipse in potestatem arrogatoris transit, sed & bona eius plerumque omnia, quæ tanquam accessoria secundum principia physica naturam sequuntur sui principalis. Quod quidem neque lege duodecim tabularum primaria, neque prætoris edicto secundario, sed eo iure quod consensu receptum est, de quo supra traditum est, introductum esse, Iustinianus ait, quod post deinceps scripto nonnunquam comprehendi ante docuimus. F. Intelligo. P. Per additionem autem vniuersitas rerum acquiritur, cum testatori, qui plures libertates testamento reliquit, nemo existit hæres: & vnus vel plures exijs, quibus libertates relicte sunt, bona sibi tanquam hæredibus libertatum conseruandarum causa addici petunt, quod secundum titulum *De eo cui libertatis causa bona addicuntur* conceditur, non interna quidem ratione, sed externa, favore testatoris, ut hæredem habeat: & libertatis, ut quibus ea testamento relicta est præstetur. F. Teneo. P. Et quidem præter supradictos modos acquirendi per vniuersitatem, erant alij duo, per solennem venditionem bonorum debitoris

in

in iudicio ordinario, quod in locū eius successerat, quod lege duodecim tabularum debitore condemnatum, qui soluendo non esset, in partes secare licebat: Et quod mulier libera seruo alieno mixta in domini potestatem cum omnibus suis bonis transfibat, sed vtrumque, vti per rubricam *De successione sublati, quae fiebant per bonorum venditiones, & ex senatusconsulto Claudiano* constat, hodie sublatum est: illud quidem, quia iudicia ordinaria, ex quibus dependebat cessarunt, ita vt sublato principali, simul sublatum sit & accessorium, vt saepe contingere supra ostendimus: hoc verò quia licet mulier libera cum seruo consuetudinem habens grauitur peccet, non tamen ob id libertatem amittere, & multo minus in potestatem domini, cuius seruus est, transire debet: quoniam concubitus non est modus, quo illa cū seruo vna fiat, & consequenter in potestatem domini transeat, ita vt non interna, sed externa ratione, odio nempe eiusmodi concubitus senatusconsultum Claudianum niteretur.

De rerum commercio & obligatione. Tit. XVI.

F. Quoniam de rerum dominio haecenus dictum est, de commercio earum nunc si placet tractemus. P. Placet verò, & quidem cū omnis commercij vinculum siue nexus sit obligatio, de ea cū explicabimus, simul & de commercij per quae contrahitur dicemus.

Hh a idque

484 ELEMENTOR. IVRIS

idē siue res spectes quæ dantur, siue facta quæ alteri ab altero præstantur, in quibus duobus omnis omnino materia obligationis consistit. F. Rectè. P. Et quidem cum suprâ traditum sit, dominia ab ea parte iustitiæ manare, qua confusa distinguuntur, obligationem autè ab ea qua dissipata connectuntur, fit, vt sub titulo *De obligationibus*, obligatio iuris vinculū vocetur, quo non dico honestate secundum boni & æqui gradus, sed necessitate secundum iusti ipsius rationē quis astringitur alicuius rei soluendæ, quod naturale est, secundum nostræ ciuitatis iura, quod ciuile siue à primario legislatore obligatio procedat, quæ ciuilis propriè vocatur, siue à secundario, quæ prætorica. F. Probè. P. Diuiditur autem omnis obligatio in eam, quæ ex contractu est vel quasi, ex delicto vel quasi. Ex contractu est, quæ sponte ex conuentione mutui beneficij causâ inter homines constituitur, vt secundum prima iustitiæ principia communes utilitates, mutatione officiorum dando accipiendo, in medium adferantur. Ex delicto autè, quæ à maleficio contra voluntatem (nam alioqui scienti & consentienti non fit iniuria neq; dolus) alteri ab altero illato oritur, ne contra secunda iustitiæ principia alius ab alio lædatur: Qui quidem sunt duo principes omnium obligationum fontes, Vnus iustitiæ prosequendæ, ad fidem seruandam, & ius suum cuique tribuendum, bonumq; faciendum: alter iniustitiæ vitandæ, ad malum vitandum, alterumq; contra fidem non lædendum. Nam si ad id quod de meo promisi dandum obstringor, multò magis id

id quod alienum abstuli reddere cogor. F. Praclare. P. Et quod deinceps de quasi contractu, & quasi delicto additur, ad hoc pertinet, quod supra diximus, nonnulla esse, quæ quanquam à substantia rei differant, in effectum tamen eius cadunt, vnde non ipsæ illæ res, sed quasi appellatur. Eundem autem est per singula.

De obligationibus ex contractu vel quasi.

Tit. XVII.

F. De obligationibus ex contractu quid dicis? P. Hæ vel re fiunt, vel verbis, vel literis, vel consensu: quæ diuisione tum quidem à substantia naturali interna, tum autem à solennibus ciuilibus externis profecta est. A substantia interna, quia cum secundum principia physica in omni contractu & res esse debeat, quæ pro materia est, & consensus qui pro forma, vnde cōtractus ex conuentione legem accipere dicuntur, siquidem contractus à re incipiat accedente consensu, re fieri dicitur obligatio: si verò à consensu sequentere, consensu. A solennibus externis, quia cum ea quæ aguntur inter homines, vel verbis vt plurimum fiant, vel literis, quibus voluntatem nostram significamus: & circa vtraque contingat, vt vel simplicia sint, quibus in omnibus rebus est opus: vel solennia, quæ certa formula concipiuntur, quòd secundum principia formalia in multis rebus est opus: quæcunque verbis conceptis contrahuntur, ver-

Hh 3 bis,

bis: quæ literis solennibus, literis contrahi di-
 cuntur. Qui quidem contractus non tam per se
 constant, quàm alijs ad maiorem firmitatem
 secundum principia cautionalia accedunt. Vi-
 denturq; veteres, sub verborum obligatione
 lata significatione, & literarum obligationem,
 cuius non meminerunt, comprehendisse. F. De
 contractibus qui re fiunt quid habes? P. Enim-
 uerò contractus qui re fiunt, quorum memi-
 nit titulus, *Quibus modis re contrahitur obli-*
gatio, alijs ad accipientis vtilitatem pertinent, vt
 mutuum & commodatum, quorum origo,
 quæ vtrique communis est (nam differentia
 non nisi ex materia subiecta existit: quoniam
 mutuum earum rerum est, quæ usu ipso con-
 sumuntur, vt vinum: commodatum earum,
 quæ non consumuntur, vt liber) à beneficentia
 naturali proficiscitur, vt aliorum neces-
 sitatibus usu rerum nostrarum ad tempus suc-
 curramus: alijs ad vtilitatem dantis, vt de-
 positum, quod partim ex beneficentia natu-
 rali, partim ex cautione originem trahit, vt
 opera nostra alteri in re eius custodienda pro-
 simus: alijs ad vtilitatem vtriusque, vt pignus,
 quod ex cautionalibus principijs deductum, &
 creditori prodest ad securitatem, & debitori
 vt faciliùs impetret quod petit. Ac dicuntur
 quidem hi contractus re fieri, quoniam nisi
 ante omnia res proficiscatur, ne intelligi qui-
 dem possunt. F. De verborum obligationi-
 bus autem? P. Verbis contrahitur obliga-
 tio inquit titulus *De verborum obligationibus*,
 ex interrogatione & responsione, cum quid
 dari

dari fieriue nobis stipulamur, illeque qui interrogatur, se daturum facturumve id, quod interrogatus est, respondet, vt spondes? spondeo: promittis? promitto. Quæ quidem res idè secundum principia externa, & politica iuuenta est, vt non quouis modo pro cuiusque arbitrio, vnde multæ lites, & alia incommoda existerent, sed certa forma legibus descripta homines inter se contrahant. Atque hac quidem de causa secundum rationem externam litium vitandarum, & honestatis publicæ causa comparatum est, quod ex pacto nudo communiter (nam in quibusdam ex causa aliter receptum est) non nascatur actio: nam alioqui secundum rationem internam pactum nudum non minus obligatoriū est, quàm stipulatio ciuilis, vel iuramentum religiosum. Nec quicquam secundum principia iustitiæ magis congruum est humanæ fidei, quàm quod semel inter homines placuit seruare. Ac est quidem nudum pactum, simplex conuentio, quæ neque ciuilibus vllis formulis verborum, literarum, aut alijs constat, neque in certum nomen contractus iurisperitum transijt, vt emptionis venditionis, locationis conductionis, cum similibus. F. Audio. P. Contrahitur autem verborum obligatio non solum per singulos, sed & si duo pluresve sint rei stipulandi (nam rei generali nomine dicuntur, quorum de re agitur) qui idem interrogent: vel promittendi, qui eandem rem promittant: quoniam nihil impedimento est secundum principia physica,

Hh 4 quod

quò minùs vnã eandemq; rem, duò in solidũ debere, & vna eademq; res duobus in solidum deberi possit, vt sub rubrica *De duobus reus stipulandi & promittendi* videre licet. F. Intelligo. P. Ac *De stipulatione seruorum* quidem verũ est, quodcunq; seruus stipulatur, domino secundum rationem physicam acquiri, quoniam eius est instrumentum, & cùm per se pro mortuo habeatur, quodcunq; facit, ex domini capite facere censetur, quemadmodum in omnibus instrumentis vsu venit. F. Teneo. P. Porro diuiduntur autem omnes stipulationes, vt docet rubrica *De diuisione stipulationum* in priuatas, siue conuentionales, quæ ex conuentione contrahentium fiunt: & publicas, quæ iussu magistratus, siue prætoris, de quo suprã dictum est, vt de damno infecto, vnde prætoriz vocantur: siue iudicis, vt rem pupilli saluam fore, vnde iudiciales, siue prætoris, vel iudicis, prout res fert, vt rem ratam haberi, vnde communes. F. Rectè. P. Ac sunt quidem stipulationes quæ fiunt nonnunquam inutiles, nullæ, aut perperam factæ, de quibus gradibus superiùs est proditum: partim defectu formæ, si verba non rectè concipiuntur, quod ciuile est: partim materiæ, si id quod in rerum natura vel commercio non est, vt liber homo, vel proprium quid stipulantis in stipulationem deducatur, quod naturale: vel personæ, veluti si alteri quis stipuletur, quod ciuile pariter & naturale: nam cum culpa sit, immiscere se rei ad se non pertinenti, neque paciscendo, neque legem dicendo, neque stipulando quisquam alteri cauere potest, & alijs quibusdam

busdam modis, vt sub rubrica *De inutilibus stipulationibus* scribitur. F. Probè. P. Adhibenturq; stipulationes non solum principalibus contractibus, sed & accessorijs, veluti cum *De fideiussoribus* dandis agitur: nam accessorium sequitur naturam sui principalis. Quæ res à cautionalibus principijs manauit, cum fideiussoribus vel pignorijs datis magis sibi quis vult esse cautum. Competuntq; eadem fideiussori, quæ principali debitori quatenus causæ sunt, non autem quatenus personæ. F. Dehinc de literarum obligationibus dicito. P. Hæ sunt, quæ literis contrahuntur, quod olim rudioribus adhuc temporibus solennibus nominibus fiebat, sed post cultioribus factis, & ad simplicitatem potius iustitiæ, quàm scrupulositatem, vt sit propensis, solennia nomina in vsu esse desierunt, solatq; chirographaria scriptura sufficere visa est, vt habet titulus *De literarum obligationibus*. Nam & in stipulationibus verborum scrupulositas remissa est, dummodo interrogandi & respondendi formula seruetur. F. Restat *De obligationibus ex consensu* vt reddas. P. Hæ sunt, quæ ex empto vendito, locato conducto, mandato, & societate nascuntur. Quibus omnibus hoc commune est, vt à naturali consensu, postquam de pretio in emptione, mercede in conductione, negotio gerendo in mandato, & communi commodo & incommodo in societate conuentum est, sequenter, nec solennibus verbis aut literis indigent: vt nec quæ re contrahuntur propter frequentem earum vsum, ne quid moræ aut in-

commodi contra principia externa cōmerciū
 patiat. F. Benè habet, P. Atque vti quidem de
 obligationibus quæ re fiunt diximus, ita & hic
 vsuuenit, vt alij ad vtilitatē sint accipientis, vt
 emptio venditio, locatio cōductio, quemadmo-
 dū de mutuo & cōmodato suprà ostēdimus (nā
 quod vendens & locās lucrū ex ea re nonnun-
 quā faciunt, nō ex prima natura & instituto ho-
 rū contractū, sed ex negotiandi arte, quæ pōst
 extitit proficiscitur) alij ad vtilitatem dantis, vt
 mandatū, quemadmodū de deposito: & alij ad
 vtilitatem vtriusq; vt societas, quemadmodum
 de pignore, vt latius patet sub titulis *De emptio-
 ne & venditione, De locatione & conductione, De
 societate, De mandato*, Vbi videre licet, quemad-
 modum ex supradictis quatuor contractibus,
 qui re fiunt, tres sunt liberales, mutuum, com-
 modatum, depositum, & vnus mercenarius, vt
 pignus: ita ex his quatuor, qui consensu con-
 stant, cū vnus sit liberalis, vt mandatū, cū
 quis rem alienam procurandam suscipit, reli-
 quos tres esse mercenarios, vt societatem, vbi
 de lucro & damno negociationis alicuius par-
 ticipando: emptionem venditionem, vbi de
 pretio pro re dando: & locationem conductionem,
 vbi de mercede pro vsu rei: quod quidem
 vtrumque vt certum sit (absque quo propter
 incertum nihil rectè fieri potest) pecunia nume-
 rata primū inuenta est, de cuius quidem cer-
 ta quantitate postquam conuentum est, per-
 fecta emptio & venditio, locatioq; & conductione
 censetur. F. Intelligo. P. Inter quos quidem cō-
 tractus quantum ad originem attinet, nō aliud
 inter-

interest, quàm quòd emptio & venditio ipsius
 rei est, locatio & conductio vsus rei, vt de mu-
 tuo & commodato diximus. Et quidem cum
 dubitaretur, vtrū emphyteusis pro modo em-
 ptionis & venditionis, an locationis & condu-
 ctionis sit: placuit tandē rei explicadæ causā (vt
 in rebus obscuris secundum principia extraor-
 dinaria sæpe fieri diximus) vt pro alio cōtractu
 per se habeatur. Adeo vt cum quatuor sint con-
 tractus liberales, mutuū, commodatum, depo-
 situm, mandatum, quatuor itidem sunt merces
 narij, emptio venditio, locatio conductio, socie-
 tas, emphyteusis, & quatuor itidē cautionales,
 pignus, fideiussio, verborū obligatio, & litera-
 rum obligatio. Ex quibus postremi ab vnā tan-
 tū parte obligationem habent (excepto pigno-
 re) quod & in mutuo vsuuenit, medij vltro ci-
 troq; sunt obligatorij, & primi (excepto mu-
 tuo) ab initio quidē ab altera parte dūtaxat ob-
 ligationem habent, sed ex post facto possunt fie-
 ri vltro citroq; obligatorij, veluti si in rem com-
 modatam, depositam, oppignoratam quid vti-
 liter impendatur, quod & in mandato contin-
 git. F. Probè narras. P. Atque hæc quidem cum
 de obligationibus ex contractu ita se habe-
 ant, *De obligationibus, quasi ex contractu,*
 traditur, eas esse, cum non ex conuentione,
 vnde verus contractus existit, sed ex re ipsa,
 quæ in causam contractus incidit, nascitur
 obligatio: veluti si quis rem alienam vtili-
 ter gerens aliquid in eam impenderit, quod ei
 restitui vtique natura æquum est, ne aut of-
 ficiū illi suum damnosum sit, aut alter cum
 alteri-

alterius iactura locupletetur. Cui accedit externa ratio utilitatis eorum, quorum res geruntur, ne deferantur. F. Reuerà dicis. P. Atque vti de rerum acquisitione diximus, ita & hic accidit, vt obligatio nō solūm per nosmetipfos, sed & per eos, quos in potestate habemus, acquiratur, vt est sub titulo *Per quas personas nobis obligatio acquiritur*. F. Rectè. P. Et quemadmodum contrahendo constituitur, ita soluēdo id quod debetur, tollitur omnis obligatio, vt docet titulus, *Quibus modis tollitur obligatio*. Quod & ipsum fit, cū voluntate vtriusque ab ea disceditur. Nam secundum naturam est, vnumquodq; eodem modo in contrarium acto dissolui, quo est colligatum. Et omnia quæ iure contrahuntur, contrario iure pereunt. Suntq; solutionis quasi species, nouatio contractus, delegatio alterius debitoris, & acceptilatio debiti, per imaginariam solutionem, cū quis id acceptū ferat, quod non accepit. Estq; iam suprà traditum, huiusmodi imaginarijs rebus sepe in republica esse opus. Et quidē si quis obligatione liberatus est, potest videri accepisse.

De obligationibus ex delicto vel quasi. Tit. XVIII.

F. Dehinc *De obligationibus quæ ex delicto nascuntur* exponito. P. Hæ sunt, quæ ex furto, vi damno, & iniuria oriuntur: nam cum duo sint summa iuris & iustitiæ principia, facere bonum & recedere à malo, quemadmodum finis obligationum ex contractu est, vt mutuis benefici-

is ho-

is homines iuuentur, ita finis earum, quæ ex delicto sunt, est, vt à mutuis iniurijs (vti antè dictū est) abstineatur. Atque vti beneficia omnia in dando & faciendo consistunt, ita contra maleficia, de quibus hic agimus, tum quidem in auferendo spectantur, quod per furtum fit clàm, & vim palam: tum autem in malefacièdo, quod fit per damnum circa res, & iniuriam circa personas. F. Quid autem est furtum? P. Contrectatio rei alienæ fraudulosa, inuito domino, quod iure naturali secundum principia moralia ab iniustitia ducta, prohibitum est admittere. F. Quid vis? P. Raptio rei alienæ, quod improbum furtum sub titulo *De vi bonorum raptorum* actione vocatur. Nam quanquam quidem dolus, qui vulpis est odiosior fit, vis tamen quæ lupi est impudentior habetur, vtrumque autem cōtra iustitiam esse, & ab iniustitia manare, suprà probatum est. F. Damnum autem? P. Quod iniuria datur, veluti si quis alienum hominè alienamve quadrupedem, quæ pecudum numero fit, nullo iure occidat, vulneret, quod per titulum *De lege Aquilia* prohibetur. F. Iniuria denique? P. Cùm contumelia dicto, scripto, vel factò cui fit, per se vel suos, quod titulo *De iniurijs* vindicatur. Et quidem cùm reliqua tria ad res, hoc ad personæ existimationem & honorem pertinet. Habetur t̄q̄ atrocior vel leuior iniuria ex facto, loco, persona, & alijs circumstantijs, de quibus suprà dictum est. Accū lege duodecim tabularum quæ primaria est, certa: pœnæ talionis & nummarie constitutæ essent, quasi in magna veterum paupertate, pòst mutatis vt fit tēpori-

poribus permissum est per prætores, qui secundarij, vt qui iniuriam passi sint, eam æstiment, iudexq; vel tanti reum cõdemnet, vel minoris pro personarum qualitate, cuius magnam rationem habendam esse antè traditum est. F. Iã *De obligationibus quæ quasi ex delicto nascuntur* quid ais? P. Eas dicimus, quæ non voluntate scienter, prudenter, quod propriè delictum est, sed factò ipso per imprudentiam, negligētiam, aut quo alio modo secundum supradicta principia à partibus & passionibus hominis deducta contrahuntur, quod in effectum delicti cadit, dum alij per hoc nocetur, idq; siue circa se ipsum quis sit minus diligens, veluti si per imprudentiam malè iudicet: siue circa suos si à familia mea quid deiectum effusumve sit, quod alij noceat.

De actionibus.

Tit. XIX.

F. Post personas & res, superest de actionibus vt dicas. P. Planè, Est autem actio ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur. Nã secundū principia formalia frustra essent leges in republica, nisi adessent iudicia, per quæ mandentur executioni. Fitq; naturali ratione, vt cū inter duos de re aliqua non conuenit, ad tertium dirimēdæ litis causâ eatur haud aliter, atq; ad res duas separatas dimetiendas, & inter se comparandas, instrumento aliquo mensorio vtimur. F. Quomodo diuiduntur actiones? P. In ciuiles ad bonum inducēdum: criminales, ad malum
prohi-

prohibendum : & prætorias, ad vtrumque, ex quibus ciuiles legum sunt, criminales iudiciorum, prætoriarum magistratuum : de quorum differentia supra est expositum. Ibi autem ordine per singulos.

De Actionibus ciuilibus.

Tit. XX.

F. Quæ sunt Actiones ciuiles? P. Quibus ad commodum priuatum agitur. Circa quas primum partitiones ipsarum spectantur, deinde qualitates, tum quo pacto deducantur in iudicium. F. Quæ sunt partitiones actionum? P. Sex omnino numero. Ex quibus prima est, quod omnes actiones, quibus inter aliquos, apud iudices publice datos, vel arbitros priuatim sumptos, de quacunque re queritur, vel in re sunt, quæ à dominio manant, cum quis rem suam ab alio possessionem vendicat, siue corporalem, siue incorporalem, cuiusmodi sunt seruitutes: vel in personam, quæ ab obligatione proficiuntur, cum quis rem sibi debitam petit siue condicit. Secunda, quæ & subdiuisio superioris videri potest, quod omnes actiones vel ciuiles sunt primarij legislatoris, cuiusmodi sunt præter omnes, vel prætoriarum secundarij, quæ à prætoris iurisdictione manarunt, tam in rem quam in personam, nec non pœnales & præiudiciales. Tertia quod omnes actiones vel rei persecutoriarum sunt, ut omnes actiones in rem, vbi nullum delictum est : vel pœnarum, vbi est delictum, veluti si quis furti manifesti ad quadruplum agat : vel mixtarum, veluti cum vi bonorum raptorum

raptorum ad rem simul & pœnam agitur. Ac sunt quoque mixtæ actiones in rem, & in personam, vt finium regundorum, familiæ herciscundæ, communi diuidendo, nec nō ciuiles, & prætorix: veluti cum de eo quod iure ciuili constitutum est, etiam prætor edicit, vt sæpe accidit. Quarta, quod omnes actiones vel in simplum concipiuntur, vt plerunque fit: vel in duplum, vt in actione furti nec manifesti: vel in triplum, veluti si executores litium sportularum nomine quid amplius exegerint, quàm oportet: vel in quadruplum, vt in furto manifesto. Quinta, quod omnes actiones, vel bonæ fidei sunt, quæ circa res laxiores versantes, à moderatæ iustitiæ principijs deriuantur, vt emptio- nis venditionis, locationis conductionis, cum similibus: vel stricti iuris, quæ ad res restrictio- res pertinentes (nam sic res suprâ diuisimus) à restrictæ iustitiæ fontibus manant, vt ex stipu- latione, cui certæ præscriptæ sunt formulæ: ex mutuo, quod certo pondere, numero & mensu- ra constat. Ac cum in bonæ fidei iudicijs ex æ- quo & bono æstimandi potestatem iudex habe- at, in ijs quæ stricti iuris sunt formulam præscri- ptam non potest excedere. Sexta, quod ex om- nibus actionibus, vel solidum persequimur e- ius quod debetur, vt plerunque fit: vel minùs, veluti cum de peculio filij vel serui cum patre dominove agitur, qui non vltra quàm in eo est tenetur: vel compésatione debitum minuitur, vel de dote maritus ab vxore conuenitur, qui ob veterem coniunctionem, in quantū facere potest, duntaxat condemnatur, habita ratione

ne

ne egeat: quod & circa parêtes, patronos, & eos qui ex liberalitate sua conueniuntur, locum habet. F. Dehinc qualitates actionum quæ nã autê sunt? P. Quòd omnes actiones vel nostro nomine dantur, vt plerumq; fit: vel alieno, quod primum in eo consistit. *Quod cum eo qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicatur.* veluti si quis cum filio seruòve meo, iussu meo contraxerit, vel cum eo quem nauitabernæve exercitorem aut institorem præposui, quod utiq; me agnoscere æquum est: quoniam fidem meã expressam vel tacitam secutus est: & ex qua persona quis lucrum capit, eius factum præstare debet: nec non si quid in rem meam versum sit, necum alterius iniuria contra principia moralia locû pleter. Secundò, si seruus meus noxam nocuerit, quam ego non interna quidem, & ordinaria ratione (nam melior, inquit regula iuris, conditio mea per seruos fieri potest, deterior non potest) sed externa & extraordinaria vel resarcire cogor, vel seruû qui nocuit noxæ dedere, quod & à parte eius qui damnum passus est æquum videtur, ne solus in dãno moretur, & à parte domini, ne amplius ex facto serui mei quam ipse est tenear, vt sub titulo *De noxalibus actionibus* traditur. Tertiò, *Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur*, sua naturã sine domini culpa, quæ & ipsa nisi pauperies resarciatur, secundum leges duodecim tabularum noxæ dari debet. Atque est autem pauperies damnum sine iniuria facientis datum. Non enim potest animal iniuriam fecisse dici, quod sensu, hoc est, ra-

Ii tione

tione, quæ sola secundum principia iustitiæ, iuris & iniuriæ particeps est, caret. Solentq; apud veteres & filij familias masculi ac fœminæ noxę dedi, ob similitudinẽ cū seruis: sed nouã hominum conseruationem, eiusmodi asperitatẽ rectè respuisse, & ab vsu hominum hoc penitus, recessisse (vt sæpe commutatis temporibus fieri antè dictũ est) Iustinianus tradit. F. Ratio aut & via, qua actiones deducuntur in iudicium, in quo consistit? P. Ea tum quidẽ ab actore spectatur, tum autem à reo. F. Quomodo ab actore? P. Primum, vt si quis procuratorio nomine litem inferat (quod propter hominum necessitates & occupationes varias ratione externa inductum esse prodit titulus *De ijs, per quos agere possumus*) satisfdet secundum principia cautionalia, rem ratam dominum habiturum, vt vt ostendit titulus *De satisfactionibus*, ne si id nõ fiat, illusorium reddatur iudicium, quod non est ferendum: vnde & procurator rei absentis iudicatum solui satisfacere debet, nemoq; alienæ rei sine satisfactione defensor idoneus intelligitur. Deinde vt in ingressu litis diligenter dispiciatur, cuius naturæ & qualitatis sit actio. & an ratione temporis, vel personæ eam instituere possit, ne cuiquam fiat iniuria, quod iudicandum est ex ijs, quę traduntur sub titulo *De perpetuis & tẽporalibus actionibus, & quę ad hæredes, & in hæredes transeunt*. Nam cùm actiones ciuiles perpetuæ ferè sint, quemadmodum ipse legislator primarius perpetuus est (nisi quod longi temporis præscriptione consumun-

sumitur, quod ratione externa inductum est, ne lites sint immortales) prætoris scilicet sunt annales, quoniam ipsius prætoris non amplius quam annale est imperium. Quæ quidem qualitas ijs remansit, licet edictum postea perpetuum factum, & in primariam imperatoris legem translatum sit, ut sæpe fieri supra tactum est. Ac quanquam quidem pleræque omnes actiones hæredibus actoris in hæredes rei dentur, quoniam personam defuncti repræsentant, iniuriarum tamen actio hæredi non datur, quia personalis est, nec pœnales ex maleficio in hæredem, ad quem nihil ex ea re peruenit (nam si peruenit, vel ad momentum in id tenetur) quia filius non debet portare iniquitatem patris (secus autem est in contractibus) nec quisquam alterius odio prægruari, nisi ante mortem res iudicio fuerit inclusa. F. Ac eò quæ spectantur, quænam autem sunt? P. Defensiones à natura ortæ, inter quas sunt & exceptiones, quibus per circuitionem (qua sæpe opus esse idoneo loco dictum est) quis se defendit. Nam sæpe accidit, quemadmodum sub titulo *De exceptionibus* traditur, ut licet ipsa per se actio, qua actor experiatur, iusta sit ipso iure summo per se inspecta, secundum rationem æquitatis, iniqua tamen sit aduersus eum cum quo agitur: veluti si ex stipulatione quis agat, ego autem excipiam, vi vel dolo fuisse extortam: quibus accedunt pecuniæ non numeratæ, pacti de non petendo, iurisiurandi, rei iudicatæ, & aliæ eiusmodi exceptiones, quæ vel à primario legislatore, vel secundario, hoc est, prætore, ori-

ginem trahunt : & tum quidem perpetuæ ac peremptoriæ sunt, vt si pactum de non petendo absolutè intercesserit : tum verò temporales ac dilatoriæ, si ad certum tempus. Estq; regula iuris, non posse videri accepisse eum, qui stipulatus potest exceptione submoueri. Desinereq; debitorem esse eum, qui nactus est exceptionem iustam, nec ab æquitate naturali abhorrentem. Nec interest, ipso iure quis actione non habeat, an per exceptionem infirmetur. Vnde non videtur cepisse, qui per exceptionem remouetur à petitione. Nec est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri. F. Rectè. P. Planè, quod autem contra exceptionem obijcitur, replicatio vocatur: & quod contra replicationem, duplicatio: & sic deinceps, vt sub rubrica *De replicationibus*, videre licet. Fitq; haud infrequenter, vt quemadmodum iustam primam facie actionem exceptio, ita iustam exceptionem replicatio, & iustam replicationem duplicatio: & sic deinceps elidat, ne iniquè noceat. Nam in omni negotio nõ vnã vel alteram eius partem, sed totius rei æquitatem, vt bene Triphonius ait, & nos supra attigimus, spectare oportet.

De actionibus prætorijs.

Tit. XXI.

F. Iam actiones prætorix quænam aut sunt? P. Quæ ex interdicto prætoris, vt ostendit titulus *De interdictis*, competunt, quibus de possessione ferè agitur, ne ad arma veniatur: & nõ vi,
sed

fed iure fecundum principia iuftitiæ certetur. Solentq; olim rudioribus tēporibus certis formis concipi, quæ hodie (vt sæpe commutatis temporibus fieri folere antè diximus) funt ſublata. Ac funt quidem omnia interdicta vel ad iſcendæ poſſeſſionis, vt Quorum bonorum, ad rerum, quæ per bonorum poſſeſſionem à prætorè impetrantur, poſſeſſionem obtinendam: vel retinendæ, vt Vti poſſidetis, ad rerum quas habemus poſſeſſionem tuendam: vel recuperandæ, vt Vnde vi, ad rerum quas amiſimus poſſeſſionem recuperandam. F. Intelligo. P. In quibus quidem & reliquis omnibus, quæ ad iudicia pertinent, partim circa litigantes quædã conſtituta funt, partim autem circa iudicem. F. Quænam autem circa litigantes? P. Adeos pertinet titulus *De pœna temerè litigantium*, quæ ideo propoſita eſt, ne ad litigandum homines facile procedant, pacemq; communem perturbent, quò nihil effectibus iuſtitie, de quibus ſuprà enarratum eſt, magis eſt contrarium. Ac funt quidem hæ pœnæ, quòd in quibusdam iudicijs, veluti damni iniurie, aduerſus inſciantes in duplum vel triplū actio creſcit: & in quibusdam veluti furti, iniurie damnati ignominioſi fiunt. Et quod qui parentem vel patronū ſiue venia prætoris in ius vocat, quinquaginta ſolidorum multa ob reuerentiam perſonæ debitam punitur. Atque vt ab omni temeritate litigandi caueatur, inductum eſt initio litis iurandum de calumnia, & vt improbus litigator & damnum & impèſas litis inferre aduerſario ſuo cogatur. F. Circa iudicem verò? P. Ad eum

pertinet titulus *De officio iudicis*, ne & ipse qua in re peccet, minusq; officium faciat. In qua re primū iussum generale est, ne aliter iudicet, quā legibus aut constitutionibus scriptis, aut moribus non scriptis (nā sic totum ius diuidi supra diximus) proditū est. Nam cū secundariū non primarium eū esse, supra probatum sit, officium eius est, non de legibus, sed secundum leges iudicare, vt hoc modò lex, magistratus, & iudicium, (de quibus supra dictū est) conueniāt: deinde autē aliud speciale, vt quod in quoquo iudicio peculiariter munus suum sit, diligēter dispiciat, & secundum hoc procedat: nam factū à iudice, quod ad officium eius non pertinet, ratum non est.

De actionibus criminalibus.

Tit. XXII.

F. Superest de actionibus criminalibus vt dicat. P. Hæ sunt, quæ vindicandorum criminum causa, boni publici gratia, vt malis ac sceleratis hominibus ciuitas repurgetur, & exemplum iustitiæ in republica cōstituatur, suscipiuntur, vnde & iudicia publica, vt titulus *De publicis iudicijs* demonstrat, vocantur. Nam cum ad totam rempublicam pertineāt, quæ omnibus ciuibus est communis, cuius ex populo executio eorū plerumq; datur. Ac pertinent quidem hæc iudicia, alia ad rempublicam ipsam, eiusq; quietem, & rem, vt lex Iulia maiestatis, lex Iulia de vi publica, lex Iulia de ambitu, lex Iulia repetundarum, lex Iulia de annona, lex Iulia de residuis:

Alia

Alia autem ad singulos homines, qui versantur in republica, eorumque vitam, pudorem, tranquillitatem, & bona, ut lex Iulia de adulterijs, lex Cornelia de sicarijs, lex Pompeia de parricidis, lex Cornelia de falsis, lex Iulia de vi priuata, lex Flauia de plagiarijs. Quæ quidem & alia crimina prout quæque res ac persona est, partim infamiae nota, partim multa pecuniaria, partim corporis afflictione, exilio aut morte, cum memoriae etiam nonnunquam damnatione, prout supra traditum est, secundum distributivæ iustitiæ principia ab eo, qui reipublicæ regendæ gubernandæque præest, sunt sancita. Cuius quidem proprium munus & officium est, omnes omnino homines tum quidem præmiorum exhortatione, tum autem metu poenarum (in quibus sanctionem legis consistere supra traditum est) bonos quoad eius fieri potest efficere, qui totius sapientiæ civilis (quam veram & non simulatam philosophiam Ulpianus vocat) ultimus est finis.

Elementorum iuris Libri quarti & ultimi Finis.



23

